







ANNALES

ACADEMIAE LOVANIENSIS

MDCCCXXI—MDCCCXXII.

VOL. V.



ANNALES
ACADEMIAE LOVANIENSIS
ANNI QUINTI

INDE A DIE IV A. NON. OCTOBR. ANNI MDCCCXXI AD NONAS OCTOBRES MDCCCXXII

GEORGIO JOSEPHO BEKKER

RECTORE ACADEMIÆ MAGNIFICO

ATQUE

FRANCISCO JOSEPHO DUMBECK

SENATUI ACADEMICO A SECRETIS.

LOVANII,

TYPIS C. J. DE MAT, UNIVERSITATIS TYPOGRAPHI.

M.D.CCC.XXIII.



INDEX

EORUM QUÆ HOC ANNALIUM VOLUMINE CONTINENTUR.

I.

NOMINA PROFESSORUM

ET LECTORUM

QUI AB INDE DIE III A. NONAS OCTOBRES MDCCCXXI AD
NONAS OCTOBR. MDCCCXXII

DOCENDI PROVINCIAM EXPLERUNT.

NOMINA

PROFESSORUM ET LECTORUM

QUI AB INDE DIE III A. NONAS OCTOBRES MDCCCXXI
AD NONAS OCTOBR. MDCCCXXII

DOCENDI PROVINCIAM EXPLERUNT.

I. *Ordinis Philosophorum et Literarum Humaniorum :*

G. J. BEKKER,	Ordinarii.
J. B. LIEBAERT,	
F. J. DUMBECK,	
A. TEN BROECKE HOEKSTRA (tempore hiberno),	
G. J. MEIJER (ab inde tempore æstivo),	

II. *Ordinis Medicorum :*

G. J. VAN GOBBELSCHROY,	Ordinarii.
C. J. JACMART,	
J. M. BAUD,	

A. VAN SOLINGEN, P. Extraordinarius,
J. M. ZINKGRAEFF, P. Honorarius.

III. *Ordinis Disciplinarum Mathematico-physicarum :*

F. J. ADELMANN,	Ordinarii.
J. F. SENTELET,	
J. B. VAN MONS,	
F. J. GOEBEL,	

V

IV. *Ordinis Jureconsultorum:*

F. M. Birnbaum,
J. B. De Bruyn,
H. F. Decoster,
} Ordinarii.

Literarum Gallicarum Lector:

J. Jacotot.

Medicinae Doctores, qui in Nosocomio Militari docuerunt:

J. J. Molitor, Rei medicæ militari hujus terræ ab inspectione,
J. M. Zinkgraeff, Prof. honorarius,
Van Onsenoort, Chirurgus.
De Courtray, Pharmaceuta.

II.

NOMINA

CURATORUM ACADEMIAE,

MAGISTRATUUM MAJORUM,

ADMINISTRORUM RELIQUORUMQUE.

2.

NOMINA

CURATORUM ACADEMIAE,

MAGISTRATUUM MAJORUM,

ADMINISTRORUM RELIQUORUMQUE.

Collegium Curatorum:

GERARDUS D'ONYN DE CHASTRE, Præses; O. L. B. Eques,
CAROLUS FRANCISCUS DE NIEUPORT, O. Mel. Decurio,
CAR. JOS. EMAN. VAN HULTHEM, O. L. B. Eques,
G. J. DE LA HAMAIDE, O. L. B. Eques;
J. H. J. Vice-Comes DE SPOELBERCH,
J. BENJ. ROELANTS, Collegio a Secretis et ab Inspectione.

Rector Academiae Magnificus:

G. J. BEKKER.

Senatui Academico a Secretis:

F. J. DUMBECK.

Singulorum Ordinum Assessores et Decani:

G. J. BEKKER, Philos. et Literar. hum.;
G. J. VAN GOBBELSCHROY, Medicorum;
F. J. ADELMANN, Discc. Math. Physic.
F. M. BIRNBAUM Jureconsultorum.

Singulis Ordinibus ab Actis :

F. J. Dumbeck, Philos. et Literat.
J. M. Baud, Medicorum,
F. J. Goebel, Discc. Math. Phys.
H. F. Decoster, Jureconsultorum.

Senatus Accensi :

H. Guil. Jos. Lambrechts,
Petrus B. Asselberghs.

Bibliothecae Academicae Praefectus :

G. J. Bekker.

Bibliothecae Custodes :

F. Jos. Van Boterdael,
Car. Joan. Stas.

Hortulanus Botanicus :

Andreas Van Donckelaar.

Ammanuensis ejus :

Antonius Vanderlinden.

Prosector Academicus :

Sim. Jos. Lanthier, Med. D.

Ammanuensis Hist. Natur. Professoris :

Carol. Frid. Herzog, *Doctor.*

Ammanuensis Chymiae Professoris :

P. J. Hensmans, *Pharmaceuta.*

Ammanuensis Physicae Professoris :

Thom. Josephus Bouvier.

Aedium Academicarum Janitor :

J. B. Van Esch.

III.

SERIES LECTIONUM

IN ACADEMIA LOVANIENSI

PER UNIVERSUM ANNUM ACADEMICUM

HABITARUM.

SERIES LECTIONUM,

IN ACADEMIA LOVANIENSI

PER UNIVERSUM ANNUM ACADEMICUM

HABITARUM.

TEMPORE HIBERNO.

I. IN ORDINE PHILOSOPHORUM ET LITERATORUM.

Encyclopaediam Philosopham, omni die Lunæ, *hora sexta* vespertina, exposuit F. J. DUMBECK, P. O.

Ciceronis libros de Legibus (ad editionem Goerenzianam) interpretatus est, simulque *Exercitationes* instituit tam *Scribendi Latine, quam Disputandi,* diebus Martis, Mercurii et Veneris, hora III, G. J. BEKKER, P. O.

Isocratis Panegyricum (ad ed. Longuevillii, Parisiis 1817. 8) explicuit Idem, iisdem diebus, hora II.

Qui ad Antiquitatis studia se unice applicuerunt, eorum moderatus est Exercitationes in interpretando *Platonis Philebo* Idem, die Jovis, hora VIII et IV.

V. 3

Linguae Belgicae Grammaticam (Gallice) *et Ovidii Fastorum librum II* explicuit (Belgice) diebus Lunæ, Martis et Mercurii, hora II, A. Ten Broecke Hoekstra, P. O.

Institutiones Justinianeas bene Belgice interpretandas sibi proposuit Idem, horis diebusque opportunis.

Literas Gallicas docuit, diebus Martis, Jovis, Veneris et Saturni, hora V, J. Jacotot, Lector Academicus.

Historiam Universalem Antiquam (ducibus Tabulis Ethnographico-periodico-synchronisticis suis, Lovanii, 1820. fol.); præmissa *Introductione* (juxta Dialogos suos, qui Κλειὼ inscribuntur) enarravit F. J. Dumbeck, diebus Lunæ, Martis et Mercurii, hora X.

Historiam Patriae explicuit, diebus Jovis, Veneris et Saturni, hora II, A. Ten Broecke Hoekstra.

Historiam Europae Politicam, præmissis *Sapientiae politicae Principiis*, diebus Lunæ et Martis, hora V, Jovis vero X, F. J. Dumbeck professus est.

Antiquitates Graecas, die Jovis, hora VIII et IV, auditoribus Philologiæ studiosis enarravit G. J. Bekker.

Antiquitates Romanas, diebus Mercurii, Jovis et Veneris, hora V, docuit Fr. J. Dumbeck.

Historiam Philosophiae, diebus Mercurii et Veneris, hora II, enucleavit J. B. Liebaert.

Logicam Idem docuit, diebus Martis, Jovis et Saturni, hora IX;

Metaphysicam diebus Mercurii et Veneris, eadem hora, Idem explicuit.

II. IN ORDINE MEDICORUM.

Anatomiam, quatuor ultimis septimanæ diebus, hora III, tradidit J. M. BAUD, P. O.

Lectiones *Chirurgiae Practicae*, in Nosocomio Civili, omni die, hora VIII, Idem habuit.

Praelectiones Obstetricias, diebus Mercurii et Saturni, hora II, dedit A. VAN SOLINGEN, P. Extraord.

Auditoribus theoriæ peritis aditus patuit ad *Institutiones Clinicas*, quas Idem moderatus est.

Physiologiam explicuit, diebus Lunæ, Martis et Mercurii, hora XI, G. F. VAN GOBBELSCHROY, P. O.

Semiologiae Generalis præcepta, diebus Saturni, hora XI, exposuit C. J. JACMART, P. O.

Pathologiam Generalem docuit, diebus Jovis et Veneris, hora XI, G. F. VAN GOBBELSCHROY.

Pathalogiam Specialem atque *Therapiam Generalem et Specialem*, in Nosocomio Militari, diebus Lunæ, Martis, Jovis et Veneris, hora IV exposuit J. M. ZINKGRAEFF, P. Honorarius.

Diaeteticam et *Materiam Medicam*, diebus Lunæ, Martis, Jovis et Veneris, hora XI, docuit C. F. JACMART.

Clinicis Exercitationibus, in Nosocomio Civili, omni die, hora IX, præerat et tirones ad *Praxin Clinicam* instituit Idem.

III. IN ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICO-PHYSICARUM.

Elementa Matheseos, diebus quinis septimanæ ultimis, hora VIII, dedit F. J. GOEBEL, P. O.

Astronomiam, diebus Mercurii et Veneris, hora X, Idem tradidit : *Calculi* quoque *Differentialis* et *Integralis principia* die Lunæ, hora VIII exposuit.

Historiam Naturalem Animalium, adjecta *Anatomia Comparata*, diebus Martis, Jovis et Veneris, hora IX;

Botanicam et *Physiologiam Plantarum* iisdem diebus, hora II,

Mineralogiam, die Mercurii, hora IX, docuit F. J. ADELMANN, P. O.

Physicam Generalem, diebus Martis, Jovis et Saturni, hora XI, exposuit J. F. SENTELET, P. O.

Chymiam Generalem et *Specialem*, diebus Martis, Jovis et Saturni, hora X;

Materiam Pharmaceuticam et *Pharmaciam Practicam* tradidit, diebus Mercurii et Veneris, eadem hora, J. B. VAN MONS, P. O.

Œconomiam Ruralem, diebus Mercurii et Veneris, hora XI, professus est J. F. SENTELET.

Rem Hortensem, theoretice et practice, in horto Collegii Veteranorum et suo, diebus Mercurii et Veneris, hora X, dedit J. B. VAN MONS.

IV. IN ORDINE JURIDICO.

Historiam Juris atque, præmissa *Juris Encyclopaedia, Jus Naturae et Gentium* tradidit F. M. Birnbaum, P. O. diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora VIII.

Institutiones, diebus Lunæ, Mercurii, Jovis et Saturni, hora III, Martis et Veneris hora X (uberius) explicuit J. P. De Bruyn, P. O.

Pandectas, diebus Lunæ, Mercurii, Jovis et Saturni, hora X, exposuit Idem.

Jus Civile hodiernum (Gallice), sexies per septimanam, hora, IX,

Jus Publicum (Latine) diebus Martis et Veneris, hora III, docuit H. F. Decoster, P. O.

Jus Criminale Hodiernum, diebus Martis, Mercurii, Jovis et Veneris, hora VIII, professus est F. M. Birnbaum.

TEMPORE AESTIVO.

I. IN ORDINE PHILOSOPHORUM ET LITERATORUM.

G. J. Bekker scholas *Isocrateas* continuavit, cum iis *Disputandi Exercitationes* conjunxit, diebus Martis, Mercurii et Veneris, hora VII matutina; denique, Philologiæ studiosis, explicato *Platonis Philebo*, *Lycurgi Orationem Leocrateam* interpretatus est, eosque in *Graece scribendo* exercitavit, diebus Martis et Mercurii; hora IV.

F. J. Dumbeck, solitis diebus, sed hora VI matutina, *Historiam Universam*; deinde, tempore supra indicato, *Antiquitates Romanas* et *Historiam Europae Politicam* continuavit, sed simul cum hac ulteriori, omni die Veneris, *Exercitationes Disputatorias* conjunxit.

J. B. Liebaert *Logicam* et *Metaphysicam* ad finem perduxit; *Philosophiam Moralem*, tempore postmodum e tabulis indicato, addidit.

G. J. Meijer P. O. diebus Lunæ, Martis, Jovis et Veneris, hora II, *Linguae Belgicae Grammaticam* (duce Grammatica sua, Bruxellis edita) Gallice explicavit, simulque *Exercitationes Belgice scribendi* instituit : partim etiam quædam ad stilum Belgicum pertinentia docuit (ducib. Chrestomatiis « Nederduitsch Leesboek » et « tweede Nederd. Leesboek »). Denique *Historiam Patriam*, diebus Mercurii et Saturni, eadem hora, narravit.

J. Jacotot, *Gallicas Literas* tradere perrexit.

II. IN ORDINE MEDICORUM.

G. J. Van Gobbelschroy *Physiologiam* et *Pathologiam Generalem* terminavit.

C. J. Jacmart lectionibus, hiberno tempore inceptis atque hora VIII continuatis, ter per hebdomadem *Medicinae Legalis* præcepta addidit.

J. M. Baud, hora VII, diebus autem solitis, cum *Chirurgia Practica* continuata, diebus Martis, Mercurii, Jovis, Veneris et Saturni, hora III, *Theoriam Chirurgiae* copulavit.

A. Van Solingen die Lunæ, hora III, Mercurii hora II, *Artem Obstetriciam* et *Morbos* tam *Gravidarum* quam *Puerperarum* explanavit: die Saturni, hora XI, *Argumenta* et *Quaestiones* dictavit; hora XI et dimidiâ *Praxi Clinicae* (quoties puerperæ in Nosocomio *Civili* decubuerunt) præfuit; denique theoriæ peritis aditum fecit ad *Institutiones Clinicas*, in *Nosocomio Obstetricio*.

J. M. Zinkgraeff lectiones inchoatas terminavit.

III. IN ORDINE DISCC. MATH. PHYSICARUM.

F. J. Goebel *Elementa Matheseos*, *Astronomiam*, *Calculi differentialis et integralis principia* continuavit. Denique, die Lunæ, hora XI, *Geometriam Analyticam* et *Methodum resolvendarum Æquationum numericarum altiorum graduum* exposuit.

F. J. Adelmann *Mineralogiam* terminavit; *Zoologiam* diebus Martis, Jovis et Veneris, hora IX, et *Botanicam* iisdem diebus, hora VI matutina, docuit.

J. F. SENTELET atque

J. B. VAN MONS, quas dare inceperant, lectiones continuarunt.

IV. IN ORDINE JURECONSULTORUM.

F. M. BIRNBAUM *Jus Criminale*, *Historiam Juris* et *Jus Naturae* dare perrexit.

J. P. DE BRUYN quoque inchoatas lectiones, tempore indicato, continuavit.

H. F. DECOSTER lectionibus *Juris Civilis Hodierni* et *Juris Publici*, diebus Lunæ et Mercurii, hora IV, *Practicum Juris*; diebus Jovis, eadem hora, *Diplomaticam* adjecit.

IV.

ACTA ET GESTA
IN SENATU, TAM ACADEMICO
QUAM AMPLISSIMO.

V.

4

ACTA ET GESTA IN SENATU
TAM ACADEMICO
QUAM AMPLISSIMO.

I.

PRID. NON. JANUARII MDCCCXXII.

Rector Acad. M. certiorem fecit Senatum, Professori hum. A. Ten Broecke Hoekstra, quam jam pridem flagitaverat, ab augustissimo Rege concessam esse muneris abdicationem.

II.

PRID. ID. JANUAR.

Prælecta est Summa Statutorum, disciplinam, quam Professorum quivis in scholis suis tueri debeat, sistentium, a Senatu jam diu promissa, et a Summo reipublicæ literatæ Moderatore iterato expostulata; quæ deinceps cum literis, statutorum commentarium continentibus, ad excellentissimum virum mittebatur.

III.

III KAL. APRILES.

1. Prælectum est Summi harum rerum Administri responsum de Statutis Academicis, ipsi Prid. Id. Jan. exhibitis, quo jussus est Senatus, ut ea simul cum universo Statutorum Academicorum codice mox ederet,

4

2. Prælectæ sunt literæ CAROLI HAUFF, Professoris Gandavensis v. cl., de *Commercio literario cum plurimis Academiis Germaniae aliarumque terrarum instituendo*. Cui quidem commercio, omnium fere suffragiis, statim accedebat Senatus.

IV.

POSTRID. ID. MAJAS.

1. Senatus ex mente articuli CLXXXIV statut. reg. senarium elegit numerum Professorum, ex quo ab Augustissimo Principe desumeretur, qui anno sequente Academiam regeret.

2. Placuit Senatui, ex commendatione Ordinis Phil. et Literatorum, ut (juxta art. XXX stat. reg.) FRIDERICUS AUG. AB REIFFENBERG, Hannomontanus, hoc tempore in Athenæo Bruxellensi Professor, nuperrime ab Aug. Principe ad extraordinariam in Ordine Phil. et LL. HH. professionem propositus, nomine *Philosophiae Theoreticae Magistri et Lit. Hum. Doctoris* salutaretur.

3. Idem honor in virum doctissimum, GUIL. ROETHER, Agilasterhusano-Badensem, in Gymnasio Heidelbergensi Professorem, collatus est.

V.

PRID. ID. JULIAS.

1. Senatus Academicus, quum Ordo Disciplinarum Mathematico-physicarum (ex articulo XXX stat. reg.) CAR. FRIDERICUM HERZOG, Glauchavio-Shoenburgo-Saxonem, in Academia nostra in rebus ad Historiam Naturalem pertinentibus Ammanuensem doctissimum, propter insignia hujus viri merita, dignitate *Matheseos Magistri et Philosophiae Naturalis Doctoris* ornari decrevisset, volens ei hanc publicarum gratiarum tesseram concessit.

2. Programma *Certaminis Literarii* in proximum annum proponendi, a Senatus Secretario lectum, comprobavit.

VI.

VIII KAL. AUGUSTAS.

Coram Senatu amplissimo, in Auditorio majori, G. J. Meijer (ab Rege Augg. XV Jan. h. a. Phil. et Lit. hum. Professor Ordinarius edictus) sermone Batavo publicam habuit orationem inauguralem.

VII.

PRID. KAL. AUGUSTAS.

Electi sunt (ex artt. CVIII, CXXXIV, CXCIV stat reg.) sex diversorum Ordinum Professores, muneris Senatus Secretarii in annum proximum Candidati.

VIII.

PRID. IDUS AUGUSTAS.

Communicata est cum Senatu constitutio regia (XXX Julii No. 71 decreta), qua studiosis juvenibus, qui ab alia Universitate, quam ea, ad quam pertinent, in Certamine literario, in posterum, præmio fuerint ornati, itineris, eapropter instituendi, sumtuum faciendorum reparatio clementissime concedetur.

IX.

NONIS OCTOBRIBUS.

Ill. Curatoribus in Senatum introductis, in Senatu Amplissimo C. F. Jacmart, vir exp. (regio decreto, XXX Junii, in annum proximum *Rector Academiae M.* designatus) jusjurandum ex art. CXXXVI præstitit.

Deinde ab hoc Senatu Amplissimo (juxta articulum CVIII statutor. regior.) electi sunt, qui novo Rectori adsint *Assessores:*

I. Ex Ord. Discip. Math. et Phys.

J. F. SENTELET;

II. Ex Ord. Juridico:

J. PH. DE BRUYN;

III. Ex Ord. Phil. et Lit. Hum.

F. J. DUMBECK.

Tum in conventu Curatorum, Rectoris et Assessorum, ex Art. CXCIV, *Senatus Secretarius* electus est F. M. BIRNBAUM v. cl.

Jam J. A. AB REIFFENBERG, ad munus suum XXIII Maji vocatus, ex art. CXXCVII, jusjurandum Professoris præstitit.

His peractis vir cl. G. J. BEKKER munus Rectoris Academiæ posuit, in Aula Academiæ majori publica oratione habita.

Qua terminata idem fata Academiæ omnino læta (nisi dolenda sit J. B. LIEBAERTI valetudinis infirmitas, propter quam vir ampl. regia munificentia rude donatus est) narravit; atque, recitatis a Senatus Secretario, F. J. DUMBECK, Judiciis diversorum Ordinum de Responsis ad Quæstiones pro Certamine literario propositas, prælectisque novis in sequentem annum Quæstionibus; laudes et præmia optime merentibus solenniter distribuit, novoque Rectori, in cathedram vocato, honorificentissimum locum reliquit.

V.

PROGRAMMA
QUAESTIONUM

AB

ACADEMIA LOVANIENSI

SINGULARUM DISCIPLINARUM STUDIOSIS

IN ACADEMIIS ET ATHENÆIS BELGICIS

PRO CERTAMINE LITERARIO ANNI MDCCCXXIII

E DECRETO REGIO XXV SEPTEMBRIS MDCCCXVI

ART. CXL AD CIL

PROPOSITARUM.

QUAESTIONES

AB

ACADEMIA LOVANIENSI

SINGULARUM DISCIPLINARUM STUDIOSIS

IN ACADEMIIS ET ATHENÆIS BELGICIS

PRO CERTAMINE LITERARIO ANNI MDCCCXXIII

E DECRETO REGIO XXV SEPTEMBRIS MDCCCXVI

ART. CXL AD CIL

PROPOSITÆ.

I. AB ORDINE PHILOSOPHIÆ ET LITERARUM HUMANIORUM.

I.

Cum ad quæstionem anno proxime elapso propositam :

« Conscribatur Historia Senatus Romani; ita quidem ut, accurate fontibus undique excitatis doceatur, quæ fuerit origo potestatis Senatoriæ; quæ ejus in rem Romanorum

V.

publicam, omni tempore, sub qualibet reipublicæ (Regiæ, Liberæ, Cæsareæ) formâ, et vis et auctoritas; quæ hujus auctoritatis incrementa, vicissitudines, imminutio, interitus....»

unica, quæ exhibita fuit responsio, præmio ornari non posse videretur, eandem in annum sequentem rursus proponendam statuit Ordo.

II.

Exhibeatur Commentatio Antiquario-critica De Judiciis Ephetarum apud Athenienses.

III.

Conscribatur Elogium ERYCII PUTEANI, celeberrimi quondam in Academiâ Lovaniensi Professoris.

II. AB ORDINE MEDICORUM.

Quæritur, ut exponantur variæ doctorum virorum sententiæ de origine et natura Calli Ossium; deinde observatis in homine, nec minus experimentis in animalibus institutis, probabilior inferatur theoria ossium fractorum coalitus.

III. AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM.

I.

Datis Exoctaëdro et Icosidodecaëdro (quæ sunt Polyëdra semiregularia, quorum prius sex quadratis æqualibus et octo triangulis æqualibus et æquilateris; posterius duodecim

Pentagonis regularibus æqualibus et viginti triangulis æqualibus et æquilateris comprehenditur, quorumque omnes acies sibi sunt æquales) postulatur: Ut 1) hisce Polyëdris duobus regularia inscribantur eaque circumscribantur; 2) Rationes inter aciem cujuslibet Polyëdri propositi ad aciem Polyëdri regularis, tam inscripti quam circumscripti exhibeantur.

Præprimis Ordini solutio, in præceptis mere Geometricis innixa, grata erit.

II.

Exponantur variæ doctorum virorum De Sexu Plantarum opiniones ita, ut exinde fœcundatio vegetabilis, cum animali comparata, eruatur.

III.

Quum Phænomena Electrica recentiorum alii fluidis duobus, alii unico adscribant: producantur argumenta, quibus singula systemata impugnari possint, et justa inde, ex allatis utrinque rationibus, deducatur conclusio.

IV. AB ORDINE JURECONSULTORUM.

Quæritur: Quid sit exceptio rei venditæ et traditæ; quæ ejus fundamenta, qui effectus: cui et contra quem detur; quisnam sit ejus usus in actione Publicianâ? Singula responsa confirmentur tum ex textibus Juris Romani, tum a ratione: denique elucidentur decisiones circa hanc exceptionem notatu digniores, quæ in eodem jure sparsim inveniuntur.

5.

Responsa, oratione Latina, manu aliena, nitide scribenda, unâ cum schedula, nomen auctoris occultante, cui eadem sit, quæ responso inscriptio, ad virum cl., qui tum Senatui Academico a Secretis erit, *a. Kalendas Junias* MDCCCXXIII mittuntor, ut victores ex decreto regio, justo tempore, præmiis ornari possint.

Lovanii Postridie Idus Julias MDCCCXXII.

VI.

SERIES DISSERTATIONUM

PRO SUMMIS VARIARUM SCIENTIARUM DOCTORIS HONORIBUS CONSEQUENDIS

PER TOTUM ANNUM PUBLICE

DEFENSARUM.

SERIES DISSERTATIONUM

PRO SUMMIS VARIARUM SCIENTIARUM DOCTORIS HONORIBUS CONSEQUENDIS

PER TOTUM ANNUM PUBLICE DEFENSARUM.

IN ORDINE MEDICORUM.

MDCCCXXII, XI FEBRUARII.

Dissertatio *De Muriate Hydrargyri Oxydulati*, auctore Andrea Cohen Khonraad, ex Montibus ad Zoomam; qui idem XI Aprilis vel *Artis Obstetriciae* Doctor creatus est.

XV MAJI.

Dissertatio *De Haemorrhagia proprie dicta in genere*, auctore Petro Francisco George, Bruxellensi.

XXXI MAJI.

Dissertatio *De Scorbuto*, auctore JOANNE FRANCISCO VLEMINCKX, Bruxellensi.

I JUNII.

Dissertatio *De Gastro-Enteritide Acuta*, auctore FRANCISCO CORNELIO FRANSMAN, Ninovia-Flandro.

V JUNII.

Dissertatio *De Scarlatina*, auctore PETRO HENRICO HAMMELRATH, Venlonensi.

XI JUNII.

Dissertatio *De Angina Tonsillari*, auctore ADOLPHO WERINHERO EVRARD, Athensi.

XVIII JULII.

Dissertatio *De Angina Laryngo-Tracheali*, auctore CAROLO DAVID, Tornacensi.

XIX JULII.

Diss. *De Ascite*, auctore CAROLO BARTHOLOMÆO GELDERS, Mosacensi.

Eodem die EM. ALBERTUS LECLERCQ *Chirurgiae* Doctor renunciatus est.

V AUGUSTI.

Diss. *De Phlebitide s. Venarum Inflammatione*, auctore ISID. NIC. JOSEPHO CARLIER, Sonegiensi.

VI AUGUSTI.

Diss. *De Fractura extremi inferioris Peritonei cum Luxatione pedis ad interiora*, auctore FRIDERICO JOANNE LUTENS, Teneræmundano.

VII AUGUSTI.

Diss. *De Asthmate Adultorum*, auctore Francisco Joanne Antonio Vandonghen, Antverpiensi.

IN ORDINE JURECONSULTORUM.

MDCCCXXII, XXVI JANUARII.

Diss. *De Interdictione*, auctore Petro Josepho Malevé, Jauchiensi.

XXI FEBRUARII.

Diss. de Quæstione : *Utrum Summum Imperium ita populo inhaereat, ut ab eo in aliam personam transferri nequeat?* auctore Ed. Antonio Soënens, Gandavensi.

XXII FEBRUARII.

Diss. *De Paternitate et Filiatione*, auctore Eduardo J. C. P. A. Cuypers, ex Hoeven Brab. Septentrionalis.

XIII MARTII.

Diss. *De Marito Tori Violati Vindice*, auctore Leonardo Pirmez, ex Châtelineau.

XXX MARTII.

Diss. *De Legum Promulgatione*, auctore Jo. Francisco Van Zuylen Van Nyevelt, Brugensi.

IV MAJI.

Diss. *De Adoptione ex Jure Rom. et Hod.* auctore Jo. Francisco Radelet, Walhainio.

XVII JUNII.

Diss. *De Crimine Infanticidii; sistitur interpretatio et censura eorum, quae Jus Hod. de hoc crimine statuit,* auctore Carolo Eugenio Imbert, Brugensi.

XVI JULII.

Diss. *De Condictione Indebiti juxta Jus Rom., indicatis Juris Hod. ac Rom. differentiis,* auctore Jo. Philippo Marneff, Lovaniensi.

XXIV JULII.

Diss. de Quæstione : *Quibus modis Usus-fructus hodie solvatur?* auct. P. J. Franc. Joanne Vanderbeken-Pasteel, Arschotano.

III AUGUSTI.

Diss. *De Collatione Bonorum ex J. R. et H.* auctore Jos. Henrico Tarte, Namurcensi.

V AUGUSTI.

Diss. *De Rei Vindicatione,* auctore Fr. Ant. Maria De Fierlant, Turnholtano.

VIII AUGUSTI.

Diss. *De Substitutionibus Codice Civili hod. prohibitis,* auctore Fr. Lamberto Dauw, Lovaniensi.

IX AUGUSTI.

Diss. *De Delictis, tum ex principiis universalibus, tum ex Jure Rom. et J. Gallico recentiori,* auct. Petro Jos. Van der Ton, Antverpiensi.

X AUGUSTI.

Diss. *De Talione et poenae mortis ad eam relatione*, auctore RODOLPHO WINSSINGER, *Ghislenopolitano*, *Regii Ordinis Guilielmi Equite.*

IN ORDINE MATHEMATICORUM ET PHYSICORUM.

XVII JULII.

Diss. *De Locis punctorum contactus planorum, duas sphaeras communiter tangentium, posito unius radio variabili*, auctore HENRICO JOSEPHO KUMPS, ex Isca Superiori.



VII.

REDEVOERING

OVER

DE BEOEFENING DER NEDERLANDSCHE TAAL, HET BESTE MIDDEL TER BEVORDERING VAN WARE VADERLANDSLIEFDE.

REDEVOERING

VAN

GERRIT JOAN MEIJER,

OVER DE BEOEFENING

DER NEDERLANDSCHE TAAL,

HET BESTE MIDDEL TER BEVORDERING VAN WARE VADERLANDSLIEFDE.

GEHOUDEN, TER AANVAARDING VAN HET HOOGLEERAARAMBT IN DE NEDERLANDSCHE LETTERKUNDE, WELSPREKENDHEID EN VADERLANDSCHE GESCHIEDENIS, AAN DE HOOGESCHOOL TE LEUVEN, DEN 25 VAN HOOIMAAND MDCCCXXII.

AAN DE

WEL EDELE GROOTACHTBARE HEEREN,

BEZORGEREN

VAN

DE HOOGESCHOOL

TE LEUVEN,

WORDT DEZE REDEVOERING MET VERSCHULDIGDE GEVOELENS VAN HOOGACHTING EN EERBIED TOEGEWIJD.

Wel Edele, Groot Achtbare Heeren, aan wie de zorg en het [illegible]gt over deze Hoogeschool zijn opgedragen! Voorstanders, beschermers en beoefenaars der Wetenschappen!

Verdienstelijk man, wien het voeren der penne bij dezelve is aanbevolen.

Hooggeleerd, Wel Edel Heer, die aan het hoofd van den raad onzer Hoogeschole zijt geplaatst! Hoogstgeleerde ambtgenoot!

Beroemde Hoogleeraren in de onderscheidene vakken van wetenschappen! zeer geachte ambtgenooten.

Hoogstaanzienelijke Heeren, leden van staats,-stads-regts-of eenig ander bestuur!

Zeer Eerwaardige bedienaars van den godsdienst!

Wel edele, Zeer Geleerde Heeren, die het regt verdedigt, de geneeskunde beoefent, in de letteren onderwijst, of U aan de schoone kunsten toewijdt!

Uitgelezene jongelingschap, Kweekelingen dezer Hoogeschole, toekomstige steun en sieraden der maatschappij!

Wie gij verder zijn moogt, die mij met Uwe tegenwoordigheid vereert, zeer geachte, zeer gewenschte Hoorders!

Wij allen weten bij ondervinding, dat dikwijls de eerste aanhef eens redenaars, veelal het eerste woord, ja soms de eerste klank, de stemming geeft, waarin zijne geheele voordragt wordt aangehoord en opgenomen. Onze oplettendheid is verdubbeld, onze verwachting op het hoogst gespannen, wij hangen, als het ware, aan zijne lippen, om te vernemen, waarover hij ons zal onderhouden, en hoe hij zijne taak ten uitvoer zal brengen. Somwijlen zelfs snelt onze verbeelding den redenaar vooruit, en wij hebben vooraf reeds bepaald, waarover en hoe hij spreken zal.

Welke gewaarwordingen moeten dan, bij mijne verschijning aan deze plaats, mijn hart niet bestormen, daar ik de eerste ben, die aan deze aloude en beroemde Hoogeschool, mijne nieuwe waardigheid, met het houden eener redevoering, in de nederlandsche taal, aanvaarde. Ik lees in uwe blikken de verwachting, dat mijne rede van de kracht en schoonheid onzer tale getuige, en dat mijne voordragt welsprekend zij. En zal ik aan deze verwachting voldoen?

Wel is waar, het is mij niet vreemd in het openbaar te spreken; reeds meermalen mogt ik het woord voeren voor eene talrijke vergadering; maar toen trachtte elk den jeugdigen beoefenaar te bemoedigen, toen mogt ik toegevendheid inroepen, en het bewustzijn van die te erlangen, sterkte mijne houding en mijne stem. Thans mag ik op deze zelfde toegevendheid niet meer rekenen, thans moet de waardigheid van mijne nieuwe roeping, en het innig bezef van de pligten, welke zij mij oplegt, mijnen moed onderschragen. Doch zoo mij ook deze vrijmoedigheid mogt ontbreken, G. G. H. H. is dan de bescheidenheid ook niet een sieraad der geletterden? ja, betaamt zij zelfs den welsprekenden redenaar niet? en heeft zij niet vaak eene zekere beschroomdheid ten geleide?

Door zijne Majesteit, onzen geeërbiedigden koning, benoemd, om aan deze Hoogeschool onze moedertaal meer en meer te doen kennen en beminnen; om hare letterkundige schatten op prijs te leeren stellen; en om, door middel van de vaderlandsche geschiedenis, het Vaderland te doen beminnen; welk een vereerend vertrouwen, maar ook, welk eene gewigtige taak! En heden moet ik, door deze redevoering, die gewigtige taak aanvaarden.

Bovendien bevind ik mij thans op eene plaats, welke ik niet dan met den hoogsten eerbied betreed; in een gestoelte, slechts ter belooning van uitstekende verdiensten bestemd; en omgeven van mannen, die, in het gebied van letteren en wetenschappen, reeds met den meesten roem bekend zijn. Ik gevoel zelfs de onzigtbare nabijheid van zoo vele doorluchtige mannen, die dezer Hoogeschole eertijds tot luister verstrekten, en haren roem in het boek der onsterflijkheid deden pralen; die

het mij ten pligt stellen, om dien alouden roem te helpen handhaven en uitbreiden. Is het dan niet natuurlijk, dat ik, bij de overweging van zoo vele en heilige pligten, met eene godsdienstige huivering bevangen ben? dat ik, geheel in mij zelven gekeerd, niet trachten kan, door uiterlijkheden te schitteren? dat ik dus eerder verdien, met welwillendheid, dan met een gestreng oordeel, gehoord te worden?

Doch overtuigd, dat gij mijne gemoedsstemming eerbiedigt, en gesterkt door de gunstige gevoelens, welke gij reeds te mijnen aanzien hebt aan den dag gelegd, treed ik bemoedigd ter zake.

In mijne benoeming tot dezen leerstoel ligt reeds min of meer het onderwerp mijner redevoering opgesloten; ik moet tot U spreken over onze moedertaal. Veel is er reeds over deze rijke stoffe gesproken of geschreven, 't welk ik niet kan of wil herhalen; veel ook zoude daarover nog te zeggen zijn, dat, in mijne betrekking en op deze plaats, ontijdig of onwelvoegelijk konde schijnen. Onder de weinige gezigtspunten dus, welke mij ter keuze overbleven, heb ik er een gekozen, dat, geheel uit mijn hart gevloeid, ook niet nalaten kan, tot het uwe te spreken, namelijk: *Over de beoefening der nederlandsche taal, het beste middel ter bevordering van ware vaderlandsliefde.*

Volgt mij dan met uwe vereerende oplettendheid.

Wanneer wij de geschiedboeken der volken openen, die zich allengs in de verschillende oorden van dit wereldrond vestig-

den, dan ontwaren wij al spoedig ook bijkans even zoo vele talen. En waar, van de vroegste tijden af, tot op den dag van heden, een en het zelfde volk door verschillende spraken verdeeld was, smolten deze van lieverlede in ééne volkstaal te zamen.

Ik waag mij niet in het veld der gissingen, van waar alle deze talen zijn ontstaan; en ik wil uwe aandacht ook niet vermoeijen met eene drooge optelling van dezelve. Ik vergenoeg mij thans met U deze erkende waarheid in het geheugen terug te roepen: dat elk volk, na dat het zijne blijvende haardsteden gekozen en gevestigd had, ook weldra de behoefte eener eigene taal gevoelde. En wat was ook natuurlijker? Elk deel aarde heeft zijne eigene gedaante, zijne eigene voortbrengselen; en om beide te genieten, gelijk de milde natuur die aanbiedt, moesten de bewoners hunne behoeften en begeerten naar dezelve wijzigen. Immers, de levenswijs van het Noorden was niet geschikt voor het Zuiden, en die van het Oosten zoude aan het Westen niet voegen .Die eigene voortbrengselen en derzelver gebruik verkregen aanstonds eigene benamingen; en de schier dagelijks groeijende behoeften en derzelver voldoeningen vermeerderden gedurig het aantal van oorspronkelijke, of van de reeds bestaande afgeleide, woorden. Nu ontstonden er ook eigene gewoonten en zeden, die al wederom eigene gezegden en spreekwijzen voortbragten; en met den voortgang der eens gevormde maatschappij ontwikkelden zich allengs nog andere eigenheden, welke, gepaard met die van luchtstreek en voortbrengselen, weldra eenen nieuwen kring van denkbeelden vormden, die ook nieuwe bewoordingen vorderden. Deze moesten natuurlijk uit den boezem der aangeborene of medegebragte taal worden opgedolven; of, bij aldien die taal van vreemden grond was overgebragt, dan werden ze toch door de eigenheid van denk-en

leeftrant gewijzigd. Dit is de eenvoudige oorsprong van zoo vele eigene talen, die zich wederom in zoo vele takken verspreidden, als er volken waren, die eigene gewoonten en hebbelijkheden hadden; en ziet daar tevens den eenvoudigen sleutel ter oplossing van het groote raadsel der verschillende tongvallen en taalwijzigingen.

Voor de taak, welke ik thans op mij heb genomen, zij deze wenk voldoende, om op uwe toestemming te rekenen, dat de meeste volkeren hunne eigene taal hebben en behoeven. Ten minste, dat een volk, 't welk zijne eigene taal bezat, deze nimmer voor eene vreemde verzaakte, dan ten nadeele van zijnen oorspronkelijken volksgeest. Wilde ik de noodzakelijkheid eener eigene taal, als bij tegenstelling, treffend voor uwe verbeelding schilderen, dan zoude ik zeggen: Ziet, hoe de overweldigers der volken hunne taal aan de overwonnenen opdrongen, wel overtuigd zijnde, dat deze, bij het behoud eener eigene taal, zich nooit met hunne overheerschers zouden vereenzelvigen. Doch ik houde mij ter zake.

Slechts door eene eigene taal zijn wij een eigen en afzonderlijk volk. Deze onwraakbare waarheid wordt door de stem van ons hart en die der ervaring gestaafd, zij behoeft geen breed betoog. Zij geleidde onze voorouders en die van zoo vele andere volken. Getuige hunne vlijt en zorgen, om hunne taal te handhaven, en, bij eene klimmende beschaving, ook de taal te beschaven en te veredelen. Want, hoe zouden een opgehelderd verstand, een verfijnd gevoel en een gezuiverde smaak zich met eene ruwe taal kunnen vergenoegen? Lang bleef zij dus niet tot de gezellige behoeften beperkt, zij werd tot eenen ruimer' en edeler' werkkring verheven. De zangdrift ontwaakte en stortte haar gevoel in maatgeluid en beeldspraken uit; de

deugden der vaderen werden voor het nakroost geboekt; en de maatschappelijke behoefte vormde den redenaar. Zoo werd de taal verrijkt, en even als de vruchten van den grond, werden deze vruchten van den geest, vaderlandsche voortbrengselen genoemd, en zij haalden de banden, die den Nederlander aan den geboortegrond hechten, nog vaster digt.

Zij, die den geest der talen en de geaardheid der volken, met eenen wijsgeerigen blik, gadeslaan, hebben reeds lang den wederkeerigen invloed van taal op volkskarakter, en van karakter op volkstaal, opgemerkt. De taal, die met onze ligchamelijke en verstandelijke behoeften gelijken tred houdt, die met onze ontluikende beschaving zich ontwikkelt, en zich, bij onzen grootsten volksluister, ook in hare volle glorie vertoont, moet natuurlijk een innigst deel van onze zelfstandigheid uitmaken. Zij alleen past aan den grond, dien wij bewonen; zij alleen buigt zich naar onze eigenaardige denk-en handelwijze; zij alleen beantwoordt volkomen aan onze zeden en gewoonten; door haar alleen kunnen wetten en verordeningen tot ons verstand en hart spreken. Deze waarheid is zoo eenvoudig, dat reeds velen, voor mij, daaruit deze gevolgtrekking hebben afgeleid: nimmer zal het nationale karakter verloren gaan, zoo lang de volkstaal in hare oorspronkelijke eigenaardigheid zuiver bewaard wordt. Elk volk dus, dat prijs stelt op de bewaring en handhaving van zijne nationale zelfstandigheid, zal ook de ijverigste pogingen aanwenden, om de landstaal te bewaren en te handhaven, vooral daar, waar mensch-en staatkunde haar als de natuurlijkste grensscheiding tusschen een volk en zijne naburen hebben gesteld.

Verre zij van mij de gedachte, om te willen beweren, dat

de beoefening eener vreemde taal ook ons karakter zoude vervreemden. Wilde ik die stelling voordragen, de ondervinding van alle tijden, het voorbeeld der sieraden onder onze medemenschen, ja, wat meer is, mijn eigen geweten zoude tegen mij getuigen. Immers, waardoor breiden wij onze kundigheden meer uit, waardoor houden wij meer gelijken tred met onzen leeftijd, waardoor zijn wij meer echte wereldburgers, dan door de toeeigening van hetgene in het rijk der waarheid, schoonheid en deugd, bij alle volken en in alle talen, ten nutte der menschheid, is voortgebragt? Heeft dan de onsterfelijke MAEONIDES de daden der veroveraars van *Troye*, alleen voor de Grieken, bezongen? Zoude dan de god der dichtkunst zijne heerlijkste gaven aan dezen uitverkoren zanger hebben verleend, om deszelfs godentaal alleen in het naauwbeperkte Griekenland te doen kwijnen? Hebben de lessen van den goddelijken PLATO niet het heiligste licht der wijsbegeerte ontstoken? en zoude men die dan tot het kleine *Hellas* willen beperken? Wat ware er van onze letterkundige beschaving geworden, zonder de, nooit genoeg verheerlijkte, vernuften van *Latium*? Waar vonden wij ooit een geacht' redenaar, die zich niet den welsprekenden CICERO tot voorbeeld en leidsman had verkozen? Beschouwen wij het niet als den grootsten roem van eenen lierdichter, wanneer wij van hem zeggen kunnen: hij streeft den zanger van *Venusium* op zijde? Zoude de zoetvloeijende MARO ons hart niet mogen ontroeren door zijne lijkklagt op den beminnelijken MARCELLUS? Zouden de lotgevallen des zoons van ANCHYSES niet, in alle landen en tijden, gelezen en bewonderd moeten worden? En, op dat ik alles in eens omvatte, vindt men bij Grieken en Romeinen niet de zuiverste bronnen van alle ware geleerdheid? Ook de schriften van de meesten der nieuwere volken mogen ons ten voorbeeld en ter opwekking

dienen. Waar wij iets goeds of iets schoons, in letteren of wetenschappen, vinden, het zij zulks aan de boorden van de Tiber of de Taag, de Teems of de Seine, den Rhijn of de Donau geteeld werd, alles noodigt ons ten genot of ter zelfveredeling uit; alles noopt ons, om deel te nemen aan het letterkundig wereldburgerschap.

Maar geheel iets anders is het, vreemde talen te beoefenen en zich derzelver letterkundigen schat ten nutte te maken, of dezelve, als het ware, in ons staatkundig bestaan in te lijven, en ze tot onze burgerlijke betrekkingen te bezigen. Zoo prijswaardig het eerste is, zoo laakbaar zoude ik het andere durven noemen. Er is eene zeer teedere lijn getrokken tusschen de ware vaderlandsliefde en het wereldburgerschap; maar slechts die echte vaderlander, wiens verstand helder is, en die een welgeplaatst hart heeft, kan deze lijn ontwaren. Zoeken en beminnen wij dan alles, wat wij edels en voortreffelijks bij vreemden vinden; maar zorgen wij vooral, dat wij ons en onze zelfstandigheid niet vervreemden.

Veel, zeer veel, zoude ik nog bij deze algemeene beschouwing kunnen voegen, ware het niet, dat ik meende, U genoegelijker te kunnen onderhouden, wanneer ik van het algemeene tot het bijzondere, dat is, tot mijn hoofdoogmerk terugkeerde. Wel is waar, ik zoude vooraf misschien in een breed betoog moeten treden, om aan te wijzen, welke dan nu onze eigene taal zij. Dan, na de doorwrochte verhandeling van den geleerden Ypeij, ik meen zijne geschiedenis onzer taal, na de erkende oudheid der nederlandsche taal in de nederlandsche gewesten, na het algemeene getuigenis van taal-en oudheidkundige hoog- en nederduitsche schrijvers over dit onderwerp, zal men het

overtollig mogen rekenen, aan de Belgen te bewijzen, dat de Belgische taal hunne taal is; hoe zeer dan ook een klein gedeelte van ons rijk, klein in vergelijking der overige nederlandsche gewesten, de onderscheidene waalsche tongvallen, als overblijfsels hunner gewezen landtaal, mogen beschouwen. Immers was de taal, nu eens de Nederlandsche, dan eens de Vlaamsche, en, eindelijk, meer algemeen de Hollandsche genoemd.

Het zij mij nu vergund, hier met weinige woorden aan te stippen, dat de zoogenaamde Vlaamsche en Hollandsche talen slechts ééne en dezelfde zijn.

Voor de scheiding der noordelijke van de zuidelijke gewesten welke in de zestiende eeuw plaats had, waren de namen van Hollandsche en Vlaamsche talen niet bekend; men beschouwde ze, zoo als behoorde, slechts als eenen verschillenden tongval, eene verschillende uitspraak, en, in beide streken, noemde men dezelve meestal de Nederduitsche taal. Slechts na die ongelukkige scheuring begon men dezelfde taal in twee benamingen te splitsen, en elken der twee tongvallen eene taal te noemen. Het schijnt, dat eene verderfelijke staatkunde, door den geest der tweedragt aangeblazen, daardoor de scheiding tusschen die broederlijke gewesten nog grooter heeft willen maken. Dit gelukte; die twee benamingen grepen stand; de twee magtigste en aanzienelijkste gewesten der beide deelen werden daardoor, als 't ware, tegen elkander overgesteld; en hetgene slechts een natuurlijk gevolg van staatkundige gebeurtenissen was, werd als een middel ter verwijdering aangekweekt. Hoe broederlijk wij thans ook elkander de hand toereiken, hoe zeer wij thans ook gevoelen, dat wij van één bloed en één geslacht zijn, de geest des kwaads schijnt zich

nog altijd tegen de wegruiming van deze afscheidende bemamingen te verzetten. Het vooroordeel heerscht nog, schoon slechts in de dagelijksche zamenleving; want vele vaderlandsche schrijvers, uit de beide gewesten, hebben het reeds met vereende pogingen gelukkig bestreden, en in deszelfs nietsbeduidende naaktheid voorgesteld, zoo dat wij de zoete hoop mogen voeden, hetzelve weldra geheel te zien verdwijnen.

Mogt het geschiedkundig bewijs, dat ik vóor de eenheid onzer taal heb bijgebragt, te zwak schijnen, dan beroep ik mij op den aard en het wezen der taal zelve. Zij, welke in deze gewesten hunne moedertaal nog iets meer dan oppervlakkig kennen, welke dezelve met liefde en ijver hebben beoefend en aangekweekt, verdienen, dat ik hen bij voorkeur oproepe, om mij tot getuigen te verstrekken. Onderzoekt de schriften van Uwen verdienstelijken en schranderen Willems, van Uwen Behaegel, Vervier en d'Hulster, op dat ik deze vier slechts noeme, die met warme vaderlandsliefde hunne taal van het vreemde gezuiverd hebben, en tot haren oorspronkelijken aard zijn doorgedrongen, en ziet, of het niet de taal is van onze gemeenschappelijke voorouders. En hoe vele anderen, hoewel door geene schriften bekend, die, in eenig vak van bestuur of bediening geplaatst, onze taal in hunnen beroepskring bezigen, zoude ik, tot staving van mijne gezegden, kunnen aanhalen.

Wel is waar, die lange treurige scheiding heeft in zoo verre eenigen invloed op onze taal gehad, dat deze eenige verandering heeft ondergaan; doch welke zich alleen tot uitspraak en spelling bepaalt, en nimmer tot den aard en het karakter der taal heeft kunnen doordringen. Een weinig oefening, en liefde

voor de moedertaal, doen dit onderscheid ligtelijk verdwijnen, en alzoo deze grenspaal gemakkelijk overschrijden. Zoo dat het mij dan wel vergund zal zijn, van geene vlaamsche of hollandsche taal meer te gewagen, en de taal, die wij spreken, meer eigenaardig de Nederduitsche of Nederlandsche te mogen noemen.

Na deze kleine uitweiding zoude ik nu tot mijn hoofdoogmerk kunnen terugkeeren, om met U te overwegen, hoe de beoefening der Nederlandsche taal het beste middel zij ter bevordering van ware vaderlandsliefde.

Een alles voldingend bewijs voor mijne stelling zoude ik van den aard onzer taal zelve kunnen ontleenen; hoe zij allergeschikst is voor ons eigenaardig karakter als Nederlanders; hoe zij, in het schoonste verband, overeenstemt met onze denkwijze, onze zeden en gewoonten; hoe zij alleen bekwaam is, onze zelfstandigheid te bewaren, en allen inbreuk op dezelve te weren. Dan, deze aangename taak is reeds, voor mij, door een' echt' nederlander, zoo genoegzaam voldongen; die waarheid is reeds zoo algemeen erkend, dat ik, met de optelling harer bewijzen, hoe heerlijk dezelve mijne redevoering ook mogten versieren, thans eenen overbodigen arbeid zoude verrigten; ook ware het mogelijk, dat ik daardoor de ijdele kregelheid van hen weder opwekte, die, onze taal niet grondig genoeg kennende, de geldigheid dezer bewijzen betwisten. Liever geleid ik U naar een nieuw gezigtpunt, van waar gij onze taal welligt nog niet hebt beschouwd, en waarvan ik, bij deze gelegenheid, mijne aanbeveling voornamelijk wilde ontleenen.

Elk beschaafd volk stelt natuurlijk eenen hoogen prijs op het bezit van eene eigene en geachte letterkunde. Kan het helden noemen, die deszelfs bestaan in den oorlog verdedigden; wetgevers, die de zelfstandigheid handhaafden, de vrijheid bewaakten, den landbouw bemoedigden, nijverheid en kunsten aankweekten; niet minder gaarne noemt het ook mannen, die, in het vak der letteren, den roem van het vaderland helpen bevorderen. Moge het in de ijzeren eeuw voldoende geweest zijn, zich op dezulken te verheffen, die alleen het zwaard wisten te voeren; in onze verlichte en beschaafde dagen wenscht men, dat de roem der letteren elken anderen volksroem verzelle. Wij noemen geen volk meer groot, dat, bij andere redenen tot fierheid, ook niet uitstekende mannen kan opnoemen, die, in het vak der letteren of in het ruime gebied der wetenschappen, den roem van hunnen landaard tot de nakomelingschap hebben overgebragt. Wij prijzen geen volk meer, dat niet even naijverig, op de uitbreiding van letterkundige schatten, als op de vermeerdering van volkswelvaart en rijkdommen, gesteld is; want in onze dagen is de achting, welke men bij eenig volk aan de eigene letterkunde bewijst, zeker de beste maatstaf van deszelfs nationale beschaving, en een voldingend bewijs van ware vaderlandsliefde.

Doch, ik ken de vaderlandsche fierheid van mijne zuidelijke landgenooten; ik ken hunne edele begeerte naar letterkundigen roem; ik weet hoe veel waarde zij hechten aan het bezit van eene eigene letterkunde; en zoude ik dan nu nog zulk een vereerend bezit, met eene langwijlige omslagtigheid en nutteloze woordenpraal behoeven aan te prijzen? of zoude ik nu nog, ik bloos bijkans bij deze vraag, in een breed betoog moeten treden ter staving van mijn gevoelen, dat wij, als Nederlanders,

geene eigene letterkunde kunnen hebben, dan in de Nederlandsche taal? zoude ik mij kunnen vermeten, om nog te willen bewijzen hetgene voor de gezonde rede onwraakbaar, en op zuivere begrippen van eene staatkundige zelfstandigheid gegrond is? Neen, ik koester betere gedachten van uwe inborst; ik weet het bij ondervinding, uw hart is niet gesloten voor de overtuiging; en met hoe vele drogredenen, te dezen aanzien, ook bestormd, geeft gij gaarne gehoor aan het eenvoudige getuigenis der zuivere waarheid.

En welk eene streelende en bezielende zelfvoldoening moet onze aderen niet doorgloeijen, bij het denkbeeld, dat wij nu ook, onder het gebied der letteren, in de rij der volken mogen optreden; dat wij den heerlijken en rijken voorraad onzer letterkundige voortbrengselen, aan onze naburen, als ons onvervreemdbaar eigendom, als het dierbaarste erfdeel onzer vaderen, mogen voorhouden.!

Wil men, dat het der letterkunde eenig aanzien geeft, wanneer zij op eenen grijzen ouderdom mag bogen, welke fierheid moeten wij dan niet gevoelen bij de gedachte: onze Jacob van Maerlant en onze Melis Stoke schreven reeds belangrijke en nuttige werken in onze taal, toen vele andere volken naauwelijks nog wisten, dat zij eene eigene taal hadden. Met welk eenen zuiveren eerbied worden wij vervuld, wanneer wij Hooft en Vondel de onzen mogen noemen. Is de eerste niet een onnavolgbaar geschiedschrijver en een bevallig dichter tevens? Hij, die de werken van Tacitus twee en vijftig maal had doorlezen, om zich daardoor deszelfs krachtigen en zinrijken stijl eigen te maken; hij trachtte tevens den zangerigen Italianen de kunst af te zien, om zijne verzen welluidend en zachtvloeijend te maken. En wat zal ik U van onzen Vondel zeggen? de spraak zoude mij begeven, indien

ik het wagen wilde, den roem van den agryppijnschen zanger uit te meten, van hem, den dikwijls verheerlijkten maar nooit volprezenen. Is en blijft hij niet de vorst onzer dichtkunst, aan wiens verheven licht alle nederlandsche zonen van Apollo nog hun vernuft ontsteken? Waar is de onbedorven Nederlander, nog getrouw aan voorouderlijke zeden, nog liefde gevoelende voor zijne moedertaal, die onzen eerwaardigen CATS niet bemint en vereert? Waar vinden wij eenen volkszededichter, gelijk deze was? Hij, die de grootheid der wereld kende, wilde de zijne in haar niet zoeken. Zijne lessen van menschenkennis en wijsheid, waartoe aanzienelijke betrekkingen en een lange leeftijd hem den weg hadden geopend, wijdde hij aan dat gedeelte zijner medemenschen, welke nog met geene weelderige grootheid besmet waren. Hij koos hunne taal, om beter tot hun verstand en hart te kunnen spreken; en zelfs zijn wat eentoonig maatgeluid, diende hem tot aanbeveling bij die lezers, welke hij zich wenschte. Daardoor is het dan ook, dat wij in alle huisgezinnen van den ouden echten stempel de werken van vader CATS naast Gods heilig woord gerangschikt vinden. —Zoude zulk een drietal niet reeds voldoende zijn, om onze letterkunde aanzienelijk en geacht te maken? zouden zij alleen ons niet reeds kunnen uitlokken, om ons den toegang tot dit heiligdom te banen?

Maar, waar zoude ik beginnen, waar eindigen, wilde ik U alle die letterhelden opnoemen, wier namen, met onvergankelijken luister, in onze letterkunde prijken? mijne krachten zouden mij begeven, wilde ik aan elken hunner die verschuldigde hulde bewijzen, waarop zij eene zoo billijke aanspraak hebben. Doch, voor mijne tegenwoordige taak zij het genoeg, dat ik U, zonder optelling van hunne namen, slechts aanduide, hoe zij ons het vaderland leeren beminnen.

Behoeft het geen betoog, dat godsdienst en zedelijkheid het schoonste sieraad van een volk zijn, dan verdient ook die letterkunde onze grootste achting, waarin beide op het heerlijkst doorstralen; en welke heilige gewaarwordingen moeten ons dan niet vervullen, wanneer wij zien, hoe alle onze vaderlandsche dichters den godsdienst boven alle wereldsche glorie verheffen, en de voornaamste grootheid der Nederlanders in derzelver ware godsdienstigheid plaatsen. Geene nederlandsche lier werd ooit schooner getokkeld, dan wanneer dezelve ter verheerlijking van den godsdienst en van de deugden der Nederlanders was gestemd. Is eene verstandige gehechtheid aan den grond onzer geboorte, eene dankbare herinnering aan hetgene onze voorvaders, ter instandhouding, verzekering en vermeerdering van ons wezenlijk geluk, hebben verrigt, eene der eerste en aangenaamste pligten des gezelligen levens; wel nu, geen land heeft zoo vele dichters aantewijzen, in wier zangen zoo veel warme vaderlandsliefde ademt, als die, welke de vaderlandsche letterkunde U aanbiedt. Ik behoef U alleen onzen HELMERS te noemen, in wiens onsterfelijke zangen het vaderland nog heerlijk en onvergankelijk bloeide, zelfs toen eene vreemde overheersching hetzelve met eene geheele vernietiging dreigde.

En nu, G. G. H. H. wat zegt uw hart bij deze overdenkingen? wij gevoelden de noodzakelijkheid eener eigene taal; men overtuigde ons, dat onze taal, voor ons karakter als Nederlanders volmaakt geschikt en berekend is; wij zien, dat wij in onze taal eene letterkunde hebben, welke die van andere volken veilig op zijde mag streven; wij weten, dat het een geliefkoosd onderwerp voor onze letterhelden is, om het vaderland te verheffen en te doen beminnen; en hieruit vloeit

immers van lieverlede mijn gezegde, als gevolgtrekking voort, dat de beoefening der nederlandsche taal het beste middel is ter bevordering van ware vaderlandsliefde.

Ik zeide U niets ter aanbeveling van onze taal op zich zelve; eensdeels, om dat die gewigtige taak reeds, door zoo vele voortreffelijke mannen, met roem en goedkeuring, is volbragt; en anderendeels, om dat ik geloof, dat men dezelve niet behoorlijk kan schatten, zonder haar grondig te verstaan; en ik vlei mij, dat zij zelve, onder de beoefening, zich genoegzaam zal aanprijzen, door hare welluidendheid, en andere voortreffelijke eigenschappen.

Welaan dan, geliefde landgenooten! dat uw eergevoel ontwake, om in het bezit te willen treden van hetgene uw onvervreemdbaar eigendom is. Wilt U, door meerdere beoefening onzer taal, den toegang openen tot dien letterkundigen schat, waarop onze voorouders den grootsten prijs stelden; waarin onze late naneven nog hunnen grootsten roem zullen vinden; en die, aan alle onze behoeften, als een vrij en zelfstandig volk, als zedelijke wezens, als minnaars van letteren, kunsten en wetenschappen, in overvloed kan voldoen. Velen zijn U, in deze vaderlandsche gezindheden, reeds voorgegaan, en smaken nu reeds de zoetste vruchten van hunnen geringen arbeid. Het vooroordeel van onoverkomelijke zwarigheden, welk door den geest van onwilligheid was voortgebragt, is nu reeds verdwenen, door het voorbeeld van diegenen onder U, die geene zwarigheden meer erkennen. Alle inrigtingen en middelen, die U, bij uwe onderneming moeten geleiden, zijn thans zoo vermenigvuldigd, dat er niets meer van U gevergd wordt, dan eene opregte welwillendheid en een vaderlandlievend hart.

Zoo heb ik dan mijne taak volbragt. Door deze redevoering heb ik dan mijne nieuwe waardigheid plegtig aanvaard, en de vervulling van heilige pligten op mij genomen.

Thans zij het mij vergund, het woord tot U te rigten, Wel Edele, Groot Achtbare Heeren, Bezorgeren dezer Hoogeschool. Heb ik elders, door mijne zwakke pogingen eenig nut gesticht, heb ik daar de goedkeuring mogen wegdragen van hen, die mijne bezigheden gade sloegen, Uw vereerend vertrouwen veronderstelde, dat ik dienzelfden ijver en diezelfde pogingen zoude verdubbelen, wanneer mij een ruimer en verhevener werkkring wierde geopend; en zoo zag ik mij, door uwe genegenheid te mijwaarts, tot eenen leerstoel aan deze aloude en beroemde Hoogeschool beroepen. Ontvangt derhalve, in dit oogenblik, mijnen openlijken en warmen dank voor dit vereerend vertrouwen. Worde ik niet geheel vervreemd van mij zelven, en gelieve het den albestuurder onzer dagen, mijn onwrikbaar voornemen en mijne welgemeende pogingen, met zijnen zegen te bekroonen, dan zult gij in Uwe verwachting, ten mijnen opzigte, nimmer te leur gesteld worden. Moge ik daartoe dan ook, van uwe zijde, die bescherming, die bemoediging en die hulp ondervinden, welke, ik ter vervulling van mijne belangrijke pligten, mogt noodig hebben. Dat des Hemels ruimste zegen, op elk Uwer, in zijne onderscheidene betrekkingen, bezielend nederdale! Dat uwe vaderlijke zorgen voor deze Hoogeschool altijd tot haar welzijn, tot Uwe voldoening, en tot roem van het vaderland gedijen!

Ook U, zeer geachte en vereerde ambtgenooten, Hoogleeraren in de onderscheidene vakken van menschlijke weten-

schap, ook U betuig ik mijnen opregten dank voor de hartelijkheid, waarmede gij mij in Uw midden ontvingt. Wilt mij die opregte vriendschap, die eene wezenlijke behoefte voor mijn hart is, altijd blijven toedragen. Als een opregt en rond Nederlander bied ik U mijn hart en mijne hand, schenk mij de Uwe. Dat Uwe meerdere kunde en ondervinding mij, bij mijne intrede in deze nieuwe loopbaan, beschermend geleide; en mogten mijne geringe vermogens U in iets nuttig kunnen zijn, zij zijn U, van dit oogenblik af, welmeenend gewijd. Laat ons vriend-broederlijk te zamen den weg bewandelen, die tot ons gemeenschappelijk doel geleidt. Dat door onze vereende pogingen de roem van deze, reeds eertijds beroemde, Hoogeschool gehandhaafd en meer en meer uitgebreid worde. Dat wij, door ons voorbeeld en onze lessen, doen zien, hoe vriendschap en eendragt onder elkander, lust en liefde voor letteren en wetenschappen, en vooral liefde voor Vorst en Vaderland ons geheele aanzijn bezielen.

En eindelijk rigt ik mijne rede tot U, Mijne Heeren! Voortreffelijke jongelingen, die aan deze Hoogeschool de kundigheden verzamelt, welke, voor geheel Uw volgend leven, tot Uw geluk en welzijn moeten dienen. Het is voornamelijk ten Uwen behoeve, dat deze leerstoelen werden opgerigt; en het is dus ook op U, dat wij onze eerste en grootste verwachting stellen. Gij wenscht, dat ik U voorga op de baan, welke wij te zamen moeten doorloopen; dat ik, zoo veel als mogelijk is, de moeijelijkheden uit den weg ruime of althans verzachte, die wij mogten aantreffen. Welaan! Ziet mij gereed, mij geheel aan Uw geluk en Uwe belangen te wijden. Blijft mij slechts dat vertrouwen en die vriend-

schap schenken, welke ik reeds bij voorraad van U heb ondervonden, en zonder welke ik ook mijne beste pogingen maar flaauwelijk zou kunnen bekroond zien; blijft maar zoo onvermoeid voortgaan, gelijk gij begonnen hebt, om onze moedertaal meer en meer te leeren kennen en hoogachten, dan voed ik ook de zekere hoop, dat gij nog eens zulke echte Nederlanders zult worden, gelijk onze groote en onsterfelijke voorvaders geweest zijn

Dat de Algoede en Almagtige deze wenschen vervulle! Hij storte zijne beste gaven uit over ons dierbaar Vaderland! Hij zegene in het bijzonder deze stad, en bevordere meer en meer den bloei en voorspoed van deze Hoogeschool!

IK HEB GEZEGD.

VIII.

JUDICIA ORDINUM

UNIVERSITATIS LOVANIENSIS

DE

COMMENTATIONIBUS AD QUAESTIONES

ANNO MDCCCXXI

PROPOSITAS.

JUDICIA ORDINUM
UNIVERSITATIS LOVANIENSIS
DE
COMMENTATIONIBUS AD QUAESTIONES
ANNO MDCCCXXI
PROPOSITAS.

I. JUDICIUM ORDINIS PHILOSOPHORUM ET LITERATORUM.

Ad quæstionem primam :

« Diligenter et adcurate exponatur locus de *Errorum Fontibus*, copiosius præcipue ea parte explicata, quæ est de *Opinionibus Praejudicatis* (vulgo præjudiciis), indicenturque, quænam adhibendæ sint errores undecunque ortos evitandi cautiones : idque ea ratione, ut antiquorum et recentiorum, qui idem argumentum attigerunt, placitis continuo inter se comparatis, suam ipse sententiam auctor adjiciat.... »

una allata est commentatio, hoc inscripta lemmate Ciceroniano :

Natura duce nullo modo quis errare potest.

In qua licet recentissimorum philosophorum placita omnino fere prætermittantur, nec pauca videantur esse reprehen-

denda, sive rerum delectum ac dispositionem spectes, sive orationis Latinæ puritatem et elegantiam : tantam tamen in elaboranda et curam adhibuit auctor et eruditionem præstitit, ut præmium propositum ei esse decernendum videretur. Aperta schedula, observatis iis, quæ articulo Codicis CXLVI præscribuntur, nomen exhibuit

PHILIPPI AUGUSTINI JOSEPHI WUILLOT, PATURAGIO-HAINOENSIS, *Philos. et Lit. Human. in Academia Lovaniensi Candidati.*

Ad alteram quæstionem :

« *Disseratur de Formis rerum publice gerendarum;* ita quidem, ut eruatur ex imâ antiquitate primaria regiminis *origo* et *ratio*, *vis* et *usus*. Deinde ejus per temporum decursum mutatamque civitatum indolem coorta *multiplicatio* et *abusus*. Jam demonstretur *necessitas* formarum summæ rerum gerendæ atque *momentum* ad publicam prosperitatem *salutare*. Tertio recenseantur et explicentur adcuratius *Loci auctorum classici*, tam antiquiorum, quam recentiorum, qui vel proprios hujus argumenti libros in lucem ediderunt, vel data opportunitate in eam rem delapsi sententiam dixerunt. Quum denique jam putidum sit, disceptare de *optima* regiminis forma, diligenter inquiratur in id, quod seu *fructuosum*, seu *vitiosum* in omnibus et singulis inveniatur; quapropter depingatur *civitatum natura*, quibus aut hæc aut alia optime videatur respondere : quem in finem proferatur in medium Libri III caput 88 *Historiarum Herodotearum* atque *agatur judicium* de eo, quod *Verum*, quod *sophisma* sit in illa Procerum Persarum disputatione. Hæc autem omnia et quæque genuinis et luculentis exemplis ac testimoniis, ex universo historiarum orbe depromtis, comprobentur. »

ad eam solvendam tres pugnatores in certamen descenderunt, imparibus tamen instructi viribus. Primi responsio, cui inscriptum est symbolum ex Massillone petitum :

Heureux le peuple qui trouve ses modèles dans ses maîtres, qui peut imiter ceux qu'il est obligé de respecter, qui apprend dans leurs exemples à obéir à leurs lois, et qui n'est pas obligé de détourner ses regards de ceux à qui il doit des hommages....

primo statim adspectu Ordini indigna habita est præmio.

Alterius commentatio festivum illud Ciceronis dictum habet :

Sine imperio non domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus durare potest.

Tertii denique dissertatio hac inscriptione insignita est :

Audere non dedecet.

Hæ duæ ulteriores commentationes ejusmodi sunt, ut earum quævis, si *sola* ad Ordinem esset missa, præmio ornari posse Ordini visa sit. In utraque enim conspicua est, quam luculenter utriusque comprobavit scriptionis auctor, locorum ex auctoribus classicis petitorum colligendorum industria et in eos inquirendi sagacitas, reique totius, quæ describenda erat, haud vulgaris cognitio. In quibus vero rebus maxime a se discedunt, et quibus prior præstantior altero esse videbatur, hæ sunt : ut auctor *illius* enixius argumenta sua peteret ex antiquioribus et philosophis ; *hic* magis e recentioribus et itinerum scriptoribus : ut *ille* religiosius perquireret maximorum virorum placita eaque in

probationem vocaret; *hic* laudaret magis atque sectaretur : ut *ille* sanctius quoddam ex ipsa rerum natura hauriret principium, *hic* magis e superficie caperet : *ille* disponendi, quæ collegerat, invenerat, observaverat, ordine et sollertia clarus, *hic* in iisdem rebus turbatior existeret : *ille* denique præterea, quod altero ditior esset et luculentior, nonnunquam quoque adcuratior, in depromendis ex universa historia exemplis, inque proferendis variis rerum publicarum formis uberior et aptior, in explicando loco Herodoteo doctior, atque puriori sermone Latino usus, altero esset perfectior et potior.

Quapropter huic viro juveni ornatissimo, unanimo Ordinis consensu, posteaquam arcessitus ad quæstiones et objectiones ipsi factas respondit, atque verum se dissertationis auctorem probavit, palma decreta est.

Apertâ nunc demum schedulâ, nomen exiit

LUDOVICI JOSEPHI DELWARDE, NINOVIA-FLANDRI,
in Universitate Lovaniensi Juris Studiosi.

Ut vero vel alter nullo pacto ea laude defraudaretur, quæ tam egregiæ diligentiæ rite tribuenda est, ipsi *honores secundos* Ordo concessit. Atque quum de hac re interrogatus, nomen suum profiteri vellet, auctor dissertationis inventus est

PETRUS WAFELAER, MECHLINIENSIS,
Juris in Academia nostra Studiosus.

Ad quæstionem tertiam :

« Conscribatur historia Senatus Romani cet.... » una tantum exhibita est responsio (cum lemmate : *C'est en entrant en*

lice qu'on sent sa faiblesse), satis quidem diligenter, incomte tamen scripta; sed quæ in principio magis inveterato, quam vero innixa, nimium secuta est explosas circumforaneorum auctorum opiniones, quam justas scriptorum sententias. Quam ob causam præmio ornari ejus auctor non posse videbatur.

F. J. DUMBECK,
Ordini h. a. ab Actis.

II. JUDICIUM ORDINIS DISCIPLINARUM MATHEMATICO-PHYSICARUM.

Ad quæstionem :

« Postulatur methodus, qua, absque calculo differentiali et integrali, determinari possit superficies, seclusa basi, tam coni scaleni, cujus basis est circulus, quam coni pro basi ellipsin habentis, cujus vertex alterutri ellipseos axi perpendiculariter immineat..... »

unica Ordini fuit perlata responsio, hoc symbolum ferens :

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.

Auctor hujus responsionis problematis conditiones bene complexus, magnam disciplinarum mathematicarum eruditionem eximiamque diligentiam monstravit. Quum etiam pauca solum, quæ ad solutionis elegantiam spectant, desiderarentur, dissertationis auctorem præmio dignum Ordo judicavit.

Reclusâ schedulâ nomen legebatur

PETRI WAFELAER, MECHLINIENSIS,
in Academia nostra Juris Studiosi,

qui examine cum eo instituto se verum auctorem præstitit.

Ad alteram quæstionem :

« Referantur præcipua phænomena Chymica, quæ duplicem interpretationem theoreticam patiuntur, illustrando processus, in quibus phænomena quæsita locum habent.... »

una solum responsio ad Ordinem missa est, cui hæc inscripta erat sententia Virgilii :

... *Labor omnia vincit*
Improbus...

Solutionem hanc penitus respondere quæstioni, Ordini visum est; utpote quæ juxta exponendi methodum rite ordinatam digesta est, præterea quod ejus auctor non solum plerasque interpretationes duplices, quibus phænomena Chymica obnoxia sunt, adduxit, sed argumenta quoque huc facientia recte selegit, nullam unquam interpretationem rei alienam protulit, sed breve prolixo dubio prætulit. Quod reliquum est, tota dissertatio sermone nitido et argumento conveniente commendata, præmio digna habita est.

Litteræ commentationi junctæ auctorem prodiderunt

ANTONIUM LEROY, ANTVERPIENSEM,
Medicinae in Academia nostra Studiosum.

Ad quæstionem quoque tertiam :

« Definiatur nutritio corporum organicorum in genere, compareturque nutritionis processus vegetabilium cum pro-

cessu animalium; exponatur deinde progrediens ejus in variis animalium classibus evolutio.... »

non nisi unicum adparuit Ordini responsum, hoc symbolo insigne :

Rerum natura nusquam magis, quam in minimis tota est.

Quod licet stilo minus elegante compositum esset, tamen eapropter præmio non indignum videbatur, quod ejus auctor non solum quæstionis sensum ac naturam bene comprehendit, sed etiam Physiologiæ atque plantarum et animalium cognitionem haud vulgarem, insignemque diligentiam in argumento elaborando commonstravit, justique judicii bona dedit specimina. *Literis reclusis*, atque præscripto lege examine instituto, verum auctorem scriptionis esse cognovit Ordo

JOANNEM DEVYVER, BIERBECKENSEM,
Medicinae in Universitate nostra Studiosum.

FR. JAC. GOEBEL,
Ord. h. a. ab Actis.

III. JUDICIUM ORDINIS JURISCONSULTORUM.

Ad quæstionem ab hoc Ordine propositam :

« Quænam sit differentia inter delicta dolosa et culposa; an ex principiis juris publici universalis civitati jus sit, culposa etiam delicta puniendi; et an Romani unquam, et quo tempore, in delicta culposa pœnam publicam statuerint? Colligantur deinde et explicentur singuli loci Codicis pœnarum

adhuc vigentis, quibus in delicta mere culposa pœna statuitur, indeque sistantur principia generalia, quæ legumlatores Gallici in illis locis sanciendis sint secuti, et ex his regulæ deriventur in locis illis adplicandis a judicibus observandæ. Jam disquiratur, an non de punienda culpa regulæ generales in Codice pœnarum a legumlatore essent proponendæ, ac denique examinetur, quatenus hoc factum sit et in Codice Gallico, anni MDCCCX, et in Codicibus Gallicis anterioribus, et in Codice Batavo a. MDCCCVIII et aliis.... »

unica tantum Ordini exhibita est responsio, his verbis inscripta :

Video meliora proboque.

Quæ quum magna eruditione scripta et in præclarum ordinem disposita esset, nec minus auctoris ingenii acumen, quam laboris perseverantiam proderet, quamvis passim sermonem clariorem amplioremque disquisitionem desideret, præmium ei una voce et consensu decretum, nec eâ ullam reliquarum ab Ordine hucusque præmio ornatarum commentationem digniorem fuisse, judicatum est. Apertâ autem schedulâ, scriptioni adjectâ, nomen prodiit juvenis ornatissimi

RODOLPHI WINSSINGER, GHISLENOPOLITANI, *Regii Ordinis, a Guilielmo nomen adepti Equitis,*

jam Doctor Juris Romani et Hodierni in hac nostra Academia Summa cum laude creatus,

qui, examine cum eo ex lege instituto, commentationem illam tam egregie defendit, ut eum auctorem ejusdem agnoscere

et in certamine literario hujus anni victorem renunciare, nullus ex Ordine dubitaret.

H. F. DECOSTER,
Ord. h. a. ab Actis.

IV. Ad quæstionem, ab Ordine Medicorum propositam, nulla omnino responsio ferebatur.



IX.

GEORGII JOSEPHI BEKKER

ORATIO.

GEORGII JOSEPHI BEKKER

ORATIO

DICTA PUBLICE

NONIS OCTOBR. MDCCCXXII.

QUUM ACADEMIÆ REGUNDÆ MUNUS

DEPONERET.

I.

CURATORES ACADEMIÆ, VIRI AMPLISSIMI, GRAVISSIMI!

COLLEGÆ CLARISSIMI, CONJUNCTISSIMI!

JUVENES LITERARUM STUDIOSI CARISSIMI!

CIVES ET HOSPITES, SUO QUISQUE LOCO, ORNATISSIMI, SPECTATISSIMI!

CUM ante quinque hos annos honorificentissimo doctoris munere publice in has terras arcessitus Lovanii advenissem, mirifice me cepit adspectus cum hujus urbis tum eorum locorum, in quibus acceperam doctissimos quondam viros esse versatos. Nec sine quodam horrore pedem intuli in has ipsas magnificas ædes, augustissimum Musarum sacrarium. Quis enim, nisi omnem humanitatem exuerit, pietatis sensu non perfundatur, cum animo reputet, in eam se regionem esse delatum, ubi non modo doctrinarum omnis generis sed elegantiorum quoque artium studia lætius aliquando florebant quam apud reliquas Europæ gentes plurimas; in eâ vero Academiâ se esse collocatum, quæ ut ætate antecedit omnes fere Italiæ

Galliæ et Germaniæ Academias, ita ob doctrinæ præstantiam ac disciplinæ severitatem virorum omni virtute ornatorum feracissima olim erat et per universum quasi terrarum orbem nominis celebritate nobilitata? Equidem et ingenue profiteor et præ me fero, quam vel primus dies, ubi hæc spatia mihi lustrare et cum collegis congredi licuit, in me vim habuerit, eam necdum ex animo effluxisse nec temporis diuturnitate umquam posse debilitari. At hodierno die quanto vehementius me commotum esse oportet, cum primum publice dicturus prodeo in celeberrimum hunc conventum, ubi perillustres Academiæ Curatores coram me congregatos conspicio; ubi Professores doctissimos, quibus me summis jam beneficiis esse obstrictum sentio; ubi cives ac peregrinos et auctoritate et bonarum artium scientiâ præstantes : qui pleni omnes exspectatione me intuentur, eam se audituros esse a me orationem sperantes, quæ digna sit et Academiæ nostræ splendore et hujus diei solennitate et officii denique mei gravitate? Ipsa autem hæc exspectatio, Auditores Ornatissimi; de qua quidem dubitare me non sinit, quam per plures deinceps annos expertus sum, judicii de me Vestri benevolentia; hæc ipsa igitur exspectatio Vestra me sollicitum habet et ad timorem traducit. Licet enim ex animi mei sententiâ possim affirmare, nullam umquam rem mihi magis cordi fuisse quam ut adolescentes curæ nostræ demandatos ad doctrinam et humanitatem informem hujusque Academiæ, quantum in me est, dignitatem et gloriam amplificem, neque ab honesto hoc studio aut laboris molestiâ aut temporum iniquitate aut mei emolumenti suavitate deterreri me patiar : attamen agnosco et in hoc ipso orationis meæ initio aperte declarandum esse sentio, nondum me pervenisse ad eam dicendi facultatem, qua Vestram de

me meisque studiis spem atque opinionem ullâ ex parte exæquare possim. Etenim aliud est præceptoris officium, quod doctrinæ copiâ maxime cernitur disserendique subtilitate ac perspicuitate; aliud oratoris, qui e suo ipse ingenio promere debet quod audientium animos non modo novitatis gratiâ allicere possit atque tenere, sed permulcere etiam dulcedine et gravitate commovere. Verum has animi ingeniique dotes, quibus oratoriæ laudes potissimum continentur, quamquam mihi adhuc deesse sentio, nolui tamen recedere a laudabili illâ et antiquitus in his terris introductâ et legibus recens firmatâ consuetudine, qua qui magistratum Academicum deponunt, simplici rerum narratione se non continentes, verba faciunt de loco aliquo insigni, qui cum eâ disciplinâ, quam ipsi profitentur, cohærere aliqua ratione videatur. Humanitatis autem studia, quæ ego sum amplexus, cum latissime pateant copiosamque oratori diserto materiam suppeditent; in eligendo dicendi argumento equidem id præcipue spectavi, ut oratio vel disputatio potius mea neque ab hoc tempore officiique mei ratione prorsus esset aliena et, si minus exquisitæ eruditionis laude elegantiæque cultu, ipsius tamen rei, in qua illustrandâ versaretur, præstantiâ et utilitate commendare se quodam modo posset. Dicere itaque mihi proposui,

DE LECTIONE AUCTORUM GRÆCORUM ELOQUENTIÆ POLITICÆ ET FORENSIS DUCE AC MAGISTRA.

Quod dum eâ brevitate, quam temporis ad hæc solennia celebranda concessi angustiæ flagitant, facere conabor; obsecro Vos, Auditores Ornatissimi, ut qua dicere incipientem me audistis benignitate, eâdem quoque pergentem audire ne gravemini.

Haud equidem dubito fore nonnullos qui mirentur, lectionem auctorum Græcorum ad eloquentiæ facultatem a me commendari, cum ipse, qui totum me his literis dederim, infantiæ meæ excusationem petam. Verum eos, ut lenius de me existiment, perpendere velim, non tam ad oratoriam vim, cui plurimum quidem semper tribuebam, hæc studia me retulisse quam ad muneris mei rationes; quod munus universum literarum antiquarum ambitum complectatur et Veterum scriptis diligenter interpretandis potius censeatur quam utilitatibus, quæ ex eorum cognitione percipi queant, ad vitæ usum transferendis. Neque deerunt fortasse qui sic mihi occurant, inepte Græcos in exemplum proponi iis qui aliquando aut caussas sint acturi aut de re publicâ verba facturi, quoniam ingens sit discrimen inter hodiernam et Græcorum rem forensem rerumque publicarum administrationem. Et profecto, qui hanc differentiam in dubium vocare audeat, omnis historiæ et antiquitatis imperitus merito appelletur. Neque enim Græci coram judicibus a summo aliquo imperante constitutis caussas perorabant, sed coram populo plerumque universo; ut cives a civibus judicarentur: neque qui rei publicæ rationibus prospiciebant, coram paucioribus quibusdam e populo selectis viris loquebantur, qui in negotiis totius rei publicæ administrandis operâ suâ et consilio supremum principem sublevarent; sed rerum omnium, quæ ad civium salutem et prosperitatem pertinebant, dijudicatio unice ex populo pendebat: et qui civili prudentiâ dicendique facultate populo se maxime probabant, ii fere totam civitatem moderabantur. Qui igitur nullam omnino aut exiguam certe Græcæ eloquentiæ vim esse statuat in civitatibus illis quæ a solo principe ita gubernantur, ut ne in deliberationem quidem e civibus quisquam adhi-

beatur, et in quibus forenses disceptationes literis et scriptione continentur; is me facile habebit consentientem. Sed aliter profecto se res habet in iis civitatibus ubi et judiciariæ controversiæ in luce et oculis civium agitantur et viri prudentiâ ac patriæ amore præstantes civium ipsorum suffragiis deliguntur de publicis rebus consultaturi. Equidem crediderim, licet origo utriusque instituti aliunde sit repetenda, negari nequàm posse, magnam hís civitatibus esse cum Græcis similitudinem harumque in illis insignia reperiri vestigia. Ibi enim, qui consiliorum publicorum participes sunt facti, de civium suorum commodis oratione publice habendâ sententiam aperire solent, eorumque rursus existimatio ex illorum judicio quodam modo est suspensa. Qui sapientem, moderatum, patriæ civiumque suorum amantem se ostendit, ab his vicissim diligitur et magno in honore habetur: si quis contra cupide et cum animi concitatione agat suasque rationes publicæ saluti anteponat, existimationem amittet neque amissam facile reconciliabit. Ibi prudentia civilis, moderatio, animi magnitudo reliquæque virtutes oratione explicantur et a civibus pro dignitate æstimantur. Iudices quidem in nostris civitatibus maximam partem e summâ principum auctoritate pendent: verum ubi publicæ sunt forenses disceptationes, effugere illi nullo modo poterunt civium recte sentientium vituperationes, si perperam judicarint; si ex veritate et animi sententiâ, omnibus probabuntur. Populus enim justitiæ aut injustitiæ tamquam testis est et spectator, nec æqua judicum sententia aliud quidquam esse videtur quam ipsa justitia civium sensu declarata. Nemo autem est qui ignoret, quantam ad recte judicandum vim habeat patroni diserti oratio prudens ac perspicua, qua judices ad caussam penitus per-

spiciendam certoque judicio ponderandam adducantur. Quamquam igitur dissimulari nequit, eam fuisse Græcorum judiciorum conditionem ut, qui cum laude in iis versarentur, plus valerent eloquentiâ quam legum accuratâ cognitione, cum in nostris judiciis, ubi perpauca solummodo judicantium arbitrio reliquuntur, præcipuum momentum cernatur in legibus ad caussas perite accommodandis; vehementer tamen erraverit qui caussidicum dicendi imperitum et ignarum excellere ullâ ratione posse audeat affirmare. Cum enim ipsâ legum multitudine ac varietate effectum sit, ut molestior fiat caussarum forensium tractatio majoremque animi contentionem requirat, eo diligentius cavendum est, ut judicum animi ad rei summam advertantur in eâque sic retineantur, ut singula quæ adferuntur argumenta complectantur ac pro suâ quodque gravitate perpendant.

Ceterum non est quod hoc loco accuratius doceam quibus in rebus hodiernæ civitates, ubi pauciores delecti viri totius populi partes tuentur, ad Græcarum, quæ a populo tenebantur, rerum publicarum similitudinem accedant aut ab iis discrepent: neque in explicandâ ratione judiciorum Græcorum eorumque cum nostris dissimilitudine hic esse commorandum videtur. Licet enim hæ dissimilitudines in caussâ sint, ut recentior eloquentia politica ac forensis et ipsa aliquantum discedere debeat a Græcorum usu et consuetudine, vim tamen ipsam eloquentiæ ac naturam illæ non attingunt.

Quantum vero ad utriusque eloquentiæ facultatem conducat accurata Græcorum auctorum cognitio, satis me arbitrabor ostendisse, cum nude ac simpliciter docuero, perfectæ

in utroque genere eloquentiæ speciem apud Græcos reperiri et oratoriam vim atque ornamenta per omnia fere monumenta, quæ Græcis literis continentur, ita esse diffusa, ut in iis quoque positum sit præcipuum veræ eloquentiæ comparandæ præsidium.

Non temere eloquentia omnium artium ut difficillima ita primaria semper habita est et præstantissima : quippe quæ reliquas quodam modo complectatur omnes nec nisi ex earum quasi conspiratione efflorescat. Quod igitur apud Græcos evenisse videmus, ut oratores tum demum exsisterent, cum poëtica, historia, philosophia artesque omnis generis non florere tantum cœpissent sed ita essent excultæ, ut ad earum perfectionem nihil amplius accedere posse videretur; idem fere ex historiâ recentiorum populorum, qui quidem aliquam eloquentiæ laudem sibi pepererunt, cognoscere licet. Et fieri profecto aliter non potest, quandoquidem quæ singularum artium propriæ sunt ac peculiares virtutes, eas in oratione absolutâ et perfectâ conjungi atque consociari omnes oportet. Neque enim numeris suis expleta haberi poterit oratio, nisi vim ac vigorem concinnitatemque, quibus opera sculpta commendantur, assumserit; nisi colorum varietatem duxerit ab arte pingendi; nisi harmoniæ suavitate, quæ in cantu et fidibus placet, fuerit temperata; nisi omnibus pæne poëtarum ornamentis exhilarata. Orator porro non singulari tantum sagacitate valere debet ingeniique vi et acumine, non acerrimo tantum vigere pulchri honestique sensu; sed omnes etiam in hominum animis latebras nosse et recessus, omnem historiam omnesque philosophiæ partes mente complecti, reliquasque disciplinas et artes eatenus certe tenere, quatenus earum scientia ad judi-

candum de iis rebus, quæ in deliberationem cadere possunt, contribuere quidpiam videatur. In forensi autem dicendi genere præter has dotes non legum solummodo ac jurium peritiam requiri nemo est qui infitietur. Magnâ insuper opus est mentis alacritate et in difficilioribus caussis explicandis promtâ quadam facultate : quæ tamen ipsa fere inutilis erit, nisi orationis perspicuitas accesserit, qua res obscuræ illustrentur; nisi gravitas, qua salus et innocentia honestorum civium defendantur, improborum flagitia et injuriæ in contemtum et vituperationem adducantur. Totius vero civitatis emolumenta qui tueri oratione velit, penitus perspectam habere debet non præsentem modo illius conditionem, sed ejus originem, progressus, conversiones et vicissitudines omnes; quæ expediant, quæ perniciosa sint, mente et cogitatione prospicere, efficacissimaque in promtu habere remedia, quibus illa promoveantur, hæc avertantur. Quæ proponuntur aut suadentur, caute sunt exploranda, videndumque an optatum sint eventum habitura. Summa itaque requiritur civilium rerum cognitio; in impedimentis ac difficultatibus removendis prudentia et constantia; animus præterea excelsus, sua commoda rei publicæ rationibus postponens et ab omni partium studio alienus.

Quamvis vero illa dicendi adminicula ex aliis doctrinis petenda sunt præcipuæque oratoris virtutes ingenii quadam felicitate et naturæ bonitate continentur, neque excellere eloquentiâ quisquam poterit, nisi doctrinâ omni fuerit ornatus et a naturâ necessariis ad dicendum adjumentis instructus : ars tamen et exempla dici vix potest quantum momenti habeant ad naturæ vitia compensanda et ad ea, quæ illius beneficio nobis obtigerunt, meliora et perfectiora reddenda. Neque inu-

tile existimavit summus antiquitatis philosophus Aristoteles, dicendi leges et præcepta in artis formam cogere : quem secutus Cicero, licet naturâ ad dicendum maxime valeret potioresque illius partes esse censeret, tamen non modo docte ac subtiliter de arte oratoriâ præcepit, verum etiam Græcos, qui dicendi laude inclaruerunt, et ipse acerrimo studio imitatus est et aliis ad imitandum proposuit. Sed de rhetoricâ disciplinâ hoc loco dicere supersedemus, cum nec facile quisquam hujus artis utilitatem infitietur neque argumentum postulet ut eam accuratius demonstremus. Imitandi vero studium erunt fortasse qui reprehendant, dictitantes suum quemque ingenium sequi debere neque aliunde quidquam adsciscere quod nativæ orationis indoli officiat. Equidem, licet ipse non negaverim nimiam ac temerariam imitationem admodum esse perniciosam ingeniis ad magna et præclara contendentibus et eo quemque magis esse probandum quo magis illius oratio suis ac propriis dotibus emineat; minime tamen censeo esse concedendum, inveniri quemquam posse tam præstanti præditum ingenio, ut nullam omnino ex imitatione capere utilitatem queat. Atque eâ in re neminem credo mihi esse adversaturum qui ad reliquarum artium originem animum adverterit earumque progressus paullo attentius fuerit persecutus. Ita enim comparatam esse videmus hominum naturam, ut nullius omnino artis aut doctrinæ idem inventor sit et perfector. Suam quæque habet veluti pueritiam, adolescentiam et virilem ætatem, nec nisi paullatim ab exiguis et rudibus initiis ad eam perduci maturitatem potest qua vera illius dignitas censetur. Quicumque igitur in aliqua earum cum fructu elaborare studet, in suum usum convertere necessario debet quæ ab aliis ingeniose inventa sunt et intelligentium judicio

comprobata. Quod qui facere neglexerint suisque tantum ingenii viribus freti ad tractandas artes accesserint, etiam si et naturâ maxime valeant nec infinitis laboribus a proposito deterreantur; numquam tamen eam assequentur præstantiam, quam præclaris aliorum operibus edocti et conformati celeriter et sine magnâ admodum laborum molestiâ assequi potuissent. Neque enim, ut hoc tantum utar, Praxiteles et Lysippus statuariam artem ad summum perduxissent, nisi Phidiæ ac Polycleti studiis eam excultam accepissent; nec princeps in tragœdiâ exstitisset Sophocles, nisi Æschylum et ducem et gloriæ suæ æmulum habuisset. Quod si autem quæ in ceteris artibus inchoata nobis a majoribus traduntur, cognoscenda sunt, ut amplificemus ea et perpoliamus; consentaneum est ut tanto majori studio earum artium, quæ perfectæ jam et consummatæ habentur, virtutes imitando exprimere contendamus. Jam vero eloquentia non inventa solummodo a Græcis est, sed tanta brevi tempore illorum operâ cepit incrementa, ut nemo adhuc exstiterit qui eorum in hoc genere laudes æquaret, eoque longius quisque a perfectione abesse censendus sit quo Græcorum dissimilior reperiatur. De ipsa vero imitandi viâ ac ratione hic non est dicendi locus. Quocirca, id quod proximum est, jam aliquanto accuratius ostendam, politicæ et forensis eloquentiæ ortum esse ad Græcos referendum, eamque sensim ab illis ita auctam esse et exornatam, ut eorum orationibus hujus artis perfectæ effigies contineri merito existimetur. Hinc autem ultro apparebit, iis etiam qui nostrâ ætate sive ad caussarum patrocinia se accommodant sive ad rem publicam sunt accessuri, Græcos esse præstantissimos dicendi magistros.

Et profecto sic se res habet, e Græcorum ingenio prodiisse eloquentiam ab illisque deinceps ita esse conformatam, ut numeris suis perfecta esset et absoluta. Est illa Græcæ libertatis pulcherrimus fetus. Græci enim naturam in omnibus ducem secuti non musicæ tantum cum eâque conjunctæ poësi plurimum tribuebant, sed etiam mirâ quadam animi alacritate ad publice loquendum sponte ferebantur in eoque studio præcipuam fautricem nacti sunt rerum publicarum conditionem. Jam antiquissimis illis, quæ heroica dicuntur, temporibus quamquam singulæ Græciæ civitates suos quæque reges habebant, qui publicæ rei moderandæ tam in pace quam in bello præessent; eorum tamen potestas tantum aberat ut nullis esset terminis finita, ut res fere omnes, leviores etiam, in Senatu sive nobilium consessu tractarentur, graviores ab universo populo in comitiis disceptarentur. Qui igitur consilio ac dicendi facultate eminebant, eorum magna erat apud reliquos auctoritas : et in ipsis regibus hæ dotes maxime celebrabantur. Etenim ex Homericis Carminibus, quæ priscam illam Græcorum vitam egregie referunt, nullo negotio intelligitur quanta jam tum fuerit dicendi vis ac potestas. Testantur hoc illis Carminibus insertæ heroum orationes, plenæ vigoris, gravitatis, suavitatis et nativæ cujusdam simplicitatis; testantur laudes viris primariis tributæ, quippe quorum non minus prudentia et facundia quam fortitudo et bellicæ virtutes prædicentur. Atque hoc dicendi studium postea maxime fovebatur et auctum etiam est continuis, quæ in Græciæ civitatibus subortæ sunt, dissidiis et contentionibus cum incredibili quadam populi levitate conjunctis. Ibi itaque qui in re publicâ versari volebat, non prudentiâ modo excellere ceteris debebat, verum etiam dicendo in primis valere;

ut populi temeritatem coërceret, ab ingenii mobilitate ad consiliorum constantiam multitudinem traduceret, concordiam revocaret ac tueretur. Ipsi autem vel me non monente intelligitis, Auditores, de Athenarum maxime civitate me nunc loqui; ex qua deinceps, veluti e corde sanguis ad reliquas corporis partes, eloquentia ad alias civitates Græcas, quæ similibus erant institutis ac legibus temperatæ, permanavit. Lacedæmoniorum enim instituta cum non ad animi cultum, sed ad corporis virtutem bellicamque in primis, omnia essent comparata; illorum ingenia, ut ab omni artium literarumque humanitate, sic ab eloquentiâ abhorrebant. Neque locus esse huic arti poterat in eâ civitate, ubi summi honores e generis nobilitate potius penderent quam e prudentiâ civili, tantamque magistratus in re publicâ administrandâ potestatem exercerent, ut populi auctoritas prorsus fere evanesceret.

Sed ut Athenas revertamur, ubi deinceps nobis erit subsistendum; Themistoclis quidem ætate bellica magis virtus florebat quam dicendi facultas. Attamen constat hunc ipsum imperatorem cum sapientiâ civili tum etiam eloquentiâ præstitisse: et qui ante eum exstiterant rei publicæ Atheniensis moderatores, Pisistratus, Solon, Clisthenes, multum valuisse dicendo existimabantur. Verum altius assurrexit et quasi evolavit eloquentia tempore Periclis, qui ipse cum omni virtutis genere floreret, admirabili tamen illâ vi dicendi potissimum videtur hoc esse consecutus, ut per varias rerum vicissitudines multisque sæpe ac potentibus adversariis repugnantibus principem in civitate locum per quadraginta amplius annos constanter retineret, nec tantum populi protervitatem et licentiam comprimeret, verum etiam quo ipse in primis vigeret veri,

pulchri honestique sensu, eodem civium suorum animos impleret eosque ad laudabilia quæque studia inflammaret. Hic enim, ut ait Cicero, primus ad dicendum doctrinam adhibuit et, ab Anaxagora eruditus, exercitationem mentis a reconditis abstrusisque rebus ad caussas forenses popularesque traduxit: hujus suavitate maxime hilaratæ sunt Athenæ; hujus ubertatem et copiam admiratæ; ejusdem vim dicendi terroremque timuerunt. Et, eodem Cicerone judice, prima hæc ætas Athenis oratorem prope perfectum tulit. Nihilo minus tamen eloquentia ipsa nondum erat ad artis præstantiam evecta, et Pericles in dicendo non minus quam in bellicis rebus curandis naturâ maxime fautrice tantam celebritatem est adeptus. Atque hoc cum e Veterum testimoniis intelligitur tum e nobilissimis illis concionibus, quæ a Thucydide ei tribuuntur, satis apparere videtur: quamquam hæ ipsæ ad veri tantum similitudinem sunt ab historico effictæ. Neque enim artificiosa argumenti descriptio ibi reperitur neque singularis verborum elegantia aut periodorum ad aurium voluptatem apta conformatio; sed oratio in exponendis rebus pressa est ac simplex, sententiarum vero mira quædam ad animos civium flectendos et permovendos vis atque gravitas. Verum ad hanc usque ætatem bellicæ virtuti eloquentia se tamquam comitem ac sociam adjunxerat. Successerunt qui in artis formam redigerent dicendi leges, magistrosque se hujus artis profitentes, alios tam præceptis quam exercitationibus ad eloquentiam informarent, sophistæ primum, Gorgias Leontinus, Protagoras, Hippias, ac deinceps Isocrates in primis, magnus ipse orator, qui ita floruit discipulorum nobilitate, ut domus ejus cunctæ Græciæ tamquam ludus quidam et officina dicendi patuisse existimaretur. Et ex hoc inde tempore latius quasi diffundi cœpit elo-

quentia ejusque usus ad omnes vitæ partes plurimum momenti habere. Quicumque auctoritatem aliquam in re publicâ consequi volebant, acerrimo studio ad dicendi facultatem contendebant. Paullatim enim factum est ut; politicâ eloquentiâ a bellicis laudibus sejunctâ, dicendi artifices civium caussas in judiciis tuerentur iidemque ad tractanda rei publicæ negotia accederent.: cujus quidem rei ratio repetenda esse videtur a publicis et privatis controversiis eâ ætate incredibilem in modum adauctis. Jam Antiphontem, rhetorem nobilissimum, cum aliunde tum e Thucydide constat et plurimum profuisse civibus, quibus in judicio vel in concione caussæ essent dicendæ, et de re publicâ si minus ipsum verba fecisse, aliis certe orationes publice recitandas composuisse. In utroque item dicendi genere Andocides et Lysias excelluerunt; quorum orationes, etiam si ad forense genus pleræque pertinentes, maximâ tamen ex parte rei publicæ rationes attingunt. Et melius etiam Isocratis exemplo intelligitur quam arcte tum temporis prudentia civilis et eloquentia fuerint cum caussarum patrocinio conjunctæ. Cum igitur illustrium dicendi magistrorum ingeniis exculta et ad majorem dignitatem evecta esset eloquentia forensis, qui in eâ erant exercitati, facile inter cives suos eminebant viamque sibi muniebant ad gravissima rei publicæ munera: ut iidem oratores et singulorum caussas perorarent et civitatis universæ consilia moderarentur. Atque ita res erant comparatæ, cum Demosthenes exsisteret, qui cum ingenii vim et rerum civilium cognitionem ad dicendum contulisset, eo mox perduxit eloquentiam, ut nullâ amplius ad perfectionem fieri progressio posset. Quamquam vero in omni genere admirabilis est Demosthenes ac prope divinus, summa tamen ejus virtus ac præstantia in iis orationibus cer-

nitur, quibus patriæ salutem studet tueri atque conservare. Illius enim ætas in ea tempora incidit, cum Athenienses, popularis imperii dulcedine decepti otioque ac mollitie diffluentes, nec sentirent quantopere discordiis et bellis intestinis res publica debilitaretur nec periculis ab hoste peregrino imminentibus moverentur. Ipse incredibili libertatis studio incensus, per totam fere vitam omnes cogitationes atque conatus eo retulit, ut patriam e servitutis periculo eriperet civesque a levitate et inertiâ ad constantiam et majorum virtutes revocaret. Hic igitur theatrum nactus est orator, in quo probitas ejus, prudentia et animi magnitudo spectaretur; hic latissimus ei patebat honoris et gloriæ campus; hic mirifica illa dicendi facultas se explicuit, quam merito omnes et suspexerunt semper et vero suspicient.

Fieri autem a me in hac temporis brevitate non potest, Auditores, ut oratores Græcos, quorum scripta quædam ad nostram memoriam pervenerunt, singulos enumerem eorumque laudes accuratius persequar. Nihil igitur dicam de Antiphonte, tam ingenioso oratore, tam callido in inveniendo, tam idoneo ad persuadendum, ut Nestoris cognomine ornaretur; nihil de Lysiæ subtilitate dicam, de suavitate, elegantiâ ac facilitate per omnes ejus orationes æquabiliter diffusâ; omitto hujus discipulum ac Demosthenis præceptorem Isæum, qui vocabulorum aptâ concinnatione, brevitate et perspicuitate magistrum æquavit, disponendi curâ, acumine, rerum pondere et gravitate etiam superavit: non loquar de Andocide, de Lycurgo, de Æschine aliisque, qui et libertatis studio et eloquentiæ laude patriam nobilitarunt. Licet eorum suis quisque ac propriis dotibus excellat, in omnibus tamen

æque elucet venusta illa simplicitas, quæ ad magna quæque et excelsa sine ullâ affectatione exsurgit et ad minutissima quæque non sine gravitate quadam descendit. At continere me hoc loco non possum quin pauca adjiciam de duobus primariis, Isocrate ac Demosthene; qui, quamquam ingenio maxime dispares, tamen in suo uterque genere tanti exstiterunt, ut tam inter antiquiores quam recentiores qui eos admirarentur et imitarentur, plurimos habuerint; qui eorum virtutes plane assequeretur, neminem. In utroque autem summa est orationis perspicuitas et gravitas, sed in Demosthene vis major, in Isocrate plus suavitatis et elegantiæ. Hic in excogitando acutus, in inveniendo facilis, diligens in componendo. Oratio ejus simplex, nitida, comta, nec varietate minus et sententiarum copiâ legentium animos advertens quam mirificâ quadam dulcedine ac venustate delectans. Nihil in eâ coacti, nihil contorti reperitur: sponte profluit et leniter modo, tamquam limpida aqua per amœna viridaria, decurrit, modo altius exsurgens plena dignitatis et gravitatis incedit. Et ipso orationum argumento quid præclarius, quid præstantius possit excogitari? Non enim illæ ornamentis modo oratoriis splendent; sed refertæ sunt sapientiâ rerum tam publice quam privatim gerendarum; animum generosum referunt et excelsum, vana ac turpia despicientem, honestatem omnemque virtutem expetentem; qui secum nos trahit, patriæ ac libertatis amore incendit et ad idem sapientiæ studium incitat. In Demosthene contra præter eas virtutes, quibus reliqui oratores tamquam suis ac propriis singuli commendantur, admiramur præcipue contentionem orationis et impetum, altitudinem et gravitatem, sonum et granditatem verborum; quibus jungendis et vinciendis dici vix potest quantum valuerit ad mo-

tus, quos res et caussa postularet, in audientium animis excitandos. Actioni vero et pronuntiationi cum multum tribueret, hæc ipsa res eam vim habuit ad verborum ambitus circumscribendos aliasque internas orationis dotes, ut, cum scripta illius legimus, eodem impetu ultro feramur quo cives olim Athenienses ejus vocem e suggestu audientes abrepti sunt. Et cognitum est, ipsum Macedonum regem Philippum, cui unus Demosthenes magis timendus erat quam Atheniensis populus universus, cum recitari quasdam illius orationes audivisset, vi actionis, qua veluti spiritu essent animatæ, ita commotum esse, ut cum militibus eas compararet; quippe quæ ita semper adversarios insectarentur, premerent, urgerent, ut veritate ipsâ tamquam armis aut tormentis terrere et cogere viderentur. Sed ne plura ipsi addamus, facit exquisitum Ciceronis judicium; quod quidem eo majorem habere apud nos auctoritatem debet, quod ab intelligentissimo harum rerum existimatore et altero summo totius antiquitatis oratore profectum est. Hic enim et alias eximiis laudibus Demosthenem effert et alicubi plane perfectum oratorem et cui nihil admodum desit, appellare non dubitat. Nihil acute inveniri potuisse, censet, in eis caussis quas scripserit, nihil subdole, nihil versute quod ille non viderit; nihil subtiliter dici, nihil presse, nihil enucleate quo fieri possit aliquid limatius; nihil contra grande, nihil incitatum, nihil ornatum vel verborum gravitate vel sententiarum, quo quidquam esset elatius. Et profecto, quod de hoc ipso Cicerone scripsit Quintilianus, non temere quis de Græco oratore usurpaverit : ut multum profecisse existimandi sint eloquentiæ studiosi, quibus Demosthenes cœperit valde placere.

Neque vero oratores tantum in exemplum proponendi sunt iis qui ad veram dicendi laudem nituntur. Legendi insuper sunt poëtæ, epici maxime ac tragici, cognoscendi philosophi et rerum scriptores. Ut enim Græcorum eloquentia originem duxit a poësi, ita nec ipsa deinceps judiciorum et comitiorum cancellis est circumscripta, sed ad familiaris quoque sermonis usum totamque illorum vitam sic permanavit, ut maximam rursus vim exerceret tam ad poësin quam ad reliqua omnia scribendi genera. Et quæcumque ex antiquâ ætate ad nostram memoriam servata sunt literarum Græcarum monumenta, non modo nativam quamdam indolem redolent et incorruptum pulchri venustique sensum, verum hac ipsâ dicendi virtute insignia sunt ac lætæ vigentisque orationis colorem referunt. Jam poëtarum omnium antiquissimus et princeps Homerus, quemadmodum ex Oceano dicit amnium vim fontiumque cursus initium capere, ita ipse, judice Quintiliano, omnibus eloquentiæ partibus ortum dedit et exemplum. Licet enim omnis sapientiæ ac doctrinæ fontem non immerito Veteres Homerica Carmina appellaverint, nec ulla fere ars aut disciplina a Græcis postea sit exculta, cujus non in illis quædam quasi semina et initia reperiantur; orationis tamen tot tamque eximiis virtutibus abundant, ut optimi quique omnis generis auctores diligentissime eas consectati sint eoque se melius et elegantius scripsisse judicaverint quo Homeri similiores exstitissent. Nam ut poëtas taceam, qui ex illo, tamquam ex fonte aliquo flumina, omnes emanarunt; Herodotum constat ab Homero totum esse profectum, ab eodemque Platonem præcipua orationis suæ ornamento duxisse : nec ipsum Demosthenem quisquam dubitaverit tantum non fuisse futurum oratorem, nisi Homeri vim et granditatem exprimere imi-

tando studuisset. Etenim, ne alia commemorem, quid Homerico Agamemnone, cum ad pugnandum hortatur, grandius et fervidius esse potest? quid fortius, quid vehementius orationibus Ulyssis, quæ incitati instar amnis rapido cursu feruntur et legentium adeo animos secum proripiunt? Omnino autem poëtarum lectio quam fructuosa sit oratoribus, et Græcorum exempla testantur et ab iis, qui de arte oratoriâ scripserunt, abunde demonstratum est. Nunc vero poësis universa ita Græcorum est propria, ut recentiorum poëtarum elegantissimi quique præclare secum agi existiment, si aliquas certe illorum virtutes assecuti esse censeantur. Unde igitur melius, quam a Græcis, petantur quæcumque e poësi in eloquentiam transferri ornamenta possint? Verum ut redeam ad oratorias poëtarum laudes, reliquis omissis unum Sophoclem nominabo, quo quis umquam acutior erat in investigandis atque exprimendis animi sensis et motibus? Quis orationis dignitate, gravitate, ordine, diligentiâ et subtilitate illum æquaverit? Attamen utiliorem etiam futuro oratori Euripidem esse Veteres judicaverunt. Cum enim eloquentiæ, quæ quidem illius ætate florere potissimum cœperat, multum ipse adolescens operæ tribuisset, factum est, ut oratio ejus tam ubertate quam elegantiâ et æquabili quadam lenitate propius accederet ad oratorium dicendi genus. Et quantum ad vim dicendi ei profuerit Anaxagoræ disciplina et Socratis familiaritas, quæ supersunt ejus tragœdiæ satis declarant. Hinc enim effloruit sapientium illa et gravium sententiarum copia; hinc natum est summum in animis cum in omnem partem movendis tum ad misericordiam flectendis poëtæ artificium. In historicis vero, utrum magis prædicemus integritatem, candorem, suavitatem et nativam simplicitatem Herodoti, an Thucydidis subtilita-

tem, acumen, gravitatem, sermonemque ita pressum et concisum, ut nescias resne oratione an verba sententiis illustrentur? Hunc certe quam studiose imitatus sit Demosthenes, quamque multa in ejus orationibus reperiantur Thucydidei sermonis vestigia, vel sine rhetorum antiquorum testimonio legentes suo quisque sensu et judicio facile intelligunt. Jam Platonem ne Cicero quidem dubitavit gravissimum dicendi auctorem appellare ac magistrum. Et merito. Non enim propterea solum hoc honore dignus esse videtur, quod ejus oratione nihil suavius excogitari potest, nihil in omni genere perfectius, nihil divinius, verum etiam quod summi oratores, Demosthenes, Lycurgus, Hyperides, ex ejus disciplinâ sunt profecti. Quid tandem de Xenophonte dicam, de Theophrasto, Aristotele aliisque plurimis, qui aut dicendi suavitate et elegantiâ excellunt aut inveniendi acumine et judicandi solertiâ?

Sed dies me deficiat, Auditores, si de insigniorum solummodo auctorum oratoriis virtutibus dicere pro dignitate velim. Ex iis autem, quæ breviter sunt a me adumbrata, satis apparere videtur, non universe tantum lectionem Græcorum ad comparandam dicendi facultatem plurimum valere; sed in utroque etiam orationis genere, et politico et forensi, præstantissima a Græcis ad imitandum exempla nobis exhiberi. Neque vero ego hæc ita accipi velim, ac si recentiores, qui hac laude inclaruerunt, omnino sint rejiciendi et contemnendi. Tantum abest ut de eorum meritis detrahere quidquam velim, ut peculiares illorum virtutes et agnoscam et maximis laudibus esse ornandas existimem. At hoc vere mihi videor posse affirmare, quo quis majori studio antiqua illa exemplaria intueatur eorumque laudes assequi contendat, eo propius

ad naturæ simplicitatem, qua germana pulchritudo ac dignitas continetur, eum esse accessurum. Quod studium ingeniis nostris eo fructuosius erit et salutarius, quo magis illa investigandi diligentiâ a verâ dicendi elegantiâ et venustate paullatim alienari videntur. Suspiciamus itaque Græcorum scripta ut veneranda ingenii humani monumenta, divinæ providentiæ beneficio nobis conservata, atque sic persuasum habeamus, quemadmodum artifices ita maxime probentur et excellant, ut studiosissime antiquæ artis reliquias fuerint imitati; eâdem ratione oratorem ad artis suæ præstantiam ita proxime accedere, ut in Græcorum operibus diligentissime fuerit versatus. Et exempla hujus rei si quis desideret; quamquam non opus est exemplis; sed si quis desideret tamen, ex antiquis Cicero prodeat, qui cum totum se ad imitationem Græcorum contulisset, populares, qui dicendi gloriâ excellere maxime putabantur, ita superavit, ut qui ipsum superaret neque æqualium neque posterorum quisquam sit repertus. Ex recentioribus bini solummodo memorentur, Henricus Franciscus D'Aguesseau et Guilielmus Pitt. Quis inter Gallos umquam tam in foro quam in publicis disceptationibus tantâ orationis elegantiâ et gravitate præstitit quam D'Aguesseau? Et cognitum est, quantâ diligentiæ assiduitate Græcorum scripta perlegerit, ut non modo ad hanc perfectionem ipse perveniret, sed populares etiam suos, quorum plures ab ineptâ Græcæ Latinæque eruditionis ostentatione in contrarium vitium, laboris ac doctrinæ contemtum et levitatem, essent prolapsi, in veram eloquentiæ adipiscendæ viam revocaret. Pittii vero laudes cui ignotæ sunt? Rerum publicarum egregie peritus, admirabili solertiâ quæ prolaturus erat argumenta excogitabat, prudenter ea meditabatur et, cum fuso ac profluente dicendi genere uteretur, sen-

tentiis apte conformandis tantam concinnitatis suavitatem, tantam vim et gravitatem suis orationibus conciliabat, ut audientium animos invitos quasi abriperet, teneret et justi, veri, honestique sensu perfunderet. Neque injuriâ quis existimaverit, quemadmodum Britannorum gens ceteras recentiores politicâ eloquentiâ antecedat, ita inter Britannicos oratores Pittium excelluisse : ut merito et Britannicus Demosthenes et totius recentioris ætatis orator primarius appelletur. Et hanc famæ celebritatem quibus adjumentis maxime consecutus est? Lectione Græcorum. Inter omnes constat, quam fuerit literarum Græcarum studiosus ; quam accuratam diligentiam contulerit ad cognoscendos non modo oratores, sed philosophos quoque et rerum scriptores; ut ingenium subigeret, judicium de publicis rebus acueret ac dicendi illam vim et majestatem, quam in eo admiramur, assequeretur.

Sed facere non possum quin Vos potissimum in fine orationis meæ compellem, suavissimi adolescentes et commilitones! Plurimi Vestrûm, qui studiorum caussâ huc Vos contulistis, id sibi propositum habent ut leges et judicia aliquando administrent aut caussis defensitandis civium jura tueantur. Alii etiam publicis muneribus præficientur aut ad deliberandum ac dicendum de rei publicæ rationibus appellabuntur. Quibus profecto officiis nihil ad dignitatem honorificentius esse potest, nihil ad civitatis commoda et integritatem gravius. Omnibus itaque, quæ suppetunt Vobis, adjumentis utamini, ut eâ doctrinâ ac civili prudentiâ ingenia locupletetis, eâ sapientiâ mentes confirmetis, unde patriæ Vestræ et salus et gloria maximam partem erunt suspensæ. Quid vero efficacius eam ad rem reperiri possit, quam accurata et ex ipsis fontibus

hausta cognitio antiquitatis Græcæ; quippe quæ tam præclara Vobis exhibeat exempla virorum non sapientiâ minus et rerum civilium peritiâ quam eloquentiæ laude præstantium? Eos imitamini, eorum non consiliorum modo prudentiam et patriæ adjuvandæ studium, sed dicendi quoque vim assequi conamini; ut, quæ æqua, honesta et patriæ utilia sunt, publice tueri eorumque amorem in civium animis excitare ac fovere et, si qui perperam sentiant, eos ab opinionum perversitate in rectam veritatis atque virtutis viam reducere queatis. Haud facilis, fateor, ea res est nec sine summâ animi viriumque contentione effici a Vobis poterit. Verum ipsi vel sine meâ admonitione intelligitis, sic esse omnino comparatum, ut absque laboris molestiâ nihil magni, nihil pulchri consequi homines possint, eoque sint dulciores ex ipso labore percepti fructus, quo percipiendi difficultates majores. Has igitur difficultates, quantæcumque sint, diligentiæ et laboris constantiâ perfringite, ita persuasum habentes, studia et conatus Vestros et ipsis Vobis aliquando honori et patriæ, qua nihil Vobis carius esse debet, saluti ac prosperitati esse futura.

Transeundum mihi est ad ea, quæ superiori anno in Academiâ nostrâ evenerunt et peracta sunt, breviter enarranda. Ac primum quidem ad externa quod attinet, summo opere prædicanda est cura perillustrium hujus Academiæ Moderatorum, qui rebus nostris per hunc præcipue annum ita prospexerunt, ut vix quidquam ad perfectionem desiderari videatur. Splendida duo ædificia, ubi servantur collectiones rerum ad Physicam et Naturalem Historiam pertinentium, ad usum jam om-

nino sunt accommodata et largis copiis ornata atque referta; quarum magna pars hoc ipso anno accessit. Et nefas sit hoc loco silentio præterire munificentiam Serenissimi Ducis Arenbergii, viri ornatissimi Maréchal, Bruxellensis, aliorumque, qui nostras collectiones e suis thesauris certatim locupletarunt. Memorandum præcipue est hujus, quem modo nominavimus, Maréchalii insigne in hanc Academiam beneficium, qui suam collectionem mammalium, avium, reptilium, insectorum, mineraliumque e coloniis nostris a se ipso adportatorum liberalissime nobis donavit. Tertium ædificium, in quo experimenta Chymica instituantur et res ad hanc disciplinam tradendam necessariæ collocentur, in eo est ut penitus terminetur. Officina saltem Chymica, qua adhuc ægre caruit Academia nostra, jam absoluta est satisque abunde instructa, ut scholæ deinceps in eâ haberi possint. Rerum item Anatomicæ arti docendæ inservientium apparatus ingens cepit incrementum. Et astronomica quoque ac mathematica quædam instrumenta comparata sunt; harumque disciplinarum studia sic vigere hoc anno cœperunt, ut Transcendentis, quæ dicitur, Mathematicæ et Astronomiæ scholæ magnâ cum discentium utilitate haberentur. Quid vero dicam de amplo illo maximisque sumtibus exstructo ædificio, quo plantarum hypocausta continentur? Est enim et Academiæ et totius urbis præcipuum ornamentum; neque cives modo ejus adspectu mirum in modum delectantur, sed peregrinatorum, qui huc veniunt, peritissimi quique et elegantissimi uno omnes ore affirmant, illo vix magnificentius ullum in eodem genere per universam Europam reperiri. Plantarum etiam pretiosarum numerus, quibus Hortus Academicus abundabat, mirabiliter adauctus est; idque beneficio potissimum Curatoris amplissimi Van Hult-

BEM, qui pro suâ in Academiam nostram voluntate seminum rarissimarum plantarum et fruticetorum haud exiguam nobis copiam largitus est : quæ semina partim permissa sunt a Directore Horti Regii Parisiensis, partim ex omnibus Brasiliæ provinciis collecta a Patre Venerabili LEANDRO DO SACRAMENTO, Herbariæ professore Rio-Janeirensi. Porro in eâ re prædicanda est largitas insignis Serenissimi DUCIS ARENBERGII aliorumque plurimorum, tum exterorum, ut Liberorum Baronum AB HOOGVORST et BEELDSNIJDER, virorum spectatissimorum PARMENTIER Angiani, VAN DER WIELEN Mechliniensis; tum etiam civium nostrorum; in quibus honoris caussâ nominandi cum maxime sunt Comes illustrissimus VAN DER STEGEN, viri nobilissimi D'UDEKEM, VAN DORNE et VAN MECHELEN. Atque in posterum quoque Horto nostro decus eximium allatum iri exspectare licet a liberalitate non satis prædicandâ Societatis Herbariæ Londinensis. Celeberrima enim hæc societas, quæ sumtibus infinitis rariores plantas ex omnibus terræ partibus colligit magnoque labore alit et sustentat, nuper admodum socio suo, collegæ nostro clarissimo VAN MONS, ultro promisit, exquisitas omnis generis plantas et semina lubenter Academiæ nostræ se esse gratificaturam. Meum itaque flagitare officium videtur, ut Academiæ nomine gratum animum hic publice significem doctissimo collegæ, quippe qui mutuo literarum usu, qui ei cum pluribus per Europam eruditis hominibus intercedit, eximii hujus beneficii auctor exstitisse censendus sit.

De doctrinæ autem in omni genere profectibus vehementer nobis possumus gratulari; illudque equidem firmissime asseveraverim, reperiri vix uspiam posse Academiam, ubi sin-

guli Professores religiosius officiis fungantur majorique studio communem utilitatem et gloriam tueri atque augere contendant. Et qui recens in Ordinem Philosophorum et Literatorum adscitus est MEIJERUS V. Cl., mutuis collegii et amicitiæ officiis per integrum fere annum nobiscum jam consociatus, luculenter et ipse declaravit nihil se Academiæ salute antiquius habere et prospero maxime eventu in eo elaborare ut ad Belgicarum Literarum amorem discipulos incendat. Te vero primum huic coetui assidentem video, Clarissime REIFFENBERGI, Teque ego primum hic publice collegam saluto. Egregia a te quæque sperare nos jubet et existimatio, quam docendi munere in Athenæo Bruxellensi plures annos laudabiliter obeundo Tibi peperisti, et doctrinæ copia atque incredibile, quo flagrare Te novimus, laudatarum artium studium ætatisque vigor et integritas. Ad Jureconsultorum quoque Ordinem mox accessurum esse virum præstantissimum A. C. HOLTIUM, jam antea in Athenæo Daventriensi ac nuperrime in Academiâ Groninganâ Professorem Ordinarium et scriptorum famâ omnisque eruditionis laude clarum, heri demum summâ cum animi voluptate accepimus.

Sed ut lætandum nobis est de recentium collegarum accessione, ita dolendum vehementer quod summe venerandus senex J. B. LIEBAERT, qui et pridem de Belgicæ juventutis institutione optime meritus erat et proximis his annis tam consiliorum sapientiâ quam docendi munere diligentissime exsequendo Academiæ nostræ insigniter profuit; quod hic valetudinis infirmitate laborumque molestiis ita jam debilitatus est, ut vires ad officium, quo nihil umquam sanctius ei erat, explendum non amplius sufficere videantur.

Adolescentes curæ ac disciplinæ nostræ commissos, vere possum affirmare, non omni tantum ex parte optatis nostris respondisse, sed quosdam eorum spem et exspectationem, quam de iis optimam cepissemus, etiam superasse. Omnes honeste, tranquille ac modeste se gesserunt, in literarum studia, ut cives Academicos decet, unice incumbentes. Tanta eorum fuit non scholas modo obeundi; sed meditandi etiam ac commentandi diligentia et assiduitas quanta esse maxima potuit. Et si qui subinde languescere cœperunt, quos tamen fuisse paucissimos fateor, ii ex salutari decessoris mei Clarissimi instituto admoniti facile ad officium redierunt. Quantos vero plurimi fecerint in doctrinarum studiis progressus, quantaque omnino fuerit inter discipulos laudis æmulatio, declararunt publice instituta examina ac disputationes, in quibus tam egregie plerique versati sunt tantoque studio secum invicem de priori loco contenderunt, ut non præceptoribus modo ipsis summopere se probarent, sed a peregrinis quoque eruditis, qui sæpius aderant, non sine admirationis aliqua significatione audirentur : idem declarant qui hoc tandem anno prodierunt Academiæ Annales, quibus eximiæ quædam continentur commentationes, ut scribendi diligentiâ sic judicio et eruditione insignes : quæ cum omnes a nostræ disciplinæ alumnis sint conscriptæ, argumento esse maxime possunt, nec in ipsis Academiæ nostræ primordiis nobis defuisse discipulo a quibus bonarum artium studia prospero successu colerentur.

Ac de Annalibus cum loquor, res ipsa me admonet ut alteri officio, quo nihil mihi suavius esse et jucundius potest, satisfaciam, civibusque Academicis, qui in literario certamine hujus

anni victores exstiterunt, diligentiæ ac doctrinæ præmia Regis Augustissimi nomine solenni ritu tradam. Rogo igitur Clarissimum collegam, qui senatui Academico est a secretis, ut Ordinum Judicia de exhibitis Commentationibus simulque Quæstiones in proximum annum propositas more usitato prælegat.

(*Vid. supra N^us V et VIII. In Ordine Philosophorum et Literatorum praemium Commentatione Philosophâ reportavit* PHILIPPUS AUG. JOS. WUILLOT, *Hanno-Paturaginus.*)

Accede igitur, juvenis ornatissime, ut præmium tibi debitum impertiar. Pergito Tu eàdem laboris assiduitate humanitatis studiis operam dare, qua per quatuor jam annos nobis moderatoribus a Te factum esse constat. Gravissimo doctoris munere, quod Tu aliquando suscepturus es, dignum omnino Te reddere studeto, reputans quam vere præclareque sit a Cicerone dictum, nullum afferri munus rei publicæ majus meliusve posse quam si doceamus et erudiamus juventutem.

(*Ab eodem Ordine alterum praemium ad Historicam Commentationem adjudicatum est* LUDOVICO JOS. DELWARDE, *Ninovia-Flandro.*)

Ecce Tibi præmium diligentiæ nec minus modestiæ et morum integritatis, qua Tu præcipue semper eluxisti. Præclari Tui conatus indicio esse in primis videntur, quantopere jam in hac Academiâ vigere cœperit verus ac germanus literarum amor. Quamquam enim proximis his annis totum fere in juris disciplinâ Te collocare debuisti, antiquas tamen literas

et historiam tantum abfuit ut repudiares, ut prudenter utrumque studiorum genus perpetuo conjungeres. Quam vero adhuc inisti viam, eamdem in posterum constanter teneto certoque persuasum habeto, doctrinæ tuæ ac virtuti præmia numquam esse defutura.

(*Ab Ordine Mathematicorum et Physicorum praemio ornata est*
Mathematica Commentatio PETRI WAFELAER, *Mechliniensis.*)

Te alloquenti, doctissime juvenis, venit mihi in mentem philosophi antiquissimi, qui neminem censuit in suam familiaritatem esse recipiendum, nisi a geometricis bene præparatus accessisset : et gratulor equidem Academiæ nostræ talem discipulum qui, in cognoscendo jure civili cum maxime occupatus, tam ardenti trahatur mathematicæ studio, ut vel a difficilioribus quæstionibus pertractandis se deterreri non patiatur. Tuo rursus exemplo comprobatum est, quam sapienter sint in nostris Academiis institutæ annuæ ejusmodi præmiorum distributiones, quippe cum anno superiori in Leodiensi Academià a Mathematicorum Ordine victor renuntiatus, prospero Tui laboris eventu commotus sis, ut in tractandà nostræ Academiæ mathematicà quæstione denuo periclitarere. Sed multo etiam magis propterea laudanda esse videtur Tua diligentia, quod unius anni spatio in duobus argumentis, diversis maxime ac dissimilibus, elaborare non dubitasti et Philosophorum quoque Ordini exhibuisti scriptionem tam præclaris dotibus se commendantem, ut, nisi ab æmulo esset ereptum, præmium haud dubie accepisses.

(*Chymica Commentatio* ANTONII LEROY, *Antwerpiensis.*)

Accipe itaque, optime adolescens, aureum hunc numum,

industriæ Tuæ ac probitatis testem futurum. Non est quod Tuam in studiis bene instituendis prudentiam hic publice collaudem aliisque ad imitandum proponam. Satis enim constat, Te adhuc non solum ad Medicinæ studium tam assiduo labore incubuisse tantamque sæpe doctrinam, judicandi acumen ac disserendi solertiam in publicis disputationibus ostendisse, ut inter reliquos discipulos omnes excelleres; sed Chymiæ quoque, Physicæ, Mathematicæ reliquarumque doctrinarum studiis, quibus Medicina tamquam fundamento nititur, ita continuo devinctum teneri, ut dubium sit, earumne an artis salutaris te studiosiorem appellemus. Quam vero eximiam spem dedisti et parenti eruditissimo et præceptoribus Tui amantissimis, ea ne posthac ad irritum cadat, neque ab ingenio moribusque Tuis verendum est et hodierni diei memoriâ providebitur.

(*Et Commentatio Botanico - Zoologica* JOANNIS DEVYVER, *Bierbecensis.*)

Procede igitur, juvenis humanissime, ut Tibi itidem tradam quod meruisti assiduitatis et virtutis præmium. Argumento illud Tibi sit, nihil tam arduum tamque difficile in hominum vitâ posse reperiri, quod non vincat constantia laboris et perseverantia. Tu igitur, ut adhuc fecisti, ita in posterum nullo impedimento a rectâ studiorum viâ te sinito depelli, sed contra audentior ito.

(*Ab Ordine Jureconsultorum praemium adjudicatum est* RODOLPHO WINSSINGER, *Gislenopolitano.*)

Quibus tandem ego Te laudibus ornem, vir doctissime! Tu enim, cum ipse politiores literas in Scholâ Montensi laudabili-

ter docuisses ac patriam deinde ab hostibus defendens tam luculenta dedisses fortitudinis et probitatis specimina, ut insigni Ordinis Guilielmi ab Augustissimo Rege ornarere; in his Tu igitur honoribus adquiescere noluisti, sed tamquam sitim diuturnam explere cupiens in hanc Te Academiam contulisti, altioribus disciplinis operam daturus. Quod quam prospero successu feceris, testata est quæ in hac bonarum artium arenâ ante duos hos menses a te instituta est publica disceptatio, in qua tantam doctrinæ copiam, tamque singularem ingenii sagacitatem expromsisti, ut ex hoc ipso loco Juris Utriusque Doctor *summâ cum laude* pronuntiarere: testatur hic ipse dies, quo alterum tibi traditur insigne, non bellicæ illud virtutis sed operæ in laudatarum artium studiis collocatæ: testatur denique honorificum judicium Ordinis Jureconsultorum Academiæ Groninganæ, qui commentationem Tuam, eodem hoc anno ei transmissam, dignam itidem existimavit, cui palma decerneretur. Accipe igitur e mea manu hunc numum, et Regiæ munificentiæ signum et meæ amicitiæ pignus ac monumentum; Tibique mecum sic persuadeto, si eamdem quam adhuc secutus es viam perpetuo tenueris, ad summa quæque Te aliquando esse perventurum.

His jam peractis nihil reliquum est quam ut collegis suavissimis, qui nec consilio nec operâ mihi in sustinendo hoc Rectoris munere umquam defuerunt, pro singulari eorum in me studio ac voluntate grati animi sensus hic publice declarem, gestumque a me honorem conferam in Clarissimum successorem, Carolum Franciscum Jacmart, Ordinis Medico-

rum Professorem. Tibi itaque, collega conjunctissime, fasces trado et sigillum, Teque Regiâ auctoritate Academiæ Lovaniensis Rectorem in annum consequentem dico atque renuntio. Escende igitur, Vir Magnifice, in hunc illustrem editumque locum, ut dignitatis Tuæ proprium ac peculiarem deinceps Tibi occupandum.

Non diffiteor equidem, curæ ac sollicitudinis plenum esse quod jam in Te recepisti munus. Non enim facile est totus Academiæ, nascentis præcipue, commodis ita consulere, ut salus illius ac dignitas non integra modo servetur, sed magis etiam firmetur et augeatur. Verum ab acerrimo Tuo res Academicas juvandi studio, a prudentiâ Tuâ plurimoque rerum usu et exercitatione, qua Te in primis præstare cognovimus, nemo est nostrûm quin optima quæque mecum exspectet.

Jam vero a Tesic digredior, ut prospera omnia et fortunata precer huic Literarum Universitati. Faxit itaque Deus Optimus Maximus, ut Tu reliquique Professores salvi, sospites et incolumes per hunc annum servemini; ut artium omnium ac doctrinarum studia lætius in dies apud nos vigeant et qua ante ducentos hos annos florebat gloriâ, eamdem brevi tempore rursum consequatur Academia Lovaniensis.

X.

PH. AUG. JOSEPHI WUILLOT

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM PHILOSOPHAM.

V.

PH. AUG. JOSEPHI WUILLOT

PATURAGIO-HAINOENSIS,

PHILOSOPHIÆ ET LITERARUM HUMANIORUM IN ACADEMIA LOVANIENSI CANDIDATI,

RESPONSIO

AD QUÆSTIONEM AB ORDINE PHILOSOPHORUM ET LITERATORUM PROPOSITAM:

« *Diligenter et adcurate exponatur locus* De Errorum Fontibus, *copiosius praecipue ea parte explicatâ, quae est* De Opinionibus Præjudicatis (*vulgo* Præjudiciis); *indicenturque, quaenam adhibendae sint errores undecunque ortos* evitandi cautiones: *idque ea ratione, ut Antiquorum et Recentiorum, qui idem argumentum attigerunt, placitis continuo inter se comparatis, suam ipse sententiam auctor adjiciat.* »

QUÆ PRÆMIO ORNATA EST.

Natura duce errare nullo modo quis potest.

CICERO.

RESPONSIO

AD

QUAESTIONEM PHILOSOPHAM.

PROOEMIUM.

Cum de Errorum Fontibus cogitarem, sæpe sæpius in mentem venit tritum illud maxime proverbium, *Errare humanum est;* cujus rei caussam investigans, eam in animi humani angustiis contineri facile intellexi.

Deinde etiam animadverti, errorem et vanitatem et præsumtionem ipsorum hominum opera esse, quibus potissimum delectantur; ut cum *errandi necessitate amor* etiam *erroris* conjungatur.

Placuit itaque divini SENECÆ sententia, quam huic nostræ Disputationi præfiximus, et in qua interpretanda et explananda omnis nostra oratio versabitur.

Tu vero, quisquis juvenilibus studiis faves, lector humanissime, benigne hoc accipias Specimen benevoleque dijudices!



CAPUT I.

« Inter cætera mortalitatis incommoda et hæc « caligo mentium; nec tantum NECESSITAS ER- « RANDI, sed ERRORUM AMOR. »

SENECA De Ira Lib. II. cap. 9.

§ I.

NECESSITAS ERRANDI. Quantæ sunt animi humani angustiæ! quanta rerum obscuritas! In profundo veritas demersa est, et vide humanam imbecillitatem! Καθάπερ δὲ τὸ τοῦ ἡλίου φῶς οὐκ ἔστι θεάσασθαι ἀσθενεῖ καὶ ἀδυνάτῳ τῇ ὄψει· οὕτω καὶ ἔτι μᾶλλον τὴν ἀλήθειαν οὐκ ἔστιν ἰδεῖν ἀσθενεῖ καὶ ἀδυνάτῳ τῇ διανοίᾳ (1). Orbis notionum ingens, imbecilli sunt animi (2); homo enim circumdatur innumeris rebus, iisque diversissimis, quarum vim et naturam

(1) *Rheginus* Serm. De Amicitia apud STOBÆUM p. 50. ed. Basil.

(2) Conf. J. J. ROUSSEAU Émile Lib. IV. Tom. IV. pag. 52. sqq. cui add. MALEBRANCHE De la recherche de la vérité Lib. III. Tom. II. cap. 2 et 9. SALGUES Des Erreurs et Préjugés Tom. II. pag. 6.

perspicere nequit, humanaque intelligentia, si cum rerum, quæ scire possit, numero componatur, vel minima est et angustissima. Nescimus intimam elementorum rationem, dispositionem, naturam, relationes, vires, harumque virium variam conspirationem. Quam etiam multa sunt corpora, quæ ob exilitatem suam, aut immensa a nobis distantia, sensus nostros non feriunt!

Mens autem hominis cum infirma sit et valde finita, tamen discendi studio tenetur, semperque avet aliquid videre, audire, addiscere (3); quam immoderatam sciendi cupiditatem ne omnes quidem doctrinæ satiare possent, cum ne unius quidem mens capax sit (4). Quanta igitur vanitas ejus, qui se multa scire arbitratur, audiitque philosophorum facile principem et sapientissimum, Socratem fatentem, se hoc unum tantum scire, *nihil se scire* (5)!

Quo sapientior est qui humanæ mentis imbecillitatem et debilitatem agnoscens, prudenter de rebus omnibus judicat,

---

(3) Ut ait CICERO De Off. I. 4. § 13.

(4) MALEBRANCHE De la recherche de la vérité Tom. II. p. 275 sqq. recteque MONTAIGNE (Essais Lib. II. p. 361. fol.) « Le soin de s'augmenter « en sagesse et en science, ce fut la première ruine du genre humain. » Quæ nimia sciendi cupiditas statim ut in mentem humanam irrepserit, superbiam et perniciosum illum animi tumorem procreabit, qui hominem continuo ad alia atque alia impellit, a communi et justa cognoscendi et judicandi via amovet, ad nova placita novasque opiniones, quæ in vulgus non cadunt, amplectendas.

(5) DIOG. LAERT. Vit. Socrat. Lib. II. segm. 32. pag. 100. Meib.

semper id cogitans, se nihil scire, in eoque veterum philosophorum nonnullos imitans, qui summum bonum in animi debilitate agnoscenda collocarunt.

§ II.

NECESSITAS ERRANDI. Mens humana natura sua debilis, in judicando impedita et corrupta corporis communione, ut ait SAPIENS (6) : « corruptibile corpus aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. » Bene igitur PLATO cogitavit animum, quamdiu purus manserit et perfectus, diis immixtum cœlos inhabitasse; in qua sede, æterna illa et beata, verum et pulcrum et ea, quæ revera sunt (τὰ ὄντως ὄντα) contemplabatur; qui vero cum pravus et immemor deorum fieret, agmenque illud cœleste relinqueret, neque verum constanter intueri posset, in terram delapsus est, terrenoque et mortali corpore, veluti carcere, includebatur. Hac autem corporis communione animus ita corrumpebatur et imbecillis fiebat (7), ut omnis rationis expers, mendacii et erroris amans, veritatem assequi nullo modo posset (8). Ac

---

(6) BIBL. SACR. De Sap. IX, 15.

(7) PLATO in Timæo p. 43. A sqq. festive alicubi animum cœlitus in corpus delapsum comparat Glauco marito, cujus pristinus habitus propemodum totus evanuerit, corporis partibus partim fractis, partim dissolutis, magna undarum vehementia contritis, adhærentibus conchyliis, alga, lapidibus.

(8) Quibus malis ut homo mederetur, a Deo philosophia ei data est, quæ

inde tenebræ prava ista mutatione mentibus offusæ, in dies ingravescunt, corpore animum innumeris cupiditatibus et perturbationibus coërcente (9).

Immo menti humanæ caligo insidet, ipsisque rebus tenebræ, quibus lux veritatis obscuratur et evanescit. Error et vanitas, instar tenebrosæ noctis, per orbem terrarum diffunduntur, quæ omnis veri et pulchri lumen obvolvunt (10). Ex qua animi humani imbecillitate et pravitate innumeri errores oriuntur.

---

perpetuo veri studio atque indagatione cernitur, cujus ope animum sensim sensimque avocare posset ab infecta illa et prava corporis communione, atque tali modo id efficere, ut paulatim renovaretur, restitueretúrque aliqua veri cognitio ἐπιστήμη, ut pluribus locis docet PLATO.

(9) Corpus animum impedit in veri investigatione. PLATO Phæd. cap. 10 et 23. et WYTTENBACH. ad eumd. pag. 220. — « Nos itaque, ut cum « SENECA loquar, (De Brevit. Vit. cap. II. p. 214 ed. Lips.) urgen- « tia circumstant vitia undique; nec resurgere, aut in dispectum veri at- « tollere oculos sinunt, sed mersos et in cupiditatibus infixos premunt. « Nunquam illis recurrere ad se licet, sed si quando aliqua quies fortuito « contigit, velut in profundo mari, in quo post ventum quoque volutatio « fit, fluctuantur, nec unquam cupiditatibus suis otium instat ».

(10) Sic BERNARDIN DE ST-PIERRE in dialogo, qui inscribitur *La mort de Socrate*, ipsum Socratem inducit dicentem : « Je viens de vous « parler de la lumière de la vérité, mais c'est comme un mortel qui « ne voit les choses célestes qu'à travers un voile......... Les ténèbres et « l'erreur sont inhérentes à notre nature terrestre......... De ténébreuses « superstitions sont répandues comme une nuit sur plus de la moitié du « genre humain et lui cachent la source de toute vérité et de toute vertu. »

Spiritus enim comprehendens re comprehendenda major sit oportet (11), res autem comprehendendæ infinitæ sunt nec omnes in animum angustis limitibus circumscriptum cadere possunt.

§ III.

NECESSITAS ERRANDI ex nativa hominis constitutione ducenda. In homine intellectus est et voluntas, quorum ille angustior, hæc latior est. Angustior quidem est intellectus; quod intelligere omnia minime valeamus; quæ vero percipi possunt, obscure solum novimus. Latior autem est voluntas, quatenus veluti infinita *comprehensorum* et *incomprehensorum* esse potest. Unde efficitur, ut voluntas judicando, i. e. assentiendo sive dissentiendo, in præscriptis intellectus limitibus sese non contineat, et ad id feratur, quod probabile est et obscure modo ab animo noscitur. Quod si voluntas in judicando ad ea tantum sese ferret, quæ clare et distincte perspiciuntur, nunquam deciperemur. Ideoque error non aliunde oritur, nisi ex eo quod obscura aut confusa, ideoque ignota, voluntas, utpote quæ libera est, sæpissime appetat (12).

§ IV.

Tali modo NECESSITATEM ERRANDI cum necessitate judicandi conjunctam videmus.

---

(11) Vid. SIMONIS ERHARDTI *Encyclop. Philos.* interprete F. J. DUMBECKIO §§. 25, 26, 27, 31.

(12) Vid. DESCARTES *Art de raisonner*, init. PEYRARD *De la nature et de ses lois*, p. 86.

« Il est clair, « inquit philosophus Genevensis (13), » que si « nous n'avions jamais besoin de juger, nous n'aurions jamais « besoin d'apprendre, nous ne serions jamais dans le cas « de nous tromper; » — quoniam mens hominis videtur esse ejus conditionis, ut in rebus percipiendis dijudicandisque perversam sæpe adhibeat rationem atque ordinem. Quod non tam innato alicui ejus vitio, quam pravæ initæ consuetudini tribuendum est. Infantes enim omnes nascimur, neque judicium cum ipsa vita maturum, sed debile et imperfectum accipimus, quod quidem non nisi tempore, usu et exercitatione excolitur, multaque laboris contentione conformatur, præceptis institutisque expolitur, et paullatim, duce ratione et experientia, veri et pulchri sensum assequimur. Quod si, ut fieri solet in infantia, primæ notiones fuerint obscuræ et falsæ, primus etiam hic error ad reliquam vitam emanabit. Ubi enim adoleverimus et eam ætatem attigerimus, qua jam mens intelligere valet, quid verum aut falsum sit, etiam ex comparatione rerum justum addiscemus judicium deducere. Eundem tamen usque servabimus ordinem et judicandi rationem, quam in ignara illa et imbecilli ætate secuti sumus; et demum malis præceptis pravisque opinionibus imbuti haud facile ad id adducemur, ut ea improbemus et contemnamus, quæ tot annorum spatiis mire nobis placuerunt. Itaque notiones istæ falsæ, quæ intellectum humanum ab initio obsederunt, alteque in ipso inhærent, non solum animos ita impediunt, ut viam, quæ ducit ad veritatem, difficilem reddant, sed etiam eam ingressis rursus illæ in ipsa notionum instauratione occurrant, et molestæ ad-

---

(13) Emile lib. III. p. 157. cui add. Bernardin de St.-Pierre, *La chaumière indienne*, init.

modum deprehendantur, licet homines præmoniti, cauti et providi ab istiusmodi erroribus caveant.

Cui autem malo tam gravi et tam pernicioso si quis remedium adhibere voluerit, animadvertet cum CARTESIO (14), quam multa ineunte ætate falsa pro veris acceperit, et quam dubia sint, quæcumque istis superstruxerit. Quibus animo perpensis, siquando quid certi et stabilis in notionibus suis comparare cupiat, funditus omnia semel evertat, *credat nihil unquam exstitisse eorum, quae mendax memoria* representat, atque tali modo a primis fundamentis denuo incipiat. Hujusmodi erroribus idem plane remedium adfert BACO (15), qui «*frustra*, « inquit, *magnum exspectatur augmentum in scientiis ex su-* « *perinductione et insitione novorum super vetera, sed instau-* « *ratio facienda est ab imis fundamentis, nisi libeat perpetuo* « *circumvolvi in orbem cum exili et quasi contemnendo pro-* « *gressu.* »

§ V.

Præterea educatio quoque et cum aliis hominibus convictus, colloquia, eorum auctoritas, consuetudines, instituta, commercia pravas opiniones disseminant, quæ vulgo accipiuntur, quæque absque ulla probatione et inquisitione veræ habentur. Neque vero ad rationem, sed ad similitudinem vivimus, unde ista tanta coacervatio aliorum super alios ruentium, tantus tumultus, tanta opinionum vulgarium auctoritas, tantus denique errorum consensus !

---

(14) Meditat. II, p. 9.

(15) Nov. organ. XXXI.

§ VI.

Porro NECESSITAS ERRANDI a mala vocabulorum constitutione repetenda. Etenim auctoritas, consuetudines cum aliis hominibus et alia hujus generis plurima fecerunt, ut ejusmodi verba addisceremus quibus omnia fere referuntur ad res sensibiles et corporeas; unde fit, ut plerumque verborum sensum sequentes, illud in ipsis rebus inesse putemus, quod vocabula nobis significare videntur. Ejusmodi errores *idola fori* propter hominum commercium et consortium nominat BACON (16) : « *homines enim*, inquit, *per sermones sociantur, et verba ex captu vulgi imponuntur, itaque mala et inepta verborum impositio miris modis intellectum obsidet.* »

§ VII.

Denique NECESSITAS ERRANDI ex prava institutione et studiorum confusione ducenda. Sunt, qui omne simul doctrinarum genus quam avidissime amplectuntur; unde efficitur, ut primis multa labiis degustantes nihil solide norint. Aliud etiam vitium significat CICERO (17), « *quod quidam nimis magnum studium, multamque operam in res obscuras atque difficiles conferant, easdemque non necessarias*: » quippe qui, ignorantes *quid valeant humeri, quid ferre recusent*, operose agendo nihil agant. Cujus autem errores ista agendi ratio minuet?

---

(16) De Augm. Scient. nov. org. XLIII.

(17) De Off. I, 6.

Cujus animum ad veri investigationem et cognitionem adducet? Quem prudentiorem et sagaciorem efficiet? E contra sunt, qui supervacuis atque inanibus studiis operam navant, quique animum nugis et ineptiis implent. Verumtamen fieri nequit, ut qui curam impendit adeo diligentem rebus tam exilibus, ea non negligat, quæ utiliora sunt et præstantiora. Qui igitur animum ad doctrinam informare volet, is tempus parce dispensabit, ut sufficiat necessariis. Nunc quæ dementia esset, supervacua discere in tanta egestate temporis! Quid enim juvat in hac vita tam brevi, tam angusta et rapida maximam partem in vanum mittere?

Denique alieno sæpe tempore arripiuntur studia. Neque vero omnia omni ætate addiscenda sunt; quæ plus memoriæ innituntur, pueris, quæ solidius et exquisitius jam judicium expostulant, adolescentibus, quæ graviter et circumspecte agenda sunt, viris, senibusque conveniunt.

Quæ cum ita sint, videmus, errores à KANTIO illo, summo viro, recte dictos esse *veritates negativas*; atque opus esse *negativo* quoque, ut ita dicam, ingenio (cujusmodi omnium maximum deprehendimus *Baylium*) quod obscuras ideas caligine obrutas, in claram lucem producat, atque verbis non ambiguis, quod alios fugit, mentis velut sensoriis perceptum, extra dubitationis aleam ponat.

Conspirant cum necessitate, quam jubet natura, vel hominum studia. Ne enim ejusmodi fontium oriatur penuria, ad *necessitatem* errandi accedit ERRORUM AMOR.

Priusquam vero de hoc ulteriori agamus, monenda quasi intermedia inter utrumque errorum causa, quæ est rerum

NEGLIGENTIA. In investiganda enim veritate nullæ feriæ, nihil secundarium; eadem cura gravissimis æque ac levioribus rebus tribuenda est. Error enim sæpissime oritur a sola mentis defatigatione et fastidio : cui itaque, ut infra videbimus, sanior illa σκέψις medelam adferre potest.

§ VIII.

ERRORUM vero AMOR oritur ex amore nostrûm ipsorum, sive commodorum earumque opinionum, quæ utilitati nostræ magis inserviunt. Si nimirum attendamus ad id, quod plerumque homines ad hanc vel illam opinionem allicit, facile intelligemus, non veritatis lucem, neque rationum vires, sed vinculum quoddam propriæ utilitatis, affectuumque in animis eorum alte inhærentium eos ad judicandum adsentiendumque incitavisse. Quo fit, ut verum cum utili conjungamus, cui cum semper consulamus, in eo etiam inesse verum judicamus, et utrumque nobis idem fit : *id quod amant volunt esse verum* (18). Fontes omnium voluptatum, aït avarus, sunt *divitiae*, earum igitur augendarum cura me assidue et sollicite occupatum teneat. Nullum igitur supererit veri indagandi studium, *opesque ipsius ipsi sunt veritas*. Libidines, inquit voluptarius, summum hominibus bonum. Eas igitur omnibus hujus vitæ delectationibus anteponam. Atque

---

(18) De quo vitio egregie BERNARDIN DE ST.-PIERRE, *Études de la nature*, etud. IX, « D'abord pour chercher la vérité, il faut être libre de « toutes passions, et l'on nous en inspire dès l'enfance, qui donnent la pre- « mière entorse à notre raison. On y pose pour base fondamentale de nos « actions et de nos opinions, cette maxime : *faites fortune*; il arrive de là « que nous ne voyons plus rien que ce qui a quelque relation avec ce désir. »

sic ab institutione, doctrinâ, pulcro, decoro et vero deflectit: *voluptas ipsi veritas.* Imperia, dignitates et honores, ait superbus, me aliis longe præstantem efficient; nihilque expetendum magis ducit, quam magnum nomen et gloriam: quam ut ille consequatur, immoderato usque laudis studio exardescens, omnem laborem atque uni operam huic rei adhibet, et sic *honorem* quærit cum *veri* dispendio.

Res itaque nobis placent, non quod veræ sint, sed quia veras judicamus eas, quæ placent. *Quae volumus,* inquit CÆSAR (19), *et credimus libenter,* quod ipsum profecto est verissimum; homo enim veritatem non sectatur, nisi commodo aliquo, quod in ea insit, allectus, eamque non fugit, nisi eam arbitretur sibi nocere posse. Tum vero animum suum vanitate, inani spe, falsâ imagine, opinionibus omnibus, futilibus denique somniis alit, quoniam in iis et utilitatem et delectationem habet, ut ait DUMARSÆUS (20): « Tant que l'erreur nous est avantageuse, « nous ne sommes point tentés de l'examiner. Le commun des « hommes n'est si attaché à ses préjugés que parcequ'il n'en « connaît point les conséquences, ou parcequ'il les croit uti- « les. » Itaque judicium non ex ratione, ut decet, sed ex utilitate fertur; quod nobis placet, id verum, justum, decorum, pulcrum et solidum existimamus.

Denique *Errorum Amor* conjungitur cum *praejudicatis opinionibus*, sive *propriis*, sive *familiae*, *nationis*, *auctoritatis*, *antiquitatis* aut *novitatis*, aliis, de quibus singulatim dicemus.

(19) Bell. Gall. II. 27.

(20) Essais sur les Préjugés, Tom. II. p. 29.

CAPUT II.

DE PRÆJUDICATIS OPINIONIBUS.

« Nous avons mille routes pour arriver à l'erreur « et il n'en est qu'une pour arriver à la vérité. L'igno- « rance, la foiblesse d'esprit, les préjugés de l'édu- « cation, la paresse ou l'indifférence, l'intérêt et la « passion, l'autorité, l'habitude et la routine, l'irré- « flexion et l'esprit de parti, sont autant d'ennemis « armés sans cesse contre la raison. »

(Salgues, des Erreurs et Préjugés, Præf. Tom. II. pag. 9).

§ IX.

Præsumtionis origo et prima incunabula videntur esse quærenda in corrupto hominis intellectu. Cum enim omnis præjudicata opinio sit judicium erroneum, et hoc nequeat nisi ex obscuris et pravis notionibus, ideoque ex corruptis mentis humanæ facultatibus oriri; inde sequitur, hanc præcipuam errorum caussam exsistere. Cujusmodi præjudicatæ opiniones Baconi (21) nuncupantur *Idola Tribus,* quod in universam hominum

(21) De Augm. Scient. Nov. Org. XLI.

naturam, in ipsam *tribum* seu gentem cadant. Proprium enim est intellectus humani, ut magis afficiatur affirmativis quam negativis, quum æquum assensum utrique præbere debeat; qui vero, si deprehenderit rem quampiam aliquando exstitisse, seque eam percipere, licet eadem longe pluries fefellerit, tamen veram ducit et auscultatur; indeque repetendus est omnis superstitionis et vanæ credulitatis fons et origo. Quæ enim semel placuerunt, omnia etiam alia ad se alliciunt trahuntque ad assentionem et suffragationem et, licet minime probanda videantur, tamen arripiuntur, instantiarum, quæ in contrariam partem occurrunt, copiâ et vi prorsus neglectâ. Quo fit, ut non sine magno malo eorum, quæ semel recepta sunt et credita, auctoritas inviolata maneat.

§ X.

Præter aberrationes naturæ humanæ in genere, suæ sunt cuique præjudicatæ opiniones et peculiares errores, qui originem repetunt ab educatione, cum aliis convictu et colloquio, sive etiam a lectione librorum nimiâque auctoritate eorum, quos quisque colit et miratur, aut denique a variis animorum affectibus dispositionibusque. Unde intelligitur, si animorum alios viderimus opinione imbutos et perturbatos, alios vero dociles et sedatos, diversas etiam quosque suas habere vanitates. Bene igitur HERACLITUS homines dixit, scientias quærere in *minoribus mundis*, neque vero in *majori* sive communi. Quod fieri deberet si, misso partium studio rejectisque præjudicatis opinionibus, quæ omnium animos obcæcant, sola veri investigatio institueretur.

§ XI.

Tum vero etiam *amor sui* insitarum animo opinionum principium est; quibus qui imbutus est, nihil veritate, affectibus æstimat omnia; omnesque notiones suas veras, solidas, nimia ingenii fiducia ducit, atque sic res mente liquida nunquam videt. Quod enim mavult verum esse, id potius credit. Rejicit itaque difficilia ob inquirendi impatientiam; sobria, quia coarctant spem; altiora naturæ propter superstitionem; lumen experientiæ, propter arrogantiam et fastum, ne videatur mens versari in vilibus et fluxis; paradoxa propter opinionem vulgi. Denique innumeris modis, iisque interdum invisibilibus, affectus intellectum imbuit et inficit (22).

§ XII.

Sunt etiam præjudicatæ opiniones, quæ *imaginationis* (23) dicuntur, quæque in uniuscujusque organorum natura et dispositione, ratione etiam ætatis, cœli sub quo vivimus, consuetudine continentur. Eæ enim juvenilem magis quam maturam ætatem, magis mulieres quam viros, et calidarum regionum incolas magis quam populos septentrionales attingere videntur; sæpius etiam in imbecillem vulgum, quam in viros saga-

(22) BACO VERUL. De Augm. Scient. Nov. Org. XLIX.

(23) Quam fœcunda sit errorum parens *imaginatio* nemo nescit. Speciosa enim quædam rerum simulacra fingit, quæ in ipsarum rerum locum substituit, ut mens vana specie decepta fugaces umbras pro veritate seria complectatur, fictas hypotheses et fallacia somnia totidem dogmata, de quibus dubitare sit nefas, menti obtrudit.

ces cadunt, teste MONTANIO (24) : « d'autant que l'âme est plus « vuide et sans contrepoids, elle se baisse plus facilement sous « la cherche de la première persuasion. Voila pourquoi les « enfants, le vulgaire, les femmes et les malades, sont plus « sujets à être mesnez par les oreilles. » Quis enim præjudicatas opiniones, quibus perpetuo vulgus imbuitur, enumerare posset (25):

Somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
Nocturnos lemures portentaque, Thessala.....

§ XIII.

Præterea præjudicatarum opinionum genera diversa sunt; primum ratione temporis; quæ describi possunt in *praejudicia infantiae*, *adolescentiae*, *aetatis virilis* et *senilis*. Alia etiam BACO (26) earum quatuor genera cogitavit, qua *dola*, *tribus*, *specus*, *fori* atque *theatri* nuncupavit. Deinde SYRBIUS (27) eas divisit in *praecipitantiae*, *proprietatis et auctoritatis humanae* opiniones. Ad alteras refert præjudicatam opinionem *temeritatis* et *oscitantiae*; ad alteras *praejudicium*, *inventionis propriae*, *familiae*, *nationis etc.* De quibus deinceps disputabimus.

---

(24) Essais Lib. I. cap. 26. init.

(25) De quibus vid. SALGUES, Erreurs et Préjugés. 3 volum.

(26) De Augm. Scient. Lib. V. cap. 4.

(27) In Philosophia Rationali.

CAPUT III.

PRÆJUDICATÆ OPINIONES ÆTATIS.

§ XIV.

Ac primo quidem *infantiae*. Omnes hominum ætates peculiaribus quibusdam erroribus sunt obnoxiæ, in primisque *infantia* hoc morbo laborat. Perperam in hac ætate judicamus, quod præcipitanter et temere judicamus, nihilque sat studiose animadvertimus, sed ad alia atque alia evolamus, inque iis semper ad aliorum rationem nos accommodantes. Itaque præjudicatæ opiniones jam ab ipsa infantia et ipsis incunabulis teneros in animos irrepunt et catervatim occupant. Oriuntur autem ex anilibus fabulis, quas avide excipiunt infantes, quæque in eorum cerebro vivide commoto altius imprimuntur; indeque terrores puerorum et superstitiosa illa credulitas iis, quæ ad religionem et mores spectant; oriuntur vero etiam ex sensuum impressionibus, quæ infirmæ et imbecilli rationi illudunt; tum ex auctoritate eorum, quos veneramur et quorum verba totidem nobis fiunt oracula. Quæ autem a patribus nostris, matribus et nutricibus audimus, ea licet erronea sint, tamen semel in animis nostris infixa, altas adeo ætate progrediente radices agunt, ut eas evellere vel difficilli-

mum sit, ut ait PLATO (28) : « ὁ γὰρ νέος οὐχ οἷόστε κρίνειν ὅτι τε ὑπόνοια καὶ ὃ μή· ἀλλ' ἂν τηλικοῦτος ὢν λάβῃ ἐν ταῖς δόξαις δυσέκνιπτά τε καὶ ἀμετάστατα φιλεῖ γίγνεσθαι.» Errorque erit insanabilis, si in tempus et consuetudinem abierit. Infantes enim, cum adoleverint, tunc suis opinionibus in examen adductis, iisque sibi visis æque diu in animis suis insidentibus, ac omni re cujus recordari possunt, neque vero observato earum principio, quaque ratione et quibus subsidiis eas perceperint, continuo natura sua impelluntur ad ejusmodi opiniones ut sacras colendas, nunquam sinentes eas profanari, adulterari, oppugnari, sed potius eas rerum agendarum arbitria statuentes. Accedit ad miseriæ cumulum, ut infantium educatio iis committatur, quorum animos errores et præjudicatæ opiniones obsident. Qua de re vehementer conqueritur CICERO (29) his verbis : « nunc autem, simul atque editi in lucem et suscepti sumus, « in omni continuo pravitate et in summa opinionum perver- « sitate versamur, ut pæne cum lacte nutricis errorem suxisse « videamur. Cum vero parentibus redditi, deinde magistris « traditi sumus, tum ita variis imbuimur erroribus, ut va- « nitati veritas, et opinioni conformatæ natura ipsa cedat. »

§ XV.

Bene igitur CHRYSIPPUS (30) optaverat, ut sapientes eligeren-

---

(28) De Rep. Lib. II, cap. 12. Steph. E. Lib. II. p. 378. D. E.

(29) Tusc. Quæst. III. 1 § 2. Add. SALGUES Des Erreurs et Préjugés Tom. I præf.

(30) Vid. QUINCTILIAN. Lib. I. cap. 1 § 4. Conf. BAGUETIUS noster Comment. De Chrysippo p. 336. (in Annal. Acad. Lovan. 1820-1821)

tur nutrices; ea vero præstantior et utilior disciplina esset, quæ, ut placet CONDILLACO (31), pueris curiositatis suæ partem remanere sineret; melius enim est, si ii rursus addiscere aliquid cupiant, quam se doctos existiment, cum nihil sciant. Quæ etiam institutionis ratio nihil eorum tradet, quæ puerorum captum exsuperent. Omniaque cum instituta tum præcepta ad eorum sensum accommodabuntur. Quæ non tam eos veritates doceant, quam erroribus, in quos incidere possent, occurrant (32). Primi ejusmodi educationis progressus erunt quidem lenti; neque videbuntur illa præmaturæ mentis prodigia, quæ annis aliquot evolutis, stultitiæ fiunt, sed ratio opinionibus et erroribus soluta et ad doctrinam aptissima. Festive igitur J. J. ROSSÆUS (33) in hanc rem : « Ténèbres de l'enten-

---

(31) Log. Tom. I. pag. 303.

(32) Recte igitur J. J. ROSSÆUS (EMILE, Liv. II. Tom. II. pag. 67). « Le plus dangereux intervalle de la vie humaine est celui de la naissance; « à l'âge de douze ans c'est le temps où germent les erreurs et les vices, sans « qu'on ait encore aucun instrument pour les détruire, et quand l'instru- « ment vient, les racines sont si profondes qu'il n'est plus temps de les ar- « racher. Si les enfants sautaient tout d'un coup de la mamelle à l'âge de « raison, l'éducation qu'on leur donne pourrait leur convenir; mais selon « le progrès naturel, il leur en faut une toute contraire. Il faudrait qu'ils « ne fissent rien de leur âme jusqu'à ce qu'elle eut toutes ses facultés; car « il est impossible qu'elle aperçoive le flambeau que vous lui présentez « tandis qu'elle est aveugle, et qu'elle suive dans l'immense plaine des idées « une route que la raison trace encore si légèrement pour les meilleurs yeux.

« La première éducation doit donc être purement négative. Elle consiste, « non point à enseigner la vertu ni la vérité, mais à garantir le cœur du « vice et l'esprit de l'erreur. »

(33) Ibid. Tom. III. Lib. III. p. 140.

« dement humain, quelle main téméraire osa toucher à votre « voile? que d'abymes je vois creuser par nos vaines sciences « autour de ce jeune infortuné! ô toi, qui vas le conduire « dans ce périlleux sentier, et tirer devant ses yeux le rideau « sacré de la nature, tremble, crains l'attrait spécieux du men- « songe et les vapeurs enivrantes de l'orgueil. Souviens-toi sans « cesse que *l'ignorance n'a jamais fait de mal*, que *l'erreur* « seule est funeste, et qu'on ne s'égare pas, parceque l'on ne « sait pas, mais parceque l'on croit savoir. »

§ XVI.

Infantiam sequitur *Adolescentia*, quæ etiam præjudicatis opinionibus valde imbuitur; ætas voluptatum et cupidinum, ætas impetus animorum vehementissimæque sensuum impressionis. Felix fortunatusque est adolescens, qui sapienti manu directus, cum prudentia et moderatione verum sequitur et errorum, qui suam ætatem attingunt, non fit particeps! Sed, proh dolor! affectiones maxime dominantur verique investigatio parum curatur et quæ jam in ipsa infantia animo erant insitæ opiniones adolescens fovet, easque ut res sacras veneratur. Concepta enim semel opinio vix deponitur, ac difficile est mutare animum, et si quid est penitus insitum moribus, id subito evellere. Deinde virilem ætatem consequitur, qua jam tumultuosæ animi affectiones imminuuntur, qua etiam homo consideratus et prudens, omnibus quæ ratio suppeditat subsidiis potissimum uti valet. Verum enim vero si adolescentiæ cupidines et impetus ei non imperent, tamen ab aliis æque perniciosis in vanitatem erroneasque judicandi et agendi rationes inducitur. Honorum contentio, principatus et gloriæ ap-

petitus, divitiarum cupido, et alia ejusdem generis ejus animum obsident veroque et pulchro aditum occludunt. Tandem venit senectus, laudatrix temporis acti, cujus

Claudicat ingenium, delirat linguaque mensque :

et quæ iisdem atque infantia erroribus, qui ex phantasia et sensatione oriuntur, imbuitur, imprimisque antiquæ ætatis præjudicatas opiniones sectatur, ut nihil æstimet eorum, quæ recens fiunt, quæ vero præterito tempore acta sunt, ex sua auctoritate, judicio, sententia comprobet.

Ex quibus facile intelligitur, omnes hominum ætates erroribus quibusdam peculiaribus esse obnoxias; adeoque hominem in omni vitæ tempore maxime, quoad ejus fieri potest, cautum et providum esse debere, animique affectiones expellere, quæ eum decipiunt atque a vero amovent.

CAPUT IV.

PRÆJUDICIA OPINIONIS RECEPTÆ.

§ XVII.

Inter animalia, quæ rationalia nuncupantur, pauca sunt quæ ratione sua utantur; atque hominum genus præjudicatarum omnis generis opinionum ludibrium est. Meditari, res usu explorare, rationem et judicium exercitare nemo fere solet. Animi autem affectus et cupiditates, vitæ jucunditates, voluptates, inertia et socordia maximam hominum partem a veri indagatione procul amovent; quippe qui consuetudini et habitibus credere, auctoritatique et institutis regi satius et commodius ducunt (34). *Praejudicia* autem *opinionis receptae* sunt vel *propriae*, vel *familiae*, *nationis*, *vulgi*, *auctoritatis*, *antiquitatis* et *novitatis*, de quibus deinceps.

§ XVIII.

Praejudicia opinionis propriae. Sunt enim qui pro opinio-

(34) Dumarsais Préjugés Tom. I. p. 7. sq. Add. Seneca De Vit Beat. init.

nibus animo suo ante insitis, veluti pro aris et focis pugnant : « πολλοὶ βουλόμενοι δοκεῖν εἶναι εὐβουλότατοι ······· οὐκ ἀξιοῦσιν ἀπὸ τῶν δοξάντων ἅπαξ ἀναχωρέειν. ἀλλ᾽ ὅκως μὴ ἐλεγχοίατο, ὡς ἀπὸ ἡμαρτημένης ἀφιστάμενοι ἐμμένουσι τῇ γνώμῃ (35) » qua cum sententia componere licet hæc LOKII verba (36) : « Cette opinion qu'un homme a con- « çue de ses principes, étant une fois établie dans son esprit, il « est aisé de se figurer comme il recevra une proposition « prouvée aussi clairement qu'il est possible, si elle tend à « affoiblir l'autorité de ces oracles internes, ou qu'elle leur « soit tant soit peu contraire. » Quæ perniciosa ratio, qua homines ita antecedentibus judiciis adhærescunt, sæpe caussa est, cur animum in errore valde obfirment; se enim, priusquam quid amplecterentur, diligenter examinavisse arbitrantur.

Quot denique sunt homines (ne dicam maximam partem) qui recta sese judicia tulisse autument, hac sola ratione, quod nunquam aliter cogitaverint idque, quoniam opiniones suas nunquam liquida mente vident et perponderant, de iisque nihil quidquam investigant. Neque vero ratione, neque judicio suo utuntur, ut credita et recepta accurate recognoscant; sed quod semel noverunt, id tale existimant, quale noverunt.

§ XIX.

Praejudicatae opiniones familiae et nationis, quæ innumeræ

---

(35) Conf. *Eusebius* ap. STOBÆUM. Serm. XXIII. pag. 189. Basil.

(36) Essais. Tom. IV. § 10. trad. Coste.

sunt, quoniam ortum habent ab animi affectionibus, nimioque suì et rerum suarum amore. Indeque præjdicatæ opiniones oriuntur, ut si quis a nobis petiverit, quid ejusmodi opinionibus annuamus? reponere soleamus: tot insignes et docti ex meâ familiâ, et natione viri idem opinati sunt, cur ego cum eis non consentiam? Sunt etiam vitia in principum domibus, quæ ægre exui possunt; nolunt enim ii, putarentque se a majorum virtute deflectere, si ab eorum opinionibus discederent.

§ XX.

Praejudicatae opiniones vulgi. Vulgus quod errores fovet, omnia undeque ad vitia consentiens multitudo (37)! Quantæ in eo opinionum pravitates! Quanta imbecillitas et credulitas! Recte profecto MONTANUS: « En la moyenne capacité s'engen« dre l'erreur des opinions. Ils suivent l'apparence du premier sens et ont quelque tiltre d'interpréter à niaiserie et à bestise (38) » Nam illi, ut cum SENECA (39) loquar, « qui ex aliis « propositis in alia transiliunt, aut ne transiliunt quidem, « sed casu quodam transmittuntur, quomodo habere quidquam « certum mansurumve possunt, suspensi et vagi? Pauci sunt, « qui consilio se suaque disponant: ceteri eorum more, quæ « fluminibus innatant, non eunt, sed feruntur. »

(37) CICERO Tuscul. Quæst. III. 2.

(38) Essais Lib. I. p. 223—add. DUMARSAIS, Préjugés. Tom. I. pag. 7. sq.

(39) EPIST. XXIII. pag. 427. ubi vid. J. LIPS.

Atque, quod in magna hominum strage evenire solet, cum ipse se populus premit, nemo ita cadit, ut non alium in se attrahat, primi exitio sunt sequentibus, nemoque sibi tantum errat, sed aliis errorum caussa fit et auctor. Non judicatur, sed creditur, versatque nos traditus per manus error, alienisque perimus exemplis. Unusuisque habitibus, consuetudinique credit; nemo est, qui curam et studium adhibeat, quo se certiorem faciat, utrum quod institutum est, verum an falsum sit. Quomodo vero vita nostra consumitur? in credendo absque examine, in amplectendis opinionibus maxime communibus. Sic itaque error auctoritatem nanciscitur, sic vanitas et mendacium, sic insanæ et perniciosæ opiniones magis magisque disseminantur et in animos hominum pervadunt. *Opinionibus vulgi rapimur in errorem.* Festiveque in hanc rem idem MONTANIUS (40): « L'erreur particulière fait premièrement l'erreur « publique, et à son tour après l'erreur publique fait l'erreur « particulière. Ainsi va tout ce bastiment, s'estoffant et for- « mant de main en main. » Et vere, privati hominis errores maxime invalescunt, si etiam multitudini placeant, vulgus autem cum non sit, nisi copia insanorum hominum—ut cum poëta dicam (41)

οἵδ' θήρεσσιν ἀΐνδριες ἠδ' ἀδίδακτοι

nisi etiam confusa omnium ætatum, conditionum et morum permixtio, qui fieri potest, ut illius notiones et judicia rationi congruant?

(40) Essais Lib. III. cap. 9. p. 764, fol.

(41) *Orpheus* ap. STOB. Serm. IV p. 52. Tig. Serm. XXXII. p. 96. Wech.

Quapropter si quis vitam sic constituere suam voluerit, ut vulgaribus erroribus non irretiatur, ad hoc SENECÆ (42) attendat qui, « *Una*, inquit, *salutis via est, si separemur* a cætu. « Hæc prima pars major est et ideo pejor. Meliora placere non « solent et argumentum pessimi turba; quæramus quid optimum « mum factu sit, non quid usitatissimum. »

Quæ cum ita sint, imitemur in hac re illum Cynicorum principem DIOGENEM, qui, cum populus e theatro egrederetur, *adversus eum nitens* ingrediebatur, interrogatusque, quare id faceret, *hoc*, inquit, *in omni vita facere studeo* (43). Hinc omnium ætatum sapientes judicio vulgi anteposuerunt suum, falsum et exitiale existimantes antiquum illud proverbium: *vox populi, vox dei*, quinimo vulgum insulsitate et imbecillitate semper arguerunt. Et quis aliter de insana isthac multitudine judicaverit, si quotidianas ejus perturbationes viderit, si agrestem illum et rudem rerum ingeniosarum agendarum rationem, si perpetuas et mobiles affectiones, quibus venales istæ animæ sese dedunt, si voluptates et turpissimas libidines in quibus quotidie grassantur, si denique errores innumeros et

---

(42) De Vit. Beat. cap. 1. sq. ibique J. LIPSIUS. — Rationem etiam, cur a vulgo nos amovere debeamus, suppeditat PLATO. De Rep. IV. p. 431. C. cum ait: *καὶ μὲν καὶ τάς τε πολλὰς, καὶ παντοδαπὰς ἐπιθυμίας καὶ ἡδονάς τε καὶ λύπας ἐν πᾶσι μάλιστ', ἄν τις εὕροι...... ἐν τοῖς πολλοῖς τε καὶ φαύλοις.* Sic MONTANIUS, Essais Lib. I. cap. 30, « Nul art, nulle souplesse d'esprit ne pourrait conduire « nos pas à la suite d'un guide si desvoyé et si desréglé. Et de cette confusion « venteuse de bruits, de rapports et opinions vulgaires qui nous poussent, « il ne se peut établir aucune route qui vaille. Ne nous proposons point une « fin si flottante et volage. Allons constamment après la raison. »

(43) Conf. quæ de hâc re dedit J. LIPSIUS ad Senecæ Epist. XXIX, fin. p. 438.

præjudicatas opiniones, quibus mens vulgi imbuitur, animadverterit? Quod si res et negotia nostra, si vitæ genus atque consuetudines nos impediant, quominus a vulgo recedamus, adhibenda tamen est omnis cura et diligentia, ne in ejus errores imprudentes incidamus, doctiorumque vestigia sedulo sectantes, pravam judicandi rationem fugiamus, *plusque apud nos vera ratio valeat, quam vulgi opinio* (44).

---

(44) CICERO Parad. I. init.



CAPUT V.

AUCTORITATEM PRÆJUDICATARUM OPINIONUM FONTEM ESSE PRÆCIPUUM.

§ XXI.

Vix intelligimus, qui fieri possit, ut sæpe viri docti et sagaces, aliorum ingenio in veri indagatione uti malint, quam suo. Ac primo quidem hujus vitii caussa est propria ac nativa cuique inertia et pigritia, quæ studium et meditationem fugit. Ita nonnulli veritates aliquas ignorant, non quod eorum percipiendi facultatem exsuperent, verum applicationis animi defectu; nolunt enim ullam operam ponere in adipiscendis notionibus, iisque diligenter examinandis atque inter sese debito modo componendis. Deinde vero, idque frequenter obtingit, ex ignavia multi mentis imbecillitatem obtendunt et ad aliorum placita et sententias sese accommodant, et quasi in eorum tutelam se recipiunt.

Hujus etiam vitii caussa est imperitia meditandi atque rem unamquamque ex omnibus partibus perpendendi. Quæ inscitia et inhabilis natura oritur ex prava juventutis institutione, sive attentionis animi negligentia; indeque repetenda est, quod in juventute non satis studio incubuerimus, quippe ea ætate, cum fibræ cerebri tenues ac flexibiles ad rerum notiones percipiendas erant potissimum idoneæ.

§ XXII.

Deinde vero nimia aliorum æstimatio auctoritatem parit, auctoritasque reverentiam; unde fit ut rebus quam plurimis, nullo adhibito studio atque examine, ob solum eruditorum testimonium, assensus et fides præbeantur; quasi viri isti sagaces non sint erroribus obnoxii aut veritas non exstet, nisi ipsorum comprobatione et suffragiis. Pendemus toti ex alienis judiciis et id optimum nobis videtur, quod petitores laudatoresque multos habet. Tum vero etiam sæpe fit, ut sermonis elegantia ac venustate, ingeniosis ac facetis locutionibus, voce dulci, facili et expedita, dicendi ratione, ingenua et liberali facie impellamur ad auscultandas sectandasque auctoris alicujus opiniones (45). Tandem dignitatis splendor, magni nominis præstigia, divitiarum copia nos ad se alliciunt, sæpeque amicitia et familiaritas cum aliquo efficiunt, ut omnibus quæ ille dicat, assentiamur. Porro sapientium placita, quæcunque illa sint, aliorum ad se trahunt animos. Verum, ut optime ait Dumarsæus (46), « si les ouvrages de nos sages nous

---

(45) Quam in rem festive loquitur Daguesseau : « Delà, cette prévention « favorable pour ceux dont les talents extérieurs semblent porter avec eux « un caractère de vérité. L'expression nous trompe, le tour nous surprend, « le ton même nous en impose. Il est des sons séducteurs, une voix enchan- « teresse, il est des hommes si favorisés des grâces de la nature, que comme « l'a dit un ancien orateur (Periclès), ils semblent avoir la déesse de la per- « suasion sur les lèvres. » De la prévention, init. Sic Cicero Acad. Lib. VI. cap. 18. fin. « Quis enim ista tam aperte perspicueque et perversa et « falsa secutus esset, nisi tanta in Arcesila, multo etiam major in Carneade « et copia rerum et dicendi vis fuisset? »

(46) Essais sur les Préjugés, Tom. II. pag. 91.

« présentent des vérités nouvelles et des systêmes utiles, on y « rencontre des traces plus ou moins marquées des préjugés, « des foiblesses, des passions, des intérêts, qui les empêchent « de voir la vérité dans son entier. »

§ XXIII.

Multum etiam dare solemus præsumtioni omnium hominum et vulgaribus opinionibus; quæ apud omnes auctoritatem habent (47). Apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri; atque sanitatis patrocinium insanientium turba est (48). Sic itaque, quod in doctrinis comparandis maximi ponderis est et momenti, judicia nostra ad opiniones multitudinis accommodamus et communem ineptamque sequimur viam. « At hæc, inquit SENECA, (49) tristissima quæque via et celeberrima maxime decepit. Nihil ergo magis præstandum est

---

(47) Vid. Encyclop. voce *Erreur*. Sic MONTANUS (Lib. II. p. 593 fol.), « Car les opinions des hommes sont reçues à la suite des créances anciennes « par authorité et à crédit, comme si c'était religion et loy. On reçoit comme « un jargon ce qui est communément tenu. On reçoit cette vérité avec tout « son bastiment et attelage d'arguments et de preuves, comme un corps « ferme et solide, qu'on n'esbranle plus, qu'on ne juge plus. »

(48) MONTAIGNE Essais lib. II, Cap. 16, pag. 460. Conf. SENECA in « Otio Sapient. init. « Nec viam bonam ac malam per se æstimamus, sed « turba vestigiorum, etc. »

(49) De Vit. Beat. cap. I. init. Conf. Div. AUGUSTINUS De Civit. Dei Lib. I. cap. 22.

« quam ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, « pergentes non qua eundum est, sed qua itur. Atque nulla res « majoribus malis implicat, quam quod ad rumorem compo- « nimur, optima rati ea, quæ magno assensu recepta sunt, « quorumque exempla nobis multa sunt (50). » Adjice nunc quod isti, qui non ad rationem, sed ad similitudinem vivunt, nunquam tutelæ suæ fiunt (51); primum in vero investigando sequuntur alios; præterea qui alium sequitur, nihil invenit, immo nec quærit. Quid ergo? non ibo per priorum vestigia? ego vero utar via veteri? non faciam, sed si meliorem, planioremque invenero, hanc sequar plusque apud me vera ratio valebit quam aliorum opiniones. Ex quibus omnibus manifesta efficitur illa veritas Ciceroniana : « Non tam auctoritates in disputando, « quam rationis momenta quærenda sunt, quin etiam obest « plerumque iis qui discere volunt, auctoritas eorum qui se « docere profitentur. Desinunt enim suum judicium adhibere; « id habent ratum, quod ab eo quem probant, judicatum vi- « dent (52). Ideoque, etsi non displiceat illa ARISTOTELIS regula : δεῖ πιστεύειν τὸν μανθάνοντα (53); huic tamen conjungendum est : oportet jam edoctum judicio suo uti; ut recte placet J. J. ROSSÆO (54) : « à force d'apprendre lui-même, il use de

---

(50) CIC. De Legg. II « Cap. 17. § 43. in opinione vulgi rapimur in errorem, nec vera cernimus. »

(51) MONTAIGNE Essais Lib. III cap. 11. pag. 764.

(52) De Nat. Deor. Lib. I. cap. 5. init.

(53) De qua vid. MALEBRANCHIUS De la recherche de la vérité, Tom. II. Lib III. cap. 3.

(54) ÉMILE Lib. III. Tom. 3. pag. 167.

« sa raison, et non de celle d'autrui, car pour ne rien donner « à l'opinion, il ne faut rien donner à l'autorité, et la plupart « de nos erreurs nous viennent bien moins de nous que des « autres. » Discipulus enim magistro temporariam solum fidem debet suumque sibi judicium servare, donec penitus majorem rerum cognitionem et intelligentiam nactus sit. Magistri enim illi erroribus et ipsi sunt subjecti, quoniam cum sua aguntur commoda, laus atque honor, nonnulli sunt qui utili dulce anteponant, ductique animi affectionibus, sæpe molestæ veritatis loco jucundum errorem consectentur.

§ XXIV.

Hujusmodi autem præjudicatæ opiniones in omnes hominum ætates cadunt, sed in primis in juventutem; indeque infinitus errorum numerus ad reliquam vitam profluit. Cum enim puerorum facultates sint adeo debiles, ut neque rerum habitus, relationes, constitutiones, neque earumdem effectus et caussas accurate expendere possint, sic ad aliorum auctoritatem et exemplum, ne cogitantes quidem utrum probata illa sint necne, avide confugiunt. Atque si attenderis ad submissum illud obsequium, quod in actionibus suis servant, quo religionis præcepta excipiunt exsequunturque, quo etiam sese ad aliorum imitationem componunt; continuo magistrorum, parentum, nutricum, sive aliorum institutorum, quasi ad unicam veri regulam, actiones suas dirigunt.

§ XXV.

Sic itaque in vita passim labimur, duces alios insequentes, neque ad rationem, sed ad imitationem vivimus, aliorumque decipimur exemplis. Quod vitium magis in oculos incurrit,

si in ipsos philosophos cadat; ubi nimirum Pythagoricos (55) vidimus magistri voce ductos vidimusque Peripateticos et, ex recentioribus, Cartesianos quam plurimos errores disseminantes hac sola ratione, quod ita doctori suo placuerit.

Quam vero utilior et sapientior illa LACTANTII philosophia, cui placet (56); ut quisque in rebus, quibus vivendi ratio et vitæ humanæ institutio agitur, sibi ipse confidat, omnemque

---

(55) Quorum αὐτὸς ἔφα, quod semper in ore ferebant, satis superque probat, quam contumaciter Pythagoræ auctoritati adhæserint. Quod item vidimus apud Peripateticos, qui per plura sæcula errores innumeros disseminaverunt, idque, quod ita sentiret Aristoteles. Illos autem priores sic vituperat CICERO (De Nat. Deor. loc. cit.) « Nec vero probare soleo id quod de Pythagoricis acce-« pimus, quos ferunt, si quid affirmarent, in disputando, cum ex eis quærere-« tur, quare ita esset, respondere solitos *ipse dixit*. (Le Dieu de la science scho-« lastique, c'est Aristote, c'est religion de débattre ses ordonnances comme « celles de Lycurgue à Sparte.» MONTAIGNE Essais Lib. III. cap. 9. pag. 764.). Hoc etiam vitium fuit Cartesianorum, qui Renati Cartesii auctoritate ducti quamplurimos errores fovebant. Longe vero melior et præstantior Epicteti Philosophia, qui (ap. ARRIAN. Lib. II. Dissert. XIX.) Stoicis ita respondebat: Diodorus ita dixit et Cleanthes et Chrysippus, tu vero quid....? Vid. J. LIPSIUS ad Senec. Epist XXXIII. Multo etiam sapientior Panætius, qui cum prope Stoicorum princeps esset, ea de re dubitare se dixit, quam omnes præter eum Stoici certissimam putabant: vera esse aruspicia, auspicia, oracula, somnia, vaticinationes. Et sic quæ vera posuerant ejusdem sectæ philosophi, ab iis dissentiens, improbavit, de iisque dubitavit. Vid. CICERO Acad. Lib. IV. cap. 33. § 107.

(56) Div. Inst. Lib. II. cap. 8. ubi sic : « Quare oportet in ea re maxime, « in qua vitæ ratio versatur, sibi quemque confidere, suoque judicio ac « propriis sensibus niti ad investigandam et perpendendam veritatem, quam « credentem alienis erroribus decipi, tamquam ipsum rationis expertem. »

operam et diligentiam ad veri investigationem et anquisitionem conferat. Recte igitur Plato: ἀλλ' ἡμῖν ἀνάγκη, οἶμαι, χρῆσθαι ἡμῖν αὐτοῖς, ὁποῖοί τινες ἐσμέν (57). Beneque apud Ciceronem Carneades, qui, cum ille quæreret, *quid invenerint* (Academici), *Non solemus*, inquit, *ostendere*. At Cicero; *quae sunt tandem ista mysteria? aut cur celatis, quasi turpe aliquid, sententiam vestram? ut qui audient*, respondit ille, *ratione potius quam auctoritate ducantur.*

§ XXVI.

Qui autem ingenii facultatibus non utentes, aliorum semper vestigia insequuntur, ii similes sunt animalibus, quæ omnibus rationis dotibus destituuntur. Constat enim, divinum numen unicuique ejusmodi intellectum tribuisse, qui sentire quid sibi conveniat, quid repugnet, discernereque valeat, cui rei fidem habere debeat. Quum autem proprius sit hominis cujuslibet sapientiæ et veritatis amor, hancce veri videndi cupiditatem turpiter deponit, si ad aliorum judicandi rationem sese accommodet et servili quodam judicio utens, receptas opiniones temere sequatur (58). Quam in rem sapienter CICERO (59): « qui requirunt quid quaque in re ipsi sentiamus, curiosius id

(57) Theæt. pag. 171. D. Steph.

(58) Sic LACTANTIUS (Loc. supr. cit.), « Dedit omnibus Deus pro virili « portione sapientiam, ut et inaudita investigare possent et audita perpen« dere. Illibabilis est tamquam lux et claritas solis, quia ut sol oculorum, « sic sapientia lumen est cordis humani. Quare cum sapere, id est, verita« tem quærere, sit innatum, sapientiam sibi adimunt qui sine ullo judicio « inventa majorum probant et ab iis pecudum more ducuntur. »

(59) De Nat. Deor. I. cap. 5.—Ad quod tamen pulcrum philosophiæ

« faciunt, quam necesse est; non enim tam auctores in disputando quam rationis momenta quærenda sunt. » Attamen nolim equidem auctor esse, ut sagaci viro famaque celebri contradicatur; nam adolescenti optimum erit, propter ætatis imbecillitatem, in iis, quæ dubitationem habent, adhibere viros doctos, usu et experientia peritos, et quid hi sentiant, diligenter expendere. Ut enim pictores (60) suum opus a vulgo considerandum volunt, ut si quid reprehensum sit a pluribus, id corrigatur; sic sapientium judicio permulta nobis et facienda et corrigenda sunt (61). Attamen verum sollicite investigandum, ut auctoris cujusvis sententia studiose considerata, momentis omnibus perponderatis, aut cum eo prudenter consentiamus, aut ab ejus placitis modeste recedamus.

§ XXVII.

Tum vero ut cautionem adhibeamus, in dijudicanda aucto-

---

præceptum ipse Cicero spectare neglexit ubi aliquando dixit, *errare mehercule malim cum Platone, quam cum istis vera sentire.* Non enim tam ad auctores quam ad rationis momenta attendendum est; neque unquam error et opinio, licet a sapientissimo quovis auctore profecta, *veritati sunt anteponenda.*

(60) Quod item fecisse Apellem memorat PLINIUS Lib. XXXV. Cap. 10.

(61) Quam in rem egregie PLINIUS Lib. I. Epist. 23. « Omnia mihi « studia excussit dolor, quem ex morte Junii Aviti gravissimum cepi. « Ita me diligebat, ita verebatur, ut me formatore morum, me « quasi magistro uteretur. Rarum hoc adolescentibus nostris. Nam « quotusquisque vel ætati alterius vel auctoritati ut minor cedit? « Statim sapiunt, statim sciunt omnia, neminem verentur, imitantur « neminem, atque ipsi sibi exempla sunt. Sed non Avitus, cujus hæc « præcipua prudentia, quod alios prudentiores arbitrabatur, hæc præ- « cipua eruditio, quod discere volebat. cet. »

ritate, ubi res historica agitur, attendendum erit ad sequentia :

I. *Ad hominem rem aliquam nobis sive ore sive scripto referentem.* Quod enim nobis traditur, id aut a præsentibus, aut ab absentibus, aut a coævis, aut a recentioribus traditur. Vel enim rerum seriptores sunt prudentes, vel imprudentes, vel sagaces vel minus, vel probi, vel improbi, vel veraces, vel mendaces. Consideremus etiam, utrum quis voluerit aut potuerit nos decipere.

II. *Ad rem ipsam quae refertur.* Vel suis ipsi oculis eam auctores noverunt, sive ab aliis narratam audiverunt. Vel res est incredibilis, probabilis, vera, vel fieri potest, vel minime, vel mirabilis est, vel secus cett.

III. *Ad modum quo res narrantur.*

IV. *Ad numerum testium* sive *idem referentium.* Qua in re olim peccarunt Sceptici aliique Pyrrhonis discipuli, qui omnem fidem et auctoritatem tollebant, quod non magis pluribus quam uni crederent (62). Errat etiam MONTANIUS, qui eos in hac re imitatus, ait (63) : « pour moy de ce que je n'en croirois pas un, je n'en croirois pas cent uns. »

Porro non debemus inniti rationibus, quarum auctoritatis præcipua vis est. Eæ enim, ut ita dicam, sunt *topicae*, neque

---

(62) Cf. SEXTUS EMPIRICUS Pyrrh. Hypot. Lib. I. cap. 14. pag 24. Steph. et Lib. II. cap. 5. sect. 43 sqq.

(63) Essais, Lib. III. cap. 11. pag. 764.

V. 6

simplici affirmationi præstant, simplexque affirmatio rationes non suppeditat quæ nos ad credendum impellant. Sunt etiam disciplinæ quædam quæ auctoritatem prorsus rejiciunt; sic mathematica et historia naturæ eam respuunt, quippe quæ cum principiis quæque suis procedant, quæ immutari non possunt, rationes demonstrativas efflagitant. In historia autem animadvertere debemus, auctorum silentium non semper concludere, et v. g. quia Herodotus nihil de urbe Roma scripserit, non inde sequi, tum temporis eam nondum exstitisse.

Tandem quam plurimorum scriptorum testimonia aperte falsa, nostrum auctoritatis studium imminuere deberent. Quot enim sunt auctores, ceteroquin sagaces et eruditi, qui innumerabiles errores disseminarunt et sic propagandæ ignorantiæ et vanitati haud mediocriter inservierunt (64).

---

(64) De quibus vid. THOMAS BROWNIUS Essais sur les Erreurs populaires Tom. I. pag. 56. seq.

CAPUT VI.

PRÆJUDICATÆ OPINIONES ANTIQUITATIS ET NOVITATIS.

§ XXVIII.

Ex nimio auctoritatis studio oriuntur præjudicatæ opiniones *antiquitatis* et *novitatis*. Reperiuntur enim ingenia alia in admirationem veterum, alia in amorem et amplexum recentiorum effusa; paucaque ejus naturæ sunt, ut modum teneant. Unde fit, ut quæ recte posita sunt ab antiquis, evertant, aut ea contemnant quæ sapienter a recentioribus instituuntur. Quod magno doctrinæ detrimento fit, cum studia potius sint antiquitatis et novitatis, quam judicia et ratiocinationes, veritasque non tempore, sed ratione et experientia dijudicanda sit.

§ XXIX.

Ac primo quidem, ut verum dicamus, antiquitas hominum sententiis auctoritatem tribuere solet. Instituta enim, usus, habitus, agendi atque cogitandi rationes, quæ diu perstiterunt, iis inviolata et religiosa videntur. Quo etiam sensu, veteres

τὸν Κρόνον πατέρα τῆς ἀληθείας νομίζουσιν (65). Atque si quid ad longum tempus referatur, id inter homines existimationem meretur (66). Antiquam igitur ætatem uti senectutem venerantur, eamque experentia et doctrina locupletatam autumant. Quid enim, aiunt, Plato, Aristoles, Epicurus, sapientissimi illi viri errarunt? neque respicitur ad humanam naturam, quæ labi potest et decipi, nec perpenditur Platonem et Aristotelem et Epicurum, homines ejusdem nobiscum naturæ exstitisse. Sibi itaque facile suadent homines, patres suos ipsis perspicaciores fuisse, eosque opinantur res diligenter perponderasse, ideoque instituta et disciplinas eorum sapientiam et veritatem continere. Uno verbo, quod antiquis placuit, id neque corrumpi, neque permutari sine scelere quodam et periculo posse putant. Atque tali modo agunt homines, ut se veluti perpetua in ætate minori arbitrentur; ad antiquorum placita, uti sacram ad anchoram, confugiunt, eaque temere amplectuntur. Indeque ortæ sunt innumeræ præjudicatæ opiniones, simulque contumacia, qua eas sectatores tuebantur, teste CONDILLACO (67); « De là « naîtra une admiration aveugle pour tout philosophe ancien. « On ne trouvera en lui ni erreur, ni faute. Les commentateurs « pourront ne pas s'accorder sur les explications qu'ils en don« neront, mais ils s'accorderont à dire qu'il est toujours clair,

---

(65) PLUTARCHUS Quæst. Rom. pag. 566. E. Xyl.

(66) Cujus rationem suppeditat MALEBRANCHIUS De la recherche de la vérité Lib. I, cap. 5. Tantaque est, inquit LACTANTIUS (Divin. instit. II. c. 7) auctoritas vetustatis, ut inquirere in eam scelus esse dicatur. Itaque creditur ei passim tamquam rei cognitæ.

(67) Log. Tom. II. pag. 285.

« toujours élégant et qu'il ne peut jamais se tromper. » Quæ immodica antiquitatis reverentia veris notionibus comparandis multum officit, homines abripit et incantat, eosque a veri inquisitione avocat; neque vero de antiquitate recte judicamus, nam, ut cum Bacone (68) loquar; mundi senium et grandævitas pro antiquitate vere habenda sunt; quæ temporibus nostris tribui debent, non juniori ætati mundi, qualis apud antiquos fuit. Et profecto, quemadmodum majorem rerum humanarum notitiam et maturius judicium ab homine sene exspectamus, quam a juvene, propter experientiam et rerum quas vidit, audivit et cogitavit varietatem et copiam; eodem modo et a nostra ætate siquidem vires suas nosset et experiri et intendere vellet, majora multo quam a priscis temporibus exspectari par est, utpote ætate mundi grandiore et infinitis experimentis et observationibus acuta et cumulata.

§ XXX.

Alius autem error ex hoc antiquitatis studio oritur, estque suspicio quædam et diffidentia, quæ nostris temporibus nihil inveniri posse putat; atque non nisi huic antiquitatis præjudicatæ opinioni innititur hæc altera Horatii (69):

Damnosa quid non imminuit dies?
Ætas parentum pejor avis tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

(68) Nov. org. LXXXIV.
(69) Odar. III. 6.

Nestorque apud HOMERUM, ut Achillis et Agamemnonis iram placare eorumque discordiam sedare possit, sic eos alloquitur (70):

Ἤδη γάρ ποτ' ἐγὼ καὶ ἀρείοσιν ἠέπερ ὑμῖν
Ἀνδράσιν ὡμίλησα καὶ οὔποτέ μ' οἵγ' ἀθέριζον.
Οὐ γάρ πω τοίους ἴδον ἀνέρας, οὐδὲ ἴδωμαι,
Οἷον Πειρίθοόν τε, Δρύαντά, τε ποιμένα λαῶν,
Καινέα τ', Ἐξάδιόν τε καὶ Ἀντίθεον Πολύφημον.
Θησέα τ' Αἰγείδην. κ. τ. λ.

§ XXXI.

Contra sunt qui sola *novitate* delectentur et vana elati superbia id consequi exspectant, ut sic agendo inter æquales floreant, ideoque ut propositum suum melius assequantur, a consuetudinibus, moribus et institutis communibus et antiquioribus abhorreant. Alii autem, quia se valde amant, nihil ætati suæ comparandum vident, existimantque, antiquos omnes imbecilles et rudes non bene de rebus judicasse. Atque ardens illud studium quo tyrannide, quam antiquorum auctoritas in animos exercet, se liberent, est quoque falsum et perniciosum. Ii enim antiquorum existimationem delere volunt, ut recentiorum placita sequantur, et Aristotelis auctoritatem imminuunt, quo melius Cartesii doctrinam stabiliant.

(70) Iliad. Lib. I. vers. 260. sqq. Sic Socrates apud PLATONEM in Philebo § 18 pag. 30 ed. STALLBAUM: καὶ οἱ μὲν παλαιοὶ κρείττονες ἡμῶν καὶ ἐγγυτέρω θεῶν οἰκοῦντες. Addatur MONTANIUS Essais Lib. I. pag. 225.

CAPUT VII.

FUGIENDUM ESSE NIMIUM TAM ANTIQUITATIS QUAM NOVITATIS STUDIUM.

XXXII.

Si audiamus SENECAM (71), nobis tradet antiquos *esse praeceptores generis humani;* cui sententiæ assentitur MONTANIUS (72), quum existimat nos solum ad veram disciplinam informari debere, a quibus sæpius dissentiunt DUMARSÆUS (73), BACO (74) aliique recentiores philosophi. Sed vitandum est nimium antiquitatis et novitatis studium, mediumque tenendum inter antiquos et recentiores; atque sententia prophetæ vera in re norma est: « State super vias antiquas et vi« dete, quænam sit via recta et ambulate in ea. » Antiqnitas

(71) Epist. LXV.

(72) Essais Lib. III. cap. 5.

(73) Préjugés Tom. I. pag. 98 et passim.

(74) De Augm. Scient. Lib. I. pag. 19. Raweley, ubi sic : « *Antiquitas* « *sæculi, juventus mundi.* »

enim ea observantia colenda, ut homines aliquando gradum sistere et supra eam stare debeant, atque undequaque circumspicere quæ sit via optima; neque vero ætas recentior contemnenda. Novas itaque veritates, haud neglectis veteribus cognoscamus, servemusque potissimum nobis cogitandi libertatem, ne rationis nostræ usum amittamus, opiniones aut antiquorum aut recentiorum toto animo amplectantes. Quid igitur non ibo per priorum vestigia? ego vero utar via veteri? non faciam, sed si promtiorem, planiorem, rectioremque invenero, hanc muniam, *idque solum rectum esse ducam, quod ratio praescribit* (75).

Sed præter *praejudicatas opiniones*, quas supra recensuimus, sunt etiam alii errorum fontes, de quibus nobis disputandum est. Ac primo quidem :

---

(75) Lactantius Div. Inst. Lib. II. cap. VII.

CAPUT VIII.

DEFECTUS SEDULÆ VOLUNTATIS ANIMIQUE AFFECTUS.

§ XXXIII.

Ingens est multitudo hominum, qui subsidiis carent, quibus ad veri investigationem sese conferre valeant. Multi enim sunt, qui opportunitatem commoditatemque experimentorum instituendorum, quæ rerum cognitioni inserviant, non habent, quique aliorum testimonia colligere et ad ea diligenter et studiose attendere nequeunt. Quæ misera conditio est eorum, quos ærumnæ, fames, morbi, domesticæque calamitates excruciant, et quorum vita in quæritandis iis quæ ad victum et cultum suppeditent, consumitur. Sed est aliud hominum genus, qui cum satis divites sint, ut omnes, quæ necessariæ sunt ad ingenium excolendum, commoditates sibi comparent, id tamen negligunt. Hinc *defectus sedulae voluntatis*, ex quo errores innumeri oriuntur.

§ XXXIV.

Homines autem perpetuo inflati sunt et elati innumeris rebus, in quibus summum bonum collocant; superbiunt, omnibus perturbationibus animum replent, honores avide

expetunt et principatus et dignitates et divitias ambiunt; quibus ut inserviant, dolum, mendacium, fallaciam, perfidiam adhibent. Neque mirum sit, si tot affectibus, commotionibus, vehementioribusque appetitibus perturbati, ejusmodi homines ad honestum et ad morum continentiam, ad rerum cognitionem et veri indagationem animum non advertant. Quam in rem egregie DUMARSÆUS loquitur (76): « Un méchant troublé par des passions orageuses, un scélérat endurci dans le crime, un voluptueux perpétuellement enivré des plaisirs deshonnêtes sont-ils donc en état de raisonner ? ont-ils l'impartialité requise pour juger avec candeur ? ont-ils le loisir de faire des expériences sûres ? sont-ils assez clairvoyants pour démêler la vérité et la séparer du mensonge avec lequel on la trouve si souvent alliée. » Minime vero; qui pravarum cupiditatum illecebris irretiuntur, quique luxuria atque lascivia diffluentes animum voluptatibus affectionibusque emolliunt atque debilitant, honorumque stimulis, immoderato laudis et divitiarum desiderio flagrant, non ii sunt qui veri investigandi et vanitatis fugiendæ studio incumbere valeant.

XXXV.

Imperiosi autem animi affectus, amor, odium, iracundia, pertinacia, superbia, spes, timor sæpe nos ad falsa judicia impellunt (77). Itaque minime probanda in hac re Peripateticorum

(76) Préjugés Tom. II. pag. 7.

(77) « Les passions nous induisent en erreur, parcequ'elles fixent toute « notre attention sur un côté de l'objet qu'elles nous présentent, et qu'elles « ne nous permettent point de le considérer sous toutes ses faces. Un Roi

placita, qui ejusmodi perturbationes bonas esse et utiles exis-

« est jaloux du titre de conquérant : la victoire, dit-il, m'appelle au bout « de la terre ; je combattrai, je vaincrai, je briserai l'orgueil de mes enne- « mis, je chargerai leurs mains de fers, et la terreur de mon nom, comme « un rempart impénétrable, défendra l'entrée de mon empire. Enivré « de cet espoir, il oublie que la fortune est inconstante, que le fardeau de « la misère est presque également supporté par le vainqueur et par le « vaincu ; il ne sent point que le bien de ses sujets ne sert que de prétexte « à sa fureur guerrière, et que c'est l'orgueil qui forge ses armes et déploie « ses étendards : toute son attention est fixée sur le char et la pompe du « triomphe.

« Non moins puissante que l'orgueil, la crainte produira les mêmes « effets : on la verra créer des spectres, les répandre autour des tombeaux, « et dans l'obscurité des bois les offrir aux regards du voyageur effrayé, « s'emparer de toutes les facultés de son âme, et n'en laisser aucune de « libre pour considérer l'absurdité des motifs d'une terreur si vaine.

« Non-seulement les passions ne nous laissent considérer que certaines « faces des objets qu'elles nous présentent, mais elles nous trompent encore, « en nous montrant souvent ces mêmes objets où ils n'existent pas. On « sait le conte d'un curé et d'une dame galante : ils avoient ouï dire que la « lune était habitée, ils le croyaient ; et, le télescope en main, tous deux « tâchaient d'en reconnaître les habitans. *Si je ne me trompe*, dit d'abord « la dame, *j'aperçois deux ombres ; elles s'enclinent l'une vers l'autre : « je n'en doute point ; ce sont deux amans heureux.... Eh ! fi donc, « Madame*, reprend le curé, *ces deux ombres que vous voyez sont deux « clochers d'une cathédrale*. Ce conte est notre histoire ; nous n'apercevons « le plus souvent dans les choses que ce que nous désirons y trouver : sur « la terre comme dans la lune, des passions différentes nous y feront tou- « jours voir ou des amans ou des clochers. L'illusion est un effet néces- « saire des passions, dont la force se mesure presque toujours par le degré « d'aveuglement où elles nous plongent. » HELVÉTIUS, De l'esprit. Serm. I. cap. 2. p. 74 sqq.

timant (78), contra quos recte MONTANIUS (79) : « Quelles différences de sens et de raison, quelle contrariété d'imaginations nous présente la diversité de nos passions ? Quelle assurance pouvons-nous donc prendre de chose si instable et si mobile?— nous nous amendons par la privation de notre raison et son assoupissement. » Omnis itaque perturbatio, ut placet Stoïcis (80), animi commotio vel appetitus vehementior, aversa est a recta ratione et constantia sapientis. Debet enim ratio atque mens moderari omnem affectum et animi perturbationem. Quoniam vero affectus impetusque tantum abest ut rationi et menti leges ferre possint, ut ne modum quidem certum et fidem habeant, sed potius, sui impotentes, huc atque illuc rapiantur ; eorum dominatio rationis imperio coercenda et ad rectas rationique consentaneas leges constringenda, atque sensim eo flectenda, ut illi huic pareant, exindeque oriatur omnium animi et corporis facultatum suavissima et prægnantissima consensio pulcerrimusque concentus (81).

Bene igitur dixit CICERO (82) : « Efficiendum autem est, ut ap-

(78) CICERO Tusc. Quæst. VI. 19.

(79) Essais Lib. II. pag. 45.

(80) CICERO Tusc. Quæst. IV. 6.

(81) PLATO Gorg. pag. 526. D. Sophist. pag. 228. GALENUS De Hippocrat. et Platon. Decret. V. pag. 287. DIOG. LAERT. VIII. 52. CIC. Tusc. IV. 13. De imperturbatione in judicando conf. SEXTUS EMPIRICUS Pyrrh. Hypoth. Lib. I. cap. 12. sect. 125 et sq.

(82) De Off. Lib. I. cap. 92. § 102.—Sic Tusc. Quæst. II, 47 : « Est animus « in partes distributus duas, quarum una in appetitu posita est, qui homi-

« petitus rationi obediant, eamque neque præcurrant, nec propter pigritiam aut ignaviam deserant, sintque tranquilli atque omni perturbatione animi (83) careant. Ex quo elucebit omnis constantia, omnisque moderatio. Nam qui appetitus longius evagantur et tanquam exsultantes, sive cupiendo, sive fugiendo, non satis a ratione retinentur, hi sine dubio finem et modum transeunt. »

§ XXXVI.

Quibus præmonitis, ut omnia simul paucis complectamur, si quis veri studio vacare cupiat, mentique jam insitas opiniones prorsus eradicare, is animi affectiones, appetitus et commotiones deponat: namque, ut recte placet DEMOSTHENI, δεῖ τὸν εὖ φρονοῦντα, τὸν λογισμὸν ἀεὶ τῶν ἐπιθυμιῶν κρείττω πειρᾶσθαι ποιεῖν (84). Quod ut peragat, ad hoc CICERONIS (85) attendat: « Temperantia moderatrix omnium commotionum est, a libidine avocat, inani lætitia gestire

---

« nem huc et illuc rapit, altera in ratione, quæ docet et explanat, quid
« faciendum fugiendumve sit. Efficiendum autem est, ut ratio præsit,
« appetitus vero obtemperet, quod temperantiæ munus est. » SENECA De
Benef. II. 18. « Ratione duce per totam vitam eundum est, maximaque
« ex hujus consilio gerenda sunt. »

(83) Hanc necessitatem moderate judicandi et imperturbato in opinationibus esse animo Sceptici τὴν ἀταραξίαν καὶ μετροπάθειαν vocant, quibus animus judicat ἀφροντίστως καὶ ἀκινήτως. Conf. SEXTUS EMPIRICUS Pyrrh. Hypoth. Lib. I. cap. 4. sect. 8. ibique annot. HENR. STEPHANI pag. 203. Add. Lib. I. cap. 12. sect. 25.

(84) Apud. STOBÆUM Serm. XVII. pag. 155.

(85) Tusc. Quæst. V. 42. coll. De Off. I. 33.

« non sinit, hæc pacem animis affert, in rebus expetentis aut « fugiendis rationem ut sequamur monet. In ea verecundia, « modestia, omnis sedatio perturbationum animi et rerum « modus cernitur. » Quocirca, ne animus fiat cupiditatum ludibrium, ad se redeat unusquisque, tacitos mentis affectus exploret, iisque quantum fieri potest, depositis, unica rationis lance omnia expendat. Quod si animam quibusdam cupiditatibus vehementius perturbatam experiaris, te a judicio ferendo caute abstineas, donec affectuum æstus restinguatur, pleniorque reddatur rationi libertas. Quemadmodum enim solis imaginem in aquis reflexam non videris, nisi eædem limpidæ sint ac placidæ; ita nec veritas, pacis amans, tuo sese nudabit animo, nisi sedatus fuerit, et ab omni perturbationum cupiditate expeditus.

§ XXXVII.

Sed est aliud quoddam affectus animi genus, quod uniuscujusque animo frequenter inhæret; *nimius suî amor et existimatio ac dominatrix rerum suarum affectio.*

Si enim adnimadverterimus, quid plerosque homines ad hanc vel illam opinionem alliciat, palam fiet, non veri perceptionem amoremque, neque argumentorum momenta; sed amorem sui rerumque suarum aut affectus animi dominantes id efficere. Res igitur non quales reapse sint, sed prout nobis peculiariter accommodatæ videntur, judicamus; pluraque multo homines indicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut lætitia, aut spe, aut timore, aut alia permotione mentis, quam veritate. Hinc dimanant tot prava judicia, quæ omnes fere disciplinas, totamque vitæ rationem perturbant. Quoties enim sola animi propensione ducti, alias

opiniones amplectimur, alias repudiamus; quæ placent, veras quæ displicent, falsas existimamus, plerumque rem ita sese habere statuentes, quod nostra intersit ut ea tali modo sese habeant (86).

§ XXXVIII.

Sunt autem, qui nullam doctrinam inesse putant in iis, a quibus studio et sententia alieni sunt. Quocirca, si quis auctor in benevolentiam nostram irrepserit, levibus ratiunculis etiam falsa persuadebit; sin nobis aliquando displicuerit, ne gravissimis quidem rationum momentis assensum nostrum obtinebit: ὃ γὰρ βούλεται τοῦθ' ἕκαστος οἴεται· τὰ δὲ πράγματα πολλάκις οὐχ οὕτω πέφυκε (87). Indeque oritur pervulgatum illud partium studium, quod non modo Rerum Scriptores, sed etiam Philosophos (88) sæpissime corrumpit. Hinc nonnulli illius solum

---

(86) Vid. MALEBRANCHIUS Lib. IV. cap. 7.

(87) Demosth. apud STOBÆUM Serm. pag. 188. Add. MALEBRANCHIUS Lib. IV. cap. 13, 2.

(88) Conf. LACTANTIUS Divin. Instit. Lib. III. cap. 4: «Unaquæque enim, inquit, secta omnes alias evertit, ut se suaque confirmet, nec ulli alteri sapere concedit, ne se decipere fateatur.» Quæ mira inter alios præstandi cupiditas, ardensque et immoderatum principatus et auctoritatis studium in vitio est, nocetque plurimum omnibus artibus atque disciplinis, quæ hominem augent et ornant. Hoc autem vitium ubi in philosophiam cadit, tum præcipue pravarum opinionum omnisque errorum generis fons est maximus. Videre enim tum licet novarum scholarum principes novos, novæ etiam philosophiæ magistros novos, novorumque placitorum et sententiarum auctores et fautores novos!.... Quorsum hæc omnia? Numquid ibi facilior et rectior veri via? Numquid ibi doctrina melior? Numquid iste sectæ

auctoris scripta probant, qui ejusdem cum ipsis gentis est; hinc etiam immoderata antiquitatis veneratio, et novitatis studium. Quo fit, ut absque maturo examine, quæ ab adversario nobis auctore proficiscuntur, placita rejiciamus, quasi ille nihil veri dicere queat. Quo in vitio fuerunt olim Cartesianorum nonnulli, qui, absque ulteriori indagatione, hac sola ratione multa rejecerunt, quæ ab Aristotelicis tradita fuerant.

Quam ob rem auream regulam tradidit BUFFIERIUS : ut cum de amico nobis judicandum est, videamus quid ex propositis argumentis concluderemus si de inimico ageretur. Recte igitur Divus BERNARDUS (89): « *amor*, inquit, *sicut et odium veritatis judicium nescit: vis judicium veritatis audire? sicut audio, sic judico, non sicut odi, non sicut amo.* »

§ XXXIX.

Deinde vero sive nimius ille *sui amor* rerumque suarum, ubi animo insidet, quam plurimorum errorum fons est, et origo. Quocirca festive PLATO (90) : « πάντων δὲ μέγιστον κακὸν ἀν-

---

sapientioris auctor ?.... Sitis est ubique præstantiæ et novitatis! hoc Athenis videris, ubi sectarum infinita multitudo, et erroris mater, opinio innumera. Hoc etiam nostris, proh dolor! temporibus frequenter obtingit, ubi, missa procul veri inquisitione, alii philosophi sic aliorum auctorum doctrinam contemnunt aut impugnant, ut sua ipsi placita melius stabiliant. O unam funestissimamque philosophorum superbiam ! ! !

(89) De quo vid. MALEBRANCHIUS Lib. V. Tom. II pag. 498. seq.

(90) De Legg. Lib. V. pag. 731. E. et 732. A. Add. Phileb. pag. 48. E. et MONTANIUS Essais Lib. II. cap. 17. init.

« θρώποις τοῖς πολλοῖς ἔμφυτον ἐν ταῖς ψυχαῖς ἐστίν· οὗ πᾶς ἑαυτῷ συγγνώ-
« μην ἔχων ἀποφυγὴν μηδεμίαν μηχανᾶται· τοῦτο δ' ἔστιν ὃ λέγουσιν ὡς φίλος
« αὑτῷ πᾶς ἄνθρωπος φύσει τέ ἐστι — τὸ δὲ ἀληθείᾳ γε πάντων ἁμαρτημά-
« των διὰ τὴν σφόδρα ἑαυτοῦ φιλίαν αἴτιον ἑκάστῳ γίγνεται ἑκάστοτε. » Et rationem bene suppeditat : « Τυφλοῦται γὰρ περὶ τὸ φιλούμενον ὁ φι-
« λῶν, ὥστε τὰ δίκαια καὶ τὰ ἀγαθὰ, καὶ τὰ καλὰ κακῶς κρίνει, τὸ αὑτοῦ πρὸ τοῦ ἀληθοῦς ἀεὶ τιμᾶν δεῖν ἡγούμενος. » Cum itaque unusquisque se amet, de seque bene existimet, hinc etiam sæpe fit, ut quisque se sapientem putet et sagacem, quin imo imperitiam suam sapientiam esse arbitretur, ὅθεν οὐκ εἰδότες οὐδὲν, οἰόμεθα τὰ πάντα εἰδέναι (91).

§ XL.

Qui autem hoc vitio laborat, nihil comprobat, nisi quod suum est; alios contemnit eorumque rationes, etsi verissimas, respuit, turpeque sibi ducens ab aliis doceri, in erroribus vel absurdissimis, modo ii singulares sint, perseverare mavult (92).

(91) Plato De Legg. ibid.

(92) Quam in rem egregie Rossæus Émile Lib. IV. pag. 34. « Quand « les philosophes seraient en état de découvrir la vérité, qui d'entre eux « prendrait intérêt à elle? chacun sait bien que son système n'est pas « mieux fondé que les autres; mais il le soutient parcequ'il est à lui. Il « n'y en a pas un seul qui, venant à connoître le vrai et le faux, ne préfé- « rât le mensonge qu'il a trouvé à la vérité découverte par un autre. Où « est le Philosophe qui, pour sa gloire, ne tromperait pas volontiers tout le « genre humain? Où est celui qui, dans le secret de son cœur, se propose « un autre objet que de se distinguer? Pourvu qu'il s'élève au-dessus du « vulgaire, pourvu qu'il efface l'éclat de ses concurrents, que demande-t-il « de plus? L'essentiel est de penser autrement que les autres. »

Quod vitium qui vitare voluerit, is cæcum sui amorem deponat: διὸ πάντα ἄνθρωπον χρὴ φεύγειν τὸ σφόδρα φιλεῖν αὐτόν· (93) omnesque animi affectiones repudiet, solliciteque caveat, ne unquam ferventi affectionis tumultu de rebus judicet; sed exspectet, donec liquida mens et sedata fiat. Minime quidem in hac re probandi Cyrenaici et Epicurei (94), qui commotiones animique affectiones veri judices esse existimarunt. Quis enim est qui tam pravis judicibus sese credere audeat? quippe quæ continuo mutantur, mutatis temporibus, ætate, conditione, habitibus, consuetudinibus et institutis. Ducem meliorem vis et certiorem? rationem sequere, qua duce errare nullo modo quis poterit.

§ XLI.

Ex hoc autem immoderato *suî amore* oritur alterum vitium haud minus perniliosum, *nimia ingenii fiducia,* quæ nos plerumque procul a vero deterrere et in errores innumeros inducere solet. «Puto, inquit SENECA (95), multos potuisse ad « sapientiam pervenire, nisi putassent se pervenisse: nisi quæ« dam (quod fit nimio sui amore) in se dissimulassent, quæ« dam apertis oculis transilissent. Non est enim quod nos ma« gis aliena judices adulatione perire quam nostra.» Recte

(93) PLATO loco supra citato.

(94) Cf. STANLEIUS Hist. Philos. pag. 152.

(95) De Tranq. Anim. Cap. I. fin.

igitur, monente J. LIPSIO (96), BION τὴν οἴησιν ἔλεγε προκοπῆς ἐγκοπήν. Qui autem nimium ingenii viribus fidit, is accuratam rerum investigationem negligit et quæ prima occurrit veri similitudo, eam continuo assequitur atque sic erroribus innumeris fit obnoxius. Qui enim fieri posset, ut nullo adhibito studio et contemplatione et disquisitione, quid verum aut falsum, quid probabile, quid absurdum sit, dijudicaremus. Quare placet Stoïcorum doctrina, qui existimant: « Οὐκ ἄνευ δὲ τῆς διαλεκτικῆς θεωρίας τὸν σοφὸν ἄπτωτον ἔσεσθαι ἐν λόγῳ· τό τε γὰρ ἀληθὲς καὶ τὸ ψεῦδος διαγινώσκεσθαι ὑπ' αὐτῆς, καὶ τὸ πιθανὸν τό τε ἀμφιβόλως λεγόμενον διευκρινεῖσθαι (97). »

Hujus autem vitii caussa, ut jam diximus, fere repetenda videtur ex nimio sui amore; qui nos præoccupat et ab accurata rerum investigatione amovet; quo fit, ut nescire et dubitare turpe ducentes, inconsiderate de rebus judicare malimus, quam ignorantiam nostram confiteri, nostramque earum rerum judicandarum imperitiam significare.

§ XLII.

Qui etiam hoc malo laborant, magis spectant ad rerum copiam, quam ad doctrinæ soliditatem et rationum pondus; unde fit, ut de disciplina ad disciplinam evolantes, nullam solidam notionem habeant. Atque sic oritur *praecipitatio*, im-

(96) Animadv. in Senec. loc. cit. pag. 148.

(97) Vid. DIOGENES LAERTIUS Lib. VII. segm. 46. sq.

patientia judicandi et cæca festinatio decernendi absque debita et adulta suspensione judicii (98). Quod vitium frequenter occurrit, non solum in disciplinis addiscendis, verum etiam, quod majoris est momenti, in moribus et in vita civili. Nihil enim frequentius est quam ex levi et ambiguo plerumque judicio, vixque præmissa ulla consultatione, homines accusare vel excusare, laudare aut vituperare. Nimia autem hæc inferendi judicii celeritas, ex qua tot oriuntur errores, inde præsertim repetenda est, quod plerique homines sint maturæ et accuratæ investigationis impatientes. Hoc vitium potissimum cadit in adolescentes, qui violento ingenii impetu moti, vix primam rerum faciem raptim inspexere, cum assensum cohibere indociles, prorumpunt in judicia et de re qualibet confidenter statuunt.

§ XLIII.

Mens itaque nostra tum præpropera est et dicitur, cum ad judicandum, sive aliquo voluntatis impetu sive affectibus aut perturbationibus animi, neglecta deliberatione et inquisitione, promiscue fertur. Propterea consilio et sapientiæ repugnat *praecipitatio;* quod temerarium et imprudens maxime judicium semper annexam habet vanitatem et ignorantiam (99).

---

(98) BACO De Augm. Scient. Lib. I. pag. 20.

(99) Ut bene docet MALEBRANCHIUS Tom. III. præf. init. : « C'est un « défaut commun à tous les hommes d'être trop prompts à juger, car tous « les hommes sont sujets à l'erreur, et ce n'est qu'à cause de ce défaut qu'ils « y sont sujets. » De qua judicandi inconsiderantia egregie disputat Aristoteles De Virtute ap. STOBÆUM Serm. IV. pag. 60 : *ἀφροσύνης δέ ἐστι τὸ κρίναι κακῶς — τὸ ψευδῶς δοξάζειν περὶ τῶν εἰς τὸν βίον ἀγαθῶν, καὶ καλῶν. Παρακολουθεῖ δὲ τῇ ἀφροσύνῃ ἀπειρία, ἀμαθία, ἀκρασία, ἐπαριστερότης, ἀμνημοσύνη κ. τ. λ.*

Unde si præcipitis judicii felices aliquando fuerint exitus, id non doctrinæ eorum qui sic judicant, sed fortunæ potius tribuendum est. Præceps enim et devius homo veluti cæcus habetur et omnium amentissimus; atque ut quisque maximum studium ac diligentiam ad veri investigationem adferens prudentissimus et sapientissimus evadet, vanitatem et errorem potissimum vitabit; ita maxime, qui de omnibus nimium festinanter judicat, in periculo est, ne de iis perperam judicet.

§ XLIV.

Hujusmodi autem præcipitatio maximum est veri inveniendi impedimentum; si quidem verum non invenitur nisi mediante intelligentia et perceptione, festinatio vero utpote quæ semper annexam habet ignorantiam, cognitioni obest. Hinc qui nimium festinanter judicat, is cum maxime peccat in disciplinis instituendis; pervulgatum enim est hoc apud sapientes : *promta sit exsecutio, at matura deliberatio.* Ita enim finitima sunt falsa veris ut tam præcipitem in locum non debeat se sapiens committere (100). Itaque ad res considerandas adhibeas tempus et diligentiam; caveque ne claras rerum perceptiones tuus præcurrat assensus, eumque prudenter cohibeas donec rerum notiones bene perspiciantur. Quemadmodum qui tabellam fixis oculis inspicit, ipsius lineamenta et varia colorum discrimina clarius discernere valet, sic etiam ubi in expendendis notionibus

(100) Vid. Cicero Acad. Lib. IV. c. 21. § 68. Montanius (Essais Lib. III. cap. 2) « La vérité et le mensonge ont leurs visages conformes, le port, le gout et les alleures pareilles etc. »

diutius immoramur, rerum natura, earumque dispositiones et relationes magis innotescunt. Quapropter minime in hac re probanda est Platonis sententia, qui in animi disquisitionibus et consiliis capiendis celeritatem vehementiamque maturæ considerationi anteponit, sicque levitatem et præproperam festinationem commendare videtur : « ἀλλὰ μὴν, inquit, (101) ἔν γε ταῖς ζητήσεσι τῆς ψυχῆς καὶ τῷ βουλεύεσθαι οὐχ ὁ ἡσυχώτατος, ὡς ἐγὼ οἶμαι, καὶ μόλις βουλευόμενός τε καὶ ἀνευρίσκων, ἐπαίνου δοκεῖ ἄξιος εἶναι, ἀλλ᾽ ὁ ῥᾷστα τε καὶ τάχιστα τοῦτο δρῶν. Οὐκοῦν πάντα, ἦν δ᾽ ἐγὼ, ὦ Χαρμίδη, ἡμῖν καὶ περὶ τὴν ψυχὴν καὶ περὶ τὸ σῶμα τὰ τοῦ τάχους τε καὶ τῆς ὀξύτητος καλλίω φαίνεται ἢ τὰ τῆς βραδυτῆτός τε καὶ ἡσυχώτητος. Certe quidem morositas, tarditas et pigritia vituperandæ, sed fugienda magis præcipitatio; neque vero lenta circumspectio, sed levitas judicandi errores parit, monente LUCIANO (102): « Ἡ βραδύπους βούλη μέγ᾽ ἀμείνων, ἡ δὲ ταχεῖα ἀεὶ ἐφελκόμενην τὴν μετάνοιαν ἔχει. » Quanto igitur prægnantius fructuosiusque DAGUESSEAVII (103) effatum! « Le sage parvient à cette tranquillité parfaite où « loin des nuages de la prévention une raison épurée découvre « enfin la pure vérité; il se défie même de cette ardeur im- « pétueuse de la connoître; il sait que le vrai, qui se dérobe « presque toujours à l'impétuosité de nos jugements, ne se « refuse jamais à l'utile pesanteur d'une raison modeste, qui « s'avance lentement et qui passe successivement par tous les « degrés de lumière, dont le progrès insensible nous conduit « enfin jusqu'à l'évidence de cette vérité. »

(101) Charmid. pag. 160. A. Steph.

(102) Apud STOBÆUM Serm. III. pag. 37.

(103) De la Prévention. Add. MALEBRANCHIUS Lib. I. Cap. 4.

§ XLV.

Νόει καί τότε πράττε, inquit **Bias** ille, unus ex septem Græciæ Sapientibus; quod sic intelligas : consilium et circumspectionem (104) firmissimas esse rationes, quibus verum et falsum moderato animo dijudicare valeamus. Quid enim est tam insanum, quam quidquam approbare non bene cognitum? « Nam « si quid, inquit Cicero (105), cuique occurrit et primo quasi « aspectu probabile videtur, quid eo levius? » Sequendus itaque in hac re Arcesilaus qui, teste eodem Cicerone (106), existimavit cohibendam esse semper et ab omni lapsu continendam temeritatem, neque hoc quidquam esse turpius, quam cognitioni et perceptioni assensionem approbationemque præcurrere. Recteque Flotteus (107). « Il faut donc être en garde

---

(104) Circumspectio Stoicorum, ἀνεικαιότης, est quædam in homine levitatis et præcipitationis amotio, quæ facit, ut ne cuipiam verisimili assentiatur. Cf. Aldobrandinus ad Diog. Laert. Lib. VII. segm. 46. — Non tamen singula æqualem postulant dispositionem, sed major vel minor esse debet circumspectio, prout ea de quibus judicandum est, sunt obstrusa, vel facilia, magni vel levis momenti; in iis autem quæ ad vitæ civilis usum pertinent, non ita debemus esse morosi et anxii, ut nunquam prius agendum esse putemus, quam præcesserit longum examen. Adsunt enim aliquando fluxæ et præcipites rei gerendæ opportunitates, quibus nisi manum promtus injeceris, elabuntur statim et aufugiunt, nunquam rediturae.

(105) Acad. Lib. IV. cap. 11. § 35.

(106) Ibid. Lib. I. cap. 12 § 45.

(107) Leçons élémentaires de Philosophie Tom. I. pag. 282. Quæ doctrina item occurrit pag. 315, ubi sic : « Il ne faut pas adopter légèrement une « opinion, un fait, un système, une doctrine ; avant de croire, il faut « peser les motifs de croyance, et soumettre ses doutes à l'expérience de la « raison et du temps. »

« contre la précipitation si familière aux esprits superficiels. « La précipitation empêche tout examen et rend les demi- « connoissances plus dangereuses que l'ignorance même. » Et profecto institutio et, disciplina ignorantiæ tenebras propellere possunt; qui vero festinanter de omnibus quæritat, quique igitur de his rebus non nisi levem adumbrationem habet, is non putat se ullis præceptis institutisque, quæ eum ad doctrinam et sapientiam informent, egere, et sic a vero abducitur, pertinacissimoque animo de rebus, quas leviter attigit, disputat, estque in sustinendis opinionibus pervicacissimus.

Decet autem Philosophum, hoc HESIODI prægnantissimum et sapientissimum dictum semper in ore et in pectore habere :

Κεῖνος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτῷ πάντα νοήσει (108).

---

(108) Ap. STOBÆUM Serm. IV. pag. 53.



CAPUT IX.

ULTIMAM ERRORUM CAUSSAM IN IPSIS VOCABULIS CONTINERI.

§ XLVI.

Mala vocabulorum impositio eorumque vitia, obscuritas, ambages, confusio ac depravatio errores innumeros pariunt, hominesque a vero frequenter amovent. Ut si animus acutior, diligentior observatio, si studiosa veri investigatio rerumque cognoscendarum cura adhibeantur, tamen obstrepunt verba et animo vim faciunt, eumque impediunt, quominus verum cernat; atque sic erronea judicia, pravasque opiniones efficiunt.

Frustra autem Leibnitzius et Helvetius (109), quo facilius erroribus occurrerent iis, qui ex vocabulis oriuntur, linguam philosopham commendarunt, in qua uniuscujusque verbi vis

(109) Vid. Peyrard De la nature et de ses lois pag. 82.—Helvetius. De l'homme et de son éducation Tom. I, cap. 19. pag. 168. sqq.

V.

et potestas concinne significarentur; ejusmodi enim definitiones verbis constant, et verba gignunt verba (110).

§ XLVII.

Sed præter naturalia verborum vitia eorumque obscuritatem et confusionem, quæ vitari nequeunt, multa subinde alia ex eorumdem *abusu* oriuntur. Primus autem vocabulorum abusus fit, si vocibus, quibus nullam animi perceptionem adnectimus, utamur. Sic pleraque tam philosophiæ quam theologiæ placita ejusmodi verba introduxerunt, quorum auctores novis doctrinis inter alios eminere cupientes, seseque accommodantes ad aliam sentiendi rationem, quæ vulgi captum exsuperet, opinionesque suas tueri studentes, novis vocabulis, iisque sibi solum peculiaribus utuntur, *inanibus sonis* et *fallacibus*.

§ XLVIII.

Sunt autem qui istiusmodi abusus longius etiam prove-

(110) Baco De Augm. Scient. Nov. Org. XLIII. ubi sic: « neque « definitiones aut explicationes, quibus homines docti se munire et vin« dicare in nonnullis consueverunt, rem ullo modo restituunt. Sed verba « vim plane faciunt intellectui et omnia turbant, et homines ad inanes et « innumeras controversias et commenta deducunt.—Sic etiam J. J. Rousseau (Émile Lib. II. Tom. II pag. 120 not. 14) « La méthode de « définir tous les termes et de substituer sans cesse la définition à la « place du défini est belle, mais impraticable; car comment éviter le « cercle? Les définitions pourraient être bonnes, si l'on n'employait pas « des mots pour les faire. »

hunt. Hi perperam vocabulis utuntur, quæ consuetudo in sermonem vernaculum induxit; idque contingit, ubi notiones sibi comparare volunt, neque verbis perspicuam notionem adjungunt. Sic *sapientiae*, *virtutis*, *gloriae*.... voces a plerisque in diversas sententias accipiuntur. Quod vitium oritur præcipue ex eo quod memoriæ nostræ verba prius mandemus, quam notiones, quæ per ea significantur, nobis in animo informemus. Cum enim a pueris in consuetudinem venimus vocabula, uti sonos, proferendi, neque ad quidquam aliud attendendi; sic eorum potestatem nunquam curantes, non hominum, sed psittacorum more loquimur.

Cui vitio tam gravi et tam pernicioso remedium attuleris, si notiones in animo prius concipies, quam verba ad eas exprimendas proferas, ad idque bene attendes, non cogitationes a vocabulis, sed a cogitationibus vocabula dirigenda et ordinanda esse.

§ XLIX.

Alter *abusus* oritur, si eadem verba in plures ac diversas sententias accipiantur. Quod frequenter adeo fieri solet ut, monente Lokio, sermonem aut librum hoc vitio non laborantem invenire difficillimum sit; idque plerumque efficitur ex vocabulorum penuria, sæpius etiam ex incuria aut ex artificio quodam proficiscitur.

Cum autem verbis id consequi studeamus, ut cum aliis sensa nostra communicemus, si non idonea et germana vocabulorum significatione, sed nova et arbitria omnino utamur; tunc alios manifesto decipere volumus. Semper igitur eadem

verborum significatio et potestas in eodem sermone teneantur, quæ si necessario immutandæ sint, in hac caussa lector vel auditor de isthac vocis mutatione moneatur.

§ L.

Abusus tertius fit ex affectata vocabulorum obscuritate, si nimirum quis amphibolias aucupetur; quod contingit, ubi usitatis vocabulis nova aut obsoleta significatio adjicitur, aut vocabula usurpantur recentiora et dubia, eaque in explicando non explicita. Insigne hoc vitium Peripateticorum fuit qui, monente CARTESIO (111), orationes et disputationes suas obcæcantes, similes erant cæcis, qui oculis valentem, ut æquis uterque viribus confligeret, in obscurum antrum invitarunt.

Quæ ratiocinandi ratio, licet vana quædam et ridicula sit subtilitas, tamen etiam in præsentia ut ingenii sagacitas laudatur eximieque a doctis comprabatur. Hoc autem non mirum, cum veteres philosophi, Sophistas intelligo, viros illos litigiosos rixososque, aliique recentiores *scholastici* gloriam et existimationem tali modo consequi studuerint, atque sic verbis obscuris ancipitique et dicendi et scribendi ratione ignorantiam suam celare putaverint.

Sed hoc miserius, quod istiusmodi *abusus* in inanibus philosophorum argutiolis sese non continuerit, verum etiam in societatem, vitæ instituta, mores et religionem irrepserit. In-

(111) Vid. PEYRARD De la nature et de ses lois. pag. 82.

deque cavillationes, rixæ et omnes quæ de nominibus et vocabulis instituuntur, innumeræ et pertinaces disputationes, quæ omnimode disciplinas perturbant.

§ LI.

Quartus autem *abusus* oritur : si verba pro rebus ipsis accipiantur; quod vitium præcipue cadit in eos, qui placitis aut sectis quibusdam ita delectantur, ut ea perfecta et numeris omnibus absoluta autument. Itaque facile sibi persuadent verba quæ in iis usurpantur, cum rebus ipsis adeo congruere, ut earumdem vi et naturæ prorsus respondeant. Hic autem abusus, si in consuetudinem abeat, tot et tanta incommoda adfert, ut qui in eo versantur, falsas plerumque notiones et opiniones sibi informent et sic in errores frequenter incidant. Et profecto, rustico haud facile persuaseris verba quæ ejus pater, magistri, pastores, aut alius quivis venerandus doctor profert, nihil reapse, quod in rerum natura sit, significare posse; hæcque præjudicata opinio non omnium minima est, quæ homines in erroribus suis pervicaces et obstinatos reddit.

§ LII.

Quintus denique vocabulorum *abusus* fit, ubi figuris, tralatisque significationibus abutimur; ubi scilicet in eleganti et condita oratione, venustates et lepores ita mire aures permulcent, et animis blanditur, ut homines ad se allectent, non animadvertentes illos utrum sententiæ, quæ tam lepide proferuntur, solidæ sint ac veræ. Atque sic sæpissime evenit, ut pulcra sophismata ornatique errores orationis elegantia et

venustate condiantur. Quocirca omnia illa oratoria ornamenta, quæ nativam vocabulorum significationem in artificiosam immutant, falsas fere rerum notiones menti exhibent, affectus vehementiores excitant, sensus delicate percellunt et tali modo judicium obcæcant corrumpuntque. Quæ fuerit et adhuc sit eloquentiæ vis et potestas neminem latet, ut si quis ornate, copiose et eleganter aliquem dicentem audiverit, is non curaverit, utrum ea vera sint, quæ sic dicuntur an secus, sed arti isti fraudulentæ lubenter indulgens, in errorem imprudens attrahitur. Ad hæc igitur omnia sapiens accurate attendet, cavebitque ne capiatur, eloquentiæque lenociniis et artificiis decipiatur; neque vero venustate, sed veritate omnia metietur, ad illud antiquum proverbium semper respiciens :

'Απλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ (112).

§ LIII.

Ex his autem omnibus quæ diximus, facile intelligitur præjudicatas opiniones et errores alios cum maxime obstare, quominus verum anquiratur cernaturque. Patet omnibus veritas, ardua tamen et difficilis ejus indagatio. « Sane, inquit PETRAR- « CA (113), in tanta scientiæ inopia, ubi implumes alas vento « aperit humana superbia, quam frequentes et quam duri « scopuli ! quot quamque ridiculæ philosophantium vanita- « tes ! Quanta oppositionum varietas ! Quanta pertinacia ! « Quanta protervia ! Qui sectarum numerus ! Quæ differen- « tiæ ! Quanta rerum ambiguitas ! Quæ verborum perplexitas ! « Quam profundæ, quamque inaccessibiles veri latebræ !!!

(112) Euripides ap. STOBÆUM Serm. XI. pag. 134.

(113) De ignorantia sui et multorum pag. 1166. Henr. Petr.

CAPUT X.

DE VERI INVESTIGATIONE; VERUM AN COGNOSCI POSSIT?

§ LIV.

Cum labi, errare, nescire et decipi et malum et turpe ducamus, propria est hominis veri inquisitio, falsi et erroris vitatio, atque ut quisque prudentissimus et sapientissimus est, ita maxime ab opinionibus liber est et verum diligenter consectatur. Nam Epicurus, qui voluit subvenire erroribus iis qui videntur conturbare veri cognitionem, dixit, sapientis esse opinionem a perspicuitate sejungere. Itaque sapientia et veritas unum atque idem est; error et temeritas et ignorantia et opini a natura sapientiaque removenda. Quocirca sapientissimi quique viri, cum se ad philosophiam accommodarunt, cont. etiam sese ad veri cognitionem et indagationem applicuerunt.

§ LV.

Antiquorum philosophorum alii quidem verum se invenisse dixerunt; alii vero id esse ejusmodi, quod percipi non posset,

statuerunt; alii in quærendo perseverarunt (114). Invenisse autem sibi videbantur Dogmatici, ut Aristoteles, Epicurus; alii negabant verum intelligi posse, ut Clitomachus, Carneades, cæterique Academici. Tum vero rerum obscuritas ad confessionem ignorationis adduxerat Socratem, Democritum, Anaxagoram, Empedoclem, omnesque fere veteres, qui nihil sciri, nihil percipi posse dixerunt, quippe existimantes, angustos esse sensus, imbecilles animos, brevia vitæ curricula et, ut Democritus, in profundo veritatem esse demersam : opinionibus et erroribus omnia infici, nullam aut saltem difficillimam ad verum viam patere, omnia tenebris circumfusa (115). Sceptici autem semper quæsiverunt, neque vero unquam invenire potuerunt (116). Primi itaque rerum notiones habuerunt, alteri

(114) Ex veteribus philosophis alii fuerunt, qui verum in plurimis inventum esse existimarent; ideoque vocati sunt *Dogmatici* a *dogmate*, quod idem est, ac veritas certissima. Alii veritatem nondum quidem repertam esse putarunt, sed de ea invenienda non desperabant. Dicti sunt *Sceptici*, sive, *Inquisitores*, ἀπὸ τοῦ σκέπτεσθαι, quod verum inquirere se profiterentur. Vocati sunt etiam Pyrrhonii a Pyrrhone, hujus sectæ auctore. Alii demum opinabantur nec inventam esse, nec inveniri posse veritatem; ideoque de omnibus dubitandum esse dixerunt, quam ob caussam appellati sunt Acataleptici, h. e. *Incomprehensores*. De Dogmaticis et Scepticis recte judicavit LACTANTIUS Div. Inst. Lib. II. cap. 6, ubi sic : « alii putarunt sciri « posse omnia, hi sapientes utique non fuerunt, alii nihil, ne hi quidem « sapientes fuerunt. Illi quia plus homini dederunt; hi quia minus. »

(115) Vid CICERO Acad. Lib. I. cap. 12.

(116) Conf. SEXTUS EMPIR. Pyrrh. Hypoth. Lib. I. cap. 1. init. Hanc autem in rem facete MONTANIUS : « Quiconque cherche quelque chose, il « en vient à ce point où qu'il dit qu'il l'a trouvée, ou qu'elle ne peut se « trouver, ou qu'il est encore en queste. Toute la philosophie est départie

propter animi humani imbecillitatem et ignorantiam, semper in veri investigatione perseverantes, animum desponderunt, in profundo veritatem penitus abstrusam existimantes (117). Postremi vero, ex his quæ videntur, nihil magis esse quam non esse opinantes: οὐδὲν μᾶλλον, de omnibus rebus judicabant (118),

---

« en ces trois genres, son dessein est de chercher la vérité, la science et la « certitude. Les Péripatéticiens, Épicuriens, Stoiciens et autres ont pensé « l'avoir trouvée. Ceux-ci ont estably les sciences que nous avons et les « ont traitées comme notions certaines; Clitomachus, Carneades et les « Académiciens ont désespéré de leur queste, et jugé que la vérité ne se « pouvoit concevoir par nos moyens. La fin de ceux-ci, c'est la foiblesse « et humaine ignorance. Ce parti a eu la plus grande suite et les Sectateurs « les plus nobles. Pyrrhon et autres Sceptiques ou Epechistes, les dogmes « de qui plusieurs anciens ont prétendu être tirés d'Homère, des sept sages, « d'Archilochus et d'Eurypides et y attachent Zéno, Democritus, Xeno- « phanes, disent qu'ils sont encore en cherche de la vérité: Ceux-ci jugent « que ceux-là qui pensent l'avoir trouvée, se trompent infinement, et qu'il « y a encore de la vanité trop hardie en second dégré, qui asseure que les « forces humaines ne sont pas capables d'y atteindre. Car cela d'establir la « mesure de notre puissance et cognoistre et juger la difficulté des choses, « c'est une grande et extrême science, de laquelle ils doutent que l'homme « est capable :

« Nil sciri quisquis putat, id quoque nescit,
« An sciri possit, quo se nil scire fatetur!

LUCR.

« L'ignorance qui se sait, qui se juge et qui se condamne, ce n'est pas « une extrême ignorance, pour l'être il faut qu'elle s'ignore soi-même. »

(117) CICERO Acad. Lib. IV. cap. 10.

(118) Conf. SEXTUS EMPIRICUS Pyrrh. Hypot. Lib. I. cap. 19. sect. 188. SENECA Epist. LXXXVIII. fin. A. GELLIUS Noct. Att. XI. 5 et SUIDAS in μᾶλλον et οὐδὲν μᾶλλον. Add. DIOGENES LAERTIUS Lib. IX. segm. 74. sq.

itaque Protagoras putabat de omni re in utramque partem disputari posse (119); Nausiphanes et Parmenides et Zeno nihil quidquam certi esse statuebant. In quibus fere placitis Pyrrhonii versabantur et Acataleptici et Megarici et Eretrici et Academici, qui novam doctrinam instituerunt illam : NIHIL SCIRI.

Igitur spem omnis scientiæ eripiunt, neque lumen proferunt, quo mentis acies ad verum dirigatur. Si Protagoræ credamus, nihil in rerum natura est nisi dubium. Quid ergo nos sumus? quid ista quæ nos circumdant, alunt, sustinent? Totane rerum natura est inanis aut fallax? neque ullum discrimen est et veri et falsi, nulla certitudo, nulla evidentia : οὐδὲν μᾶλλον?

Quo detestabilior istorum philosophia, qui judicium coercent, errorem a veritate non secernunt, ad eamque omnem aditum intercludunt. Longe præstantior et sapientior Academicorum et Epicureorum doctrina, quæ ad notiones rerum informandas instituitur, verum videt et secernit a falso; ad quam si quid aliquantum accedat modestiæ et prudentiæ Clitomachi et Carneadis qui, ob humanæ mentis debilitatem, in judicando maxime cauti et considerati erant, miri nescio quid et pulcri efficietur.

§ LIV.

Quæ cum ita sint, maximo nobis usui erit in veri investigatione prægnans illud et omnibus numeris absolutum SEXTI

(119) Vid. J. LIPSIUS Manud. Dissert. IV.

Empirici præceptum, qui de examine et studio adhibendo in omnibus rebus dijudicandis ita docet, ut eum, qui in considerando versatur, cum populo sibi magistratum eligente comparet: Ἐπὶ δὲ τῆς κατὰ τὴν περιωδευμένην συνδρομὴν ἕκαστον τῶν ἐν τῇ συνδρομῇ ἐπιστατικῶς δοκιμάζομεν· ὁποῖόν τι γίνεται καὶ ἐν ταῖς ἐκκλησίαις ὅταν ὁ δῆμος ἕκαστον τῶν μελλόντων ἄρχειν ἢ δικάζειν ἐξετάζῃ, εἰ ἄξιός ἐστι τοῦ πιστευθῆναι τὴν ἀρχὴν ἢ τὴν κρίσιν· Οἷον ὄντων κατὰ τὸν τῆς κρίσεως τόπον, τοῦ τε κρίνοντος καὶ τοῦ δι' οὗ ἡ κρίσις ἀποστήματός τε καὶ διαστήματος, τόπου, χρόνου, τρόπου, διαθέσεως, ἐνεργείας. (120).

Quo autem verum facilius assequamur, non solummodo rei indagandæ naturam diligenter et accurate perpendemus, sed etiam nosmetipsos considerabimus, vires et facultates tentabimus; nostrumque intellectum ad res intelligendas sic accommodabimus, ut, si debilis sit et arduarum veritatum assequendarum incapax, eum in ejusmodi rebus contineamus, quæ tam acutum ingenium non expetant. Atque vitabimus illud, de quo Cicero queritur (121), vitium artibus et disciplinis infestissimum: *nimis magnum studium ad res obscuras et difficiles conferri.* Quod si quis facultates suas ignoret, sæpe hallucinabitur ingeniumque suum ad doctrinam neutiquam informare poterit. Ἄνθρωπε, πρῶτον ἐπίσκεψαι, ὁποῖόν ἐστι τὸ πρᾶγμα, εἶτα καὶ τὴν σεαυτοῦ φύσιν κατάμαθε, εἰ δύνασαι βαστάσαι (122). Vis esse luctator? adspice brachia tua et femora, et lumbos considera. Vis esse philosophus, veri et sapientiæ amans? Ardua via est et perangusta, animi vires et naturam æstima; mitte affectus omnes, et imperturbato animo verum sequere.

---

(120) Sextus Empiricus Adv. Log. Lib. VII. sect. 182. pag. 408. Fabr.

(121) De Off. Lib. I. cap. 6.

(122) Epictet. Enchir. cap. 29.

CAPUT XI.

DE VERI INDICIO, SIVE ΚΡΙΤΗΡΙΩΙ.

§ LV.

Ex veteribus Philosophis, qui mentem humanam ad rerum scientiam aptam judicantes, amplecti maxime cognitionem et κατάληψιν eam dixerunt, Stoici potissimum Criteriis (123) *veri et falsi* regulam dederunt. Alii autem in ratione, alii in sensibus alii alibi pro suis quique placitis veri criterium collocarunt. Sic Aristoteles qui omnem humanam notionem a sensibus ortum habere existimavit, veri indicia sensus dixit (124); eosque nos ad veri notionem conferre, immo scientiam esse, neque fallaces dixerunt Parmenides, Thales, Heraclitus, Empedocles, Epi-

---

(123) Sic DIOGENES LAERTIUS Lib VII. segm. 54. *κριτήριον δὲ τῆς ἀληθείας φασὶ τυγχάνειν τὴν καταληπτικὴν φαντασίαν, τουτέστι τὴν ἀπὸ ὑπάρχοντος. καθά φησι Χρύσιππος ἐν τῇ δυωδεκάτῃ τῶν Φυσικῶν, καὶ Ἀντίπατρος καὶ Ἀπολλόδωρος.* Cf. HENR. STEPH. Annot. in Sext. Empir. Pyrrh. Hypoth. Lib. II. sect. 2. p. 199. Atque huc videntur etiam esse referenda, quæ de Stoicis universe prodit idem SEXTUS Adv. Math. Lib. VIII. sect. 10. pag. 460. ubi sic : *οἱ δὲ ἀπὸ τῆς Στοᾶς λέγουσι μὲν τῶν τε αἰσθητῶν τινα καὶ τῶν νοητῶν ἀληθῆ· οὐκ ἐξ εὐθείας δὲ τὰ αἰσθητὰ, ἀλλὰ κατὰ ἀναφορὰν τὴν ὡς ἐπὶ τὰ παρακείμενα τούτοις νοητά. ἀληθὲς γάρ ἐστι κατ' αὐτοὺς τὸ ὑπάρχον καὶ ἀντικείμενόν τινι· καὶ ψεῦδος, τὸ μὴ ὑπάρχον καὶ μὴ ἀντικείμενόν τινι:* ubi. vid. FABRICIUS. coll. BAGUET. De Chrysippo p. 159. et p. 252. sq. Add. SEXTUS EMPIR. Lib. I. Adv. Log. sect. 151. sq. et sect. 401. Lib. II. sect. 86.

(124) DIOGENES LAERT. Lib. V. segm. 29.

charmus et Homerus (125). Cyrenaici, auctore Protagora (126), ea in homine collocarunt ita statuentes : γίνεται τοίνυν κατ' αὐτὸν τῶν ὄντων κριτήριον ὁ ἄνθρωπος. Πάντα γὰρ τὰ φαινόμενα τοῖς ἀνθρώποις καὶ ἔστιν. Τὰ δὲ μηδενὶ τῶν ἀνθρώπων φαινόμενα, οὐδέν ἐστι (127). Contra quos veniebat Xeniades, qui omnia falsa esse dicens, omnia visa falsa τὴν φαντασίαν et opiniones pravas esse judicabat; quem sequebatur Sextus noster dicens : « εἰ δὲ μηδέν ἐστιν ἀληθὲς, τὸ δὲ « κριτήριον δοκεῖ πρὸς τὴν κρίσιν τοῦ ἀληθοῦς χρησιμεύειν, ἄχρηστον καὶ μά- « ταιόν ἐστι τὸ κριτήριον (128). » Unde oriebantur celeberrimæ illæ Pyrrhonis et Scepticorum ἐποχή (129) et ἀταραξία, quod scilicet ipsi res omnes promiscuas habuerint, earumque dubias rationes; neque in sensibus neque in opinione verum et falsum

(125) Conf. PLATO Theæt. c. 21 et 22. pag. 151. sq. Steph. αἴσθησις ἄρα τοῦ ὄντος ἀεί ἐστι καὶ ἀψευδὴς ὡς ἐπιστήμη οὖσα : et pag. 160. ἀληθὴς ἄρα ἐμοὶ ἡ ἐμὴ αἴσθησις· τῆς γὰρ ἐμῆς οὐσίας ἀεί ἐστι.

(126) Contra quem non infeliciter interdum disputat SEXTUS EMPIRICUS dicens : τοσαύτης οὖν οὔσης ἀνωμαλίας καὶ παρὰ τὰς διαθήσεις, καὶ ἄλλοτε ἄλλως ἐν ταῖς διαθέσεσι τῶν ἀνθρώπων γινομένων, ὁποῖον μὲν ἕκαστον τῶν ὑποκειμένων ἑκάστῳ φαίνεται, ῥᾴδιον ἴσως εἰπεῖν· ὁποῖον δέ ἐστιν, οὐκέτι. Pyrrh. Hyp. Lib. I. cap. 14. sect. 112, et 78. sqq. Adv. Log. Lib. I. sect. 60. sqq.

(127) SEXTUS EMPIR. Pyrrh. Hypoth. Lib. I. c. 32. ibiq. J. A. FABRICIUS. Sic ARISTOCLES apud EUSEBIUM Præparat. Evang. Lib. XIV. 20. init. οὗτος γὰρ ἔφη μέτρον εἶναι τῶν πάντων χρημάτων τὸν ἄνθρωπον· τῶν μὲν ὄντων, ὡς ἔστι· τῶν δ' οὐκ ὄντων, ὡς οὐκ ἔστιν. ὁποῖα γὰρ ἑκάστῳ φαίνεται τά πράγματα, τοιαῦτα καὶ εἶναι. Add. PLATO Theæt. c. 21. p. 162. Steph. coll. DIOGENES LAERT. IX. 50.

(128) Pyrrh. Hyp. Lib. II. cap. 10. sect. 94. pag. 88. Add. Lib. I. cap. 14. p. 30. sqq.

(129) Ita SEXTUS EMPIR. ibid. Lib. I. sect. 196 : Τὸ δὲ ἐπέχω παραλαμβάνομεν ἀντὶ τοῦ, οὐκ ἔχω εἰπεῖν τίνι χρὴ τῶν προκειμένων πιστεῦσαι ἢ τινι ἀπιστῆσαι, δηλοῦντες ὅτι ἴσα ἡμῖν φαίνεται τὰ πράγματα πρὸς πίστιν καὶ ἀπιστίαν, καὶ ἡ ἐποχὴ δὲ εἴρηται ἀπὸ τοῦ ἐπέχεσθαι διάνοιαν. κ. τ. λ. Add. Lib. I. sect. 8. et 10. et quæ plura dedit HENR. STEPHANUS pag. 202. sq.

inesse dixerint. Ex quibus placitis efficitur, nullum relinqui ad verum aditum, nullum falsi, vanitatis, certitudinis et evidentiæ discrimen (130). Quam autem perniciosam doctrinam acerrime reprehendit ARISTOCLES Peripateticus (131), qui de Timone loquens, « Τὰ μὲν οὖν πράγματά φησιν αὐτὸν ἀποφαίνειν ἐπίσης « ἀδιάφορα καὶ ἀστάθμητα καὶ ἀνέγκριτα· διὰ τοῦτο μήτε τὰς αἰσθήσεις ἡμῶν, « μήτε τὰς δόξας ἀληθεύειν ἢ ψεύδεσθαι. Διὰ τοῦτο οὖν μηδὲ πιστεύειν αὐταῖς « δεῖ, ἀλλ' ἀδοξάστους καὶ ἀκλινεῖς καὶ ἀκραδάντους εἶναι. »

Longe melior Arcesilai doctrina, qui, licet de omnibus assertionem τὴν ἐποχήν sustineat, tamen in eligendo et fugiendo, in omnibusque judiciis probabilitate actiones dirigit (132).

Carneades autem non solum Stoicis, sed etiam omnibus, qui eum antecesserunt, Philosophis de veri falsique regulâ contrariam sententiam protulit. Ostendit enim nihil esse, a quo veritas dijudicetur, neque sensum, neque phantasiam, neque alia hujus generis. Hæc enim omnia, inquit, pariter nos fallunt (133). Hi omnes Pyrrhonis discipuli, de omnibus ambigentes, nihil asserebant, sed in quærendo (ἐν τῷ σκέπτεσθαι) toti versabantur, similitudinemque veri negantes, statuebant obscura esse et incerta omnia. Quorum placita non injuria increpat CICERO, dicens (134): « eam philosophim sequere quæ « confundit vera cum falsis, spoliat nos judicio, privat ap- « probatione, omnibus orbat sensibus. »

---

(130) Ἀνῄρουν δὲ οὗτοι καὶ πᾶσαν ἀπόδειξιν καὶ κριτήριον, καὶ σημεῖον καὶ αἴτιον, καὶ κίνησιν καὶ μάθησιν. DIOGENES LAERT. Lib IX. segm. 90.

(131) Apud EUSEBIUM Præparat. Evang. XIV. c. 18. pag. 758. D.

(132) Conf. SEXTUS EMPIRICUS Adv. Log. Lib. VII. sect. 157. pag. 405.

(133) NUMENIUS ap. Eusebium Præpar. Evang. XIV. 8.

(134) Acad. Lib. II. cap. 19. coll. cap. 10.

CAPUT XII.

QUID IN REBUS DIJUDICANDIS ADHIBENDUM. SENSUS NON DECIPI.

§ LV.

Si Pyrrhoni ejusque discipulis credamus, nobis tradent sensum æque ac rationem fallere, ideoque neutri fidem habendam esse, neque verum cognosci posse; αἱ δὲ αἰσθήσεις ψεύδονται, ὁ δὲ λόγος διάφωνος (135). Quam sententiam insecuti deinceps sunt cum cæteri Sceptici, tum potissimum Sextus Empiricus, qui ad Pyrrhonis placita sese maxime accommodare studuit; itaque statuebat verum neque per sensus, neque per judicium judicari posse atque sic assensionem continuo retinuit. Tum vero Xenophanes, Chrysippus (136) et Parmenides et Melissus et

(135) Diogenes Laert. Lib. IX. segm. 25.

(136) Vid. Plutarch. De Stoic. Repugn. pag. 1036. C. D. Cicero Acad. Lib. II. cap. 24 et 27. — Hoc autem de Chrysippo Montanius quoque ex sententia Ciceronis refert Lib. II. pag. 432. « Cicero dit que Chrysippus « ayant essayé de rabattre de la force des sens et de leur vertu, se représenta à soi-même des arguments au contraire et des opinions si véhémentes qu'il ne put y satisfaire. » Cf. Baguetius De Chrysippo p. 19. not. 18. et p. 144.

qui eos insecuti sunt, Plutarchus (137); Stilpo deinde ac Megarenses Philosophi visorum et sensuum notionibus rejectis, soli rationi fidem habuerunt (138). Sic Asclepiades, Heraclitus et ii, qui a Thalete prodière philosophi, sensuum judicio rejecto, solam rationem veritatis judicem constituerunt; atque Empedocles solummodo a recta ratione verum judicari existimavit. Sic etiam senserat Plato (139), de quo MONTANIUS (140): « Platon a voulu le jugement de la vérité et la vérité même « retirée des opinions et des sens, appartenir à l'esprit « et à la cogitation (141). » Suam autem philosophandi rationem quæ in *ratione* et in *disserendo* versaretur, Academici et Perepatetici ducebant a sensibus, sed ita ut, judicium veritatis non sensibus fallentibus, sed menti tribueretur, quæ sola verum cerneret. Omnem a sensibus datam cognitionem

---

(137) De Solertia Animalium pag. 961. A. Ubi laudat illud : Νοῦς ὁρῇ καὶ νοῦς ἀκούει, τὰ δὲ ἄλλα κωφὰ καὶ τυφλά. κ. τ. λ. Adv. Colot. pag. 1118. A. B.

(138) De quibus conf. EUSEBIUS Præparat. Evang. Lib. XIV. c. 17. pag. 756. B. Οἴονται γὰρ δεῖν τὰς μὲν αἰσθήσεις καὶ τὰς φαντασίας καταβάλλειν, αὐτῷ δὲ μόνον τῷ λόγῳ πιστεύειν. — Vid. ibid. pag. 757 et SENECA Epist. LXVI.

(139) Phædone pag. 83. A. ubi sic : ἐνδεικνυμένη (sc. ἡ φιλοσοφία) ὅτι ἀπάτης μὲν μεστὴ ἡ διὰ τῶν ὀμμάτων σκέψις, ἀπάτης δὲ, ἡ διὰ τῶν ὤτων καὶ τῶν ἄλλων αἰσθήσεων. Πείθουσα δὲ ἐκ τούτων μὲν ἀναχωρεῖν ὅσον μὴ ἀνάγκη αὐτοῖς χρῆσθαι, αὐτὴν δὲ εἰς αὐτὴν ξυλλέγεσθαι καὶ ἀθροίζεσθαι παρακελευομένη. Πιστεύειν δὲ μηδενὶ ἄλλῳ, ἀλλ' ἢ ἀυτὴν αὐτῇ κ. τ. λ.

(140) Essais Lib. II. cap. 12. pag. 432.

(141) Quæ doctrina Ciceroni admodum placuit, neque sensus fallaces et pravos esse existimabat, sed opinionum errorumque nostrorum caussam in solam rationem conferebat; nam, inquit ille (De Legg. Lib. I. cap. 17.) « sensus nostros non parens, non nutrix, non magister, non poëta, non « scena depravat, non multitudinis consensus abducit a vero : animis omnes « tenduntur insidiæ. »

opinabilem solum esse, scientiamque tantum inesse in rationibus. Mentem itaque volebant rerum esse judicem, solam censebant idoneam, cui crederetur. Sensus autem omnes hebetes et tardos esse arbitrabantur, nec percipere ullo modo res eas, quæ subjectæ sensibus viderentur, quæ essent aut ita parvæ, ut in sensus cadere non possent; aut ita mobiles et concitatæ, ut nihil unquam unum esset constans. Itaque hanc omnem partem rerum *opinabilem* appellabant : scientiam autem nusquam esse censebant, nisi in animi notionibus atque rationibus (142). Contra Aristippus et Antiochus Academicus (143), quoniam veritatis judicium non nisi sensibus tribuebant, mentis et rationis ullas hac in re partes esse negabant (144), in eoque maxime convenientes cum Epicuro, qui πᾶσαν αἴσθησιν καὶ πᾶσαν φαντασίαν ἀληθῆ dixit (145); nunquam sensus mentiri, sed omnes veros esse in iisque judicia rerum esse posita; quorum si unus semel in vita mentitus sit, sublatum esse omne judicium veri et falsi, in eoque cum Zenone consentiens, qui quidem existimavit, sensibus fidem esse habendam,

---

(142) CICERO Acad. Lib. I. cap. 8.

(143) De quo cf. SEXTUS EMPIRICUS Adv. Log. Lib. II. sect. 201. pag. 412. Steph.

(144) Cf. DIOG. LAERTIUS I. cap. 5. segm. 92. SEXT. EMPIR. loc. supra cit. add. GODOFR. STALLBAUM Prolegom. ad Plat. Phileb. pag. 19 sq.

(145) PLUTARCH. De Placit. Philos. cap. 9. Plura viri docti ad LUCRETIUM IV. 480. sq. DIOG. LAERTIUS Lib. X. segm. 146. et præ omnibus GASSENDUS in Philosophia Gargettii. Add. SEXTUS EMPIRICUS Adv. Log. Lib. I. sect. 368. Lib. II. sect. 9.

quod comprehensio facta sensibus vera esset et fidelis, in eo discrepans, quod huic placuerit visis, non omnibus adjungendam fidem, sed his solum quæ propriam quamdam haberent declarationem earum rerum quæ viderentur (146). Cui doctrinæ adversatur potissimum ex Antiquioribus ARISTOCLES, qui dubios, fallaces et mutabiles sensus arguit his verbis : « καὶ μὲν εἴ γε πᾶσα αἴσθησις ἀληθὴς ἦν, οὐκ ἔδει τοσοῦτον διαφέρειν αὐτάς. ἄλλαι γάρ εἰσιν ἐγγύθεν καὶ πόῤῥωθεν, καὶ νοσούντων καὶ ἐῤῥωμένων, καὶ τεχνιτῶν καὶ ἀτέχνων καὶ φρονίμων καὶ ἀφρόνων (147). Hanc ipsam sententiam tuetur fere iisdem verbis MONTANIUS (148) contra Epicureos disputans : « Que pouvons-nous juger de leur véritable essen- « ce? davantage puisque les accidents des maladies, de la res- « verie ou du sommeil nous font paroître les choses autres « qu'elles ne paroissent aux sains, aux sages, et à ceux qui « veillent, n'est-il pas vraisemblable que notre assiette droite « et nos humeurs naturelles ont aussi de quoi donner un être « aux choses? — Sur ce même fondement qu'avait Heraclitus « et cette sienne sentence, que toutes choses avaient en elles « les visages qu'on y trouvoit. — Le desgouté charge la fadeur « au vin, le sain la saveur, l'altéré la friandise. Or notre

---

(146) CICERO Lib. I. cap. 11. § 41. sqq.

(147) Apud EUSEBIUM Præparat. Evang. XV. pag. 767. D. Add. BACO Nov. org. L. I. pag. 63. (Rawley.) qui sic : « Longe maximum impedi- « mentum et erratio intellectus humani provenit a stupore et incompe- « tentia fallacium sensuum, ut ea quæ sensum feriunt, illis, quæ sen- « sum immediate non feriunt, licet paucioribus præponderent, sensus « enim per se res infirma est et aberrans.

(148) Essais Lib. II. cap. 12. pag. 442. Add. RENATI CARTESII Meditat. I init. et pag. 86.

« état, accommodant les choses à soy, et les transformant selon « soy, nous ne savons plus qu'elles sont les choses en vérité; « car rien ne vient à nous que falsifié et altéré par nos sens. »

§ LVI.

Quæ autem placita quamquam probanda videantur, tamen qui bene philosophatur, remque accuratius perpendit, is a tantorum virorum modeste, ut fas est, sententia recedens, sensus illos (149) omnium cognitionum auctores non accusabit, qui sunt primi Philosophiæ duces :

Via quæ munita fidei
Proxima fert humanum in pectus templaque mentis.

qui tantum ad veri cognitionem conferre existimandi sunt; qui, docente Platone, resuscitant residuas formarum illarum divinarum scintillas, æternasque notiones excitant (150).

---

(149) MONTAIGNE ibid. pag. 432. Cf. J. J. ROUSSEAU Émile Lib. II. Tom. II. pag. 181. Add. PEYRARD *De la nature et de ses lois.* pag. 31. « C'est par nos sens que nous connoissons les divers objets de la nature. « Si nous avions été privés de la vue, nous ne connoîtrions ni la lumière « ni les couleurs. Si nous avions été privés de l'ouïe, nous ne connoîtrions « point les sons; en un mot, si nous avions été privés de tous nos sens ou, ce « qui revient au même, si nous n'avions fait aucun usage de nos sens, nous « n'aurions aucune connoissance, pas même celle de notre existence. »

(150) Ut pluribus locis docet PLATO; quem conf. modo in Timæo pag. 68. E : διὸ δὴ χρὴ δύο αἰτίας εἴδη διορίζεσθαι. τὸ μὲν ἀναγκαῖον, τὸ δὲ θεῖον. καὶ τὸ μὲν θεῖον ἐν ἅπασι ζητεῖν κτήσεως ἕνεκα εὐδαίμονος βίου, καθ' ὅσον ἡμῶν ἡ φύσις ἐνδέχεται· τὸ δὲ ἀναγκαῖον ἐκείνων χάριν : ubi τὸ θεῖον, monente GODOFREDO STALLBAUM, (Prolegom. ad Phileb. not. 31. pag. 27.) ideam, τὸ ἀναγκαῖον, res mutabiles intelligas.

« Invenies primis ab sensibus esse creatam
« Notitiam veri, neque sensus posse refelli
« Quid majore fide porro quam sensus haberi. »
Lucr. v.

Audiamus itaque et sequamur Philosophorum Gallorum facile principem, J. J. Rossæum, cui recte placet (151): « je dis « qu'il est impossible que nos sens nous trompent, car il est « toujours vrai que nous sentons ce que nous sentons; et les « Epicuriens avaient raison en cela. Les sensations ne nous « font tomber dans l'erreur que par le jugement qu'il nous « plaît d'y joindre sur les causes productrices de ces mêmes « sensations, ou sur les rapports qu'elles ont en elles, ou sur « la nature des objets qu'elles nous font apercevoir. Or c'est « en cela que se trompaient les Epicuriens, prétendant que « les jugements sur nos sensations n'étaient jamais faux. Nous « sentons nos sensations, mais nous ne sentons pas nos juge- « ments, nous les produisons. »

§ LVII.

Ex quibus intelligitur non sensum judicare, ideoque errare non posse, sed judicium quod sensationem sequitur, falsum esse posse. Sed reposuerint nobis et Aristocles (152) et Mon-

(151) Émile Lib. III. Tom. III. pag. 153. sq.

(152) Ap. Eusebium Præparat. Evang. Lib. XIV. 20. pag. 768. Ubi sic : « ἐπὶ γὰρ τοῦ ἐρετμοῦ τοῦ ἐν τῷ ὕδατι — ἡ αἴσθησίς ἐστι ἡ ἀπατῶσα. Διὸ καὶ « μεμφόμεθα πάντες ἐπὶ τῶν τοιούτων οὐ τὸν νοῦν ἡμῶν, ἀλλὰ τὴν φαντασίαν. »

TANIUS (153) et MALEBRANCHIUS (154), sensus fallere, quod res externas menti non repræsentent, uti revera sunt, v. g. baculus in aquâ pro parte immersus apparet curvus. Sed ipsis dixerim cum eodem J. J. ROSSÆO (155) : « La première fois « qu'un enfant voit un bâton plongé dans l'eau, il voit un « bâton brisé; la sensation est vraie et elle ne laisserait pas « de l'être, quand même nous ne saurions point la raison de « cette apparence. Si vous lui demandez ce qu'il voit, il dit « un bâton brisé et il dit vrai, car il est très-sur qu'il a la « sensation d'un bâton brisé; mais quand trompé par son ju- « gement il va plus loin et qu'après avoir affirmé que ce « qu'il voit est en effet un bâton brisé, alors il dit faux. Pour- « quoi cela ? parce qu'alors il devient actif et qu'il ne juge « plus par inspection, mais par induction. »

---

(153) Essais Lib. II. cap. 12 p. 435. ubi sic : « Quand à l'erreur et in- « certitude de l'opération de nos sens, chacun peut fournir autant d'exem- « ples qu'il lui plaira, tant les fautes et tromperies qu'ils nous font sont « ordinaires. — A manier une balle d'arquebuse sous le second doigt, celui « du milieu étant entrelacé par dessus, il faut extrêmement se contraindre « pour avouer qu'il n'y en ait qu'une, tant le sens nous en représente « deux. » Et profecio duas glandes sentimus et sensatio passiva quæ dici- tur, duarum glandum vera est, sed statim ac inducimus, id revera esse quod sentimus, tunc judicamus, et si in errore versemur, id non sensationi, sed judicio utpote *activo* tribuendum est.

« Nec tamen hic oculis falli concedimus hilum,
« Proinde animi vitium hoc oculis adfingere noli. »

LUCR. ibid.

(154) De la recherche de la vérité, Lib. I. cap. 6. sqq. et passim.

(155) Émile Lib. III. Tom. 3. pag. 157; quod item placet ipsi MALEBRANCHIO Lib. I. cap. 14.

Rejiciendæ itaque et contemnendæ quæ ad vulgarem popularemque sensum accommodatæ sunt opiniones, nempe sensus nostros corruptos esse et vitiatos et fallaces; immo vero, ut cum MALEBRANCHIO loquar, non adeo sensus, sed intellectus (156) et voluntas nostra corrumpuntur. Non sensus fallit, sed voluntas (157), quæ nos in judiciis ferendis præoccupat et præcipitat; ideoque etiam sensus nunquam in errorem nos induceret, si bene eligendi et judicandi potestate uteremur et, compotes animi, missaque omni præcipitatione, altero sensu ab altero et ab ipsomet approbato (158), de veris quas nobiscum habeant relationibus judicaremus; unde aurea

---

(156) De quo vid. CICERO De Legg. Lib. I. cap. 17.

(157) Lib. I. cap. 4. « On ne tombe dans l'erreur que parce que l'on ne « fait pas l'usage qu'on devrait faire de sa liberté : Que c'est faute de modé« rer l'empressement et l'ardeur de la volonté pour les seules apparences « de la vérité qu'on se trompe et que l'erreur ne consiste que dans un « consentement de la volonté qui a plus d'étendue que la perception de « l'entendement, puisqu'on ne se tromperait point, si l'on ne jugeait sim« plement que de ce que l'on voit. » Sic RENATUS CARTESIUS Meditat. IV: « Ex his autem percipio nec vim volendi, quam a Deo habeo, per se spec« tatam caussam esse errorum meorum: est enim amplissima atque in suo « genere perfecta; neque enim vim intelligendi; nam quidquid intelligo, « cum a Deo habeam ut intelligam, procul dubio recte intelligo, nec in eo « fieri potest ut fallar, unde ergo nascuntur mei errores? nempe ex eo uno « quod cum latius pateat voluntas quam intellectus, illam non intra eosdem « limites contineo, sed etiam ad illa quæ non intelligo, extendo; ad quæ « cum sit indifferens, facile a vero et a bono deflectit atque ita et fallor « et pecco. »

(158) J. J. ROUSSEAU Emile Lib. III. p. 160. HELVETIUS De l'homme et de ses facultés intellectuelles Tom. I. pag. 14.

hæc efficitur MALEBRANCHII regula (159) » *de ne juger jamais* « *par les sens de ce que les choses sont en elles-mêmes, mais* « *des rapports qu'elles ont avec notre corps.* »

Neque vero probanda est Epicureorum disciplina, quæ docet, sensibus promiscue credendum, nihilque in rebus inesse, nisi quod ab iisdem comprehendatur, ut sol eamdem magnitudinem habeat quam oculi declarant.

« Quidquid id est nihilo fertur majore figura
« Quam nostris oculis, quam cernimus, esse videtur. »
LUCR. V.

Itaque nunquam sensuum vim et naturam accusantes, ad inanes subtilitates confugiebant, adhibebantque judiciorum anfractus, causasque mendosas (160) afferebant, quo melius excellentiam et virtutes laudarent, ut illud Lucretianum (161):

« Proinde quod in quoque est his visum tempore, verum est,
« Et si non potuit ratio dissolvere causam
« Cur ea quæ fuerint juxtim quadrata, procul sint
« Visa rotunda, tamen præstat rationis egentem
« Reddere mendose causas utriusque figuræ,
« Quam manibus manifesta suis emittere quoquam
« Et violare fidem primam et convellere tota
« Fundamenta, quibus nitatur vita salusque. »

---

(159) De la recherche de la vérité Lib. I. cap. 4. R. III.

(160) Itaque Timagoras Epicureus negat sibi unquam, cum oculum torsisset, duas ex lucernâ flammulas esse visas, opinionis enim esse mendacium, non oculorum. CICERO Acad. Lib. IV. cap. 25. § 80.

(161) Ibid.

§ LVIII.

Quibus vitiis declinatis, si verum constanter intueri et errores vitare voluerimus, ad rerum cognitionem adhibebimus et sensum et rationem et intelligentiam (162). Itaque cum ARISTOCLE (163) dicamus ὀρθῶς φιλοσοφεῖν τοὺς τὰς αἰσθήσεις καὶ τὸν λόγον ἐπὶ τὴν γνῶσιν τὴν τῶν πραγμάτων παραλαμβάνοντας. Eritque vera ratio sensibus insita et capiens inde principia, ut ad verum impetum faciat. Mens enim nostra sensus secuta, per eos sese ad externa porriget; indeque ratio illa certa nascetur, non diffidens nec hæsitans in comprehensionibus, nec in sua persuasione. Quæ cum ita se disposuerit, et partibus suis consenserit, verum assequi poterit. Omnia faciet ex imperio suo nihilque inopinatum veniet, sed quidquid aget, in bonum exibit. Hinc etiam rerum cognitio efficietur, errorumque, qui in qui sensus et intellectum cadere possent, frequentior vitatio et facilior.

---

(162) Absque sensu totus orbis corporum deesset; absque ratione nullam notionem haberemus earum rerum, quæ in sensus non cadunt; absque intelligentiâ nullam discernendarum rerum facultatem nullamque de rebus certitudinem. Vid. ERHARDTI Encyclopæd. Philosopha Interprete DUMBECKIO §§. 6, 7, 18, 20 et 22.

(163) Apud EUSEBIUM Præparat. Evang. Lib. XIV. 17. p. 757. D. Add. BACO Nov. Org. XXXVII. Hanc autem visorum ad rectam rationem referendorum Stoici τὴν ἀματαιότητα, vanitatis vitationem vocant. Sic DIOGENES LAERT. Vit. Zen. Lib. VII. segm. 47. τὴν δὲ ἀματαιότητα ἕξιν, ἀναφέρουσαν τὰς φαντασίας ἐπὶ τὸν ὀρθὸν λόγον κ. τ. λ. Unde enascebatur ἐπιστήμη sive κατάληψις ἀσφαλής. PLATO De Legg. Lib. XII. p. 961. D.: ξυλλήβδην δὲ νοῦς μετὰ τῶν καλλίστων αἰσθήσεων κραθεὶς γενόμενός τε εἰς ἕν, σωτηρία ἑκάστων δικαιότατ' ἂν εἴη καλουμένη. Si igitur ad sensuum solertiam et ad mentis lumen se applicuerit et admoverit διάνοια illa, in qua inest vis ratiocinandi et ex aliis alia colligendi, ex eorum complexu ac conjunctione exsistet et exorietur illa omnium virtutum suprema, quam magnifico vocabulo σοφίαν Græci, Latini sapientiam nominarunt.

CAPUT XIII.

SAPIENTEM DUBITATIONEM REMEDIUM ESSE AD ERRORES UNDECUMQUE ORTOS EVITANDOS.

§ LIX.

SUSTINENDA omnis assensio ne præcipitet, si temere processerit mens humana, errorumque vitatio et continentia a lapsu, Stoicorum ἀπροπτωσία (164), proprie id videtur præstare, ut ne quidquam accidat improvisum. Quocirca, ut ait CICERO (165), « nihil opporteret, neque profiteri, neque affirmare quem« quam, neque assensione approbare, cohibereque semper et « ab omni lapsu continere temeritatem. » Bene igitur J. J. ROSSÆUS (166) : « le seul moyen d'éviter l'erreur est l'igno« rance. Ne jugez point, vous ne vous abuserez jamais : c'est « la leçon de la nature aussi bien que de la raison. » Angusti sunt sensus, brevia vitæ curricula, errores innumerí, dubita plerumque cum Academicis (167) et Cartesianis, non

(164) Cf. DIOG. LAERT. Lib. VII, segm. 46.
(165) Acad. Lib. III. fin. et cap. 21.
(166) Emile Lib. III. Tom. 3. p. 153. et 157.
(167) Vid. MONTANIUS Essais Lib. II. p. 363.

multum affirmans et tibi diffidens, reque accurate perpensa et libratis utrinque rationum ponderibus, hæreat tibi quasi suspensus animus.

Philosopher, c'est douter, inquit doctissime MONTANIUS (168); neque vero inconsiderantia aut levitate aliqua, sed propter validas et perpensas rationes, si quid certi velit invenire, is qui recte philosophatur, primum assensionem cohibebit. Sapientis autem hanc censet Arcesilas vim esse maximam, Zenoni assentiens, cavere ne capiatur, ne fallatur videre. Nihil est enim ab ea cogitatione, quam habemus de gravitate sapientis, errore, levitate, temeritate disjunctius. Quid igitur loquar de ejusdem firmitate, qui cum mentis humanæ limites pernoscat et admonitus in quot et quantos errores inciderint olim, et adhuc cadant homines, iique doctissimi, temere non assentietur opinionibus, placitis aut doctrinis, nisi prius rationes diligenter perponderaverit, dubitationesque suas tempore et experientia dilucidaverit.

§ LX.

Quamquam autem istius tantæ dubitationis sapientia et utilitas prima fronte non appareat, est tamen in eo maxima, quod ab omnibus præjudicatis opinionibus nos liberet, viamque ad

(168) Essais Lib. II. cap. 3 init. — Sic PLUTARCHUS Sympos. Lib. V. pag. 680. D. *ὅπου γὰρ ὁ τῆς αἰτίας ἐπιλείπει λόγος, ἐκεῖθεν ἄρχεται τὸ ἀπορεῖν, τουτέστι τὸ φιλοσοφεῖν κ. τ. λ.* Add. ARISTOTELES Metaph. Lib. III, cap. 1, ubi eos qui aliquid quærunt, neque de eo primum dubitant, viatoribus deviis, qui quonam ire oporteat ignorant, non injuriâ assimilat his ce verbis: *διὸ δεῖ τὰς δυσχερείας τε ἑωρακέναι πάσας πρότερον, τούτων δὲ χάριν καὶ διὰ τὸ τοὺς ζητοῦντας ἄνευ τοῦ διαπορῆσαι πρῶτον ὁμοίους εἶναι τοῖς ποῖ δεῖ βαδίζειν ἀγνοοῦσι.*

verum investigandum paratissimam instituat (169). Non itaque absurda aut temeraria doctrina est (170), sed doctissimorum virorum, Socratis et Aristotelis (171) et Ciceronis, Cartesii (172), Montanii (173), aliorumque præstantissimorum Philosophorum institutum, quod feliciter admodum insecuti sunt in investigando vero et pulcro.

§ LXI.

Sapiens autem *dubitatio* longe diversa est a dubitatione sceptica, quam nullum sequebatur judicium; nam qui verus est Philosophus, is non dubitat, nisi quo melius verum deinde percipiat et assequatur; sed Pyrrho omnia affirmandi ac negandi rationes inveniebat, et ubi ea, quæ in utramque partem dici possent, considerasset, continebat sese in dicendo: *res non clara est* (174). Differt etiam sapiens dubitatio à σκέψει illâ Ephecti-

(169) Vid. RENATUS CARTESIUS Meditat. pag. 2. Synops.

(170) Namque, ut placet FLOTTEO (Leçons élémentaires de Philosophie Tom. I, pag. 306) : Le doute naît de la lumière, et il aide en quelque façon à la produire à son tour..... Le doute par lequel Descartes commença pour mieux s'affermir dans les connaissances suppose dont un examen profond et désintéressé. Add. PLUTARCHUS Adv. Colot. pag. 1124. E.

(171) Qui, observante FONTESA (De Cœlo. I. 10.), quamlibet suam disputationem a dubitatione incipit. Cujus placita secutus est CARTESIUS in philosophia sua.

(172) Cf. Meditat. I. init. Item Medit. II. pag. 9 et passim.

(173) Essais Lib. II. p. 365.

(174) Indeque oriebatur celebre illud Scepticorum οὐδὲν μᾶλλον et οὐχ ὁρίζω. De quo cf. MONTANIUS, Essais Lib. II. pag. 304 et DIOG. LAERT. Lib. IX. segm. 107.

corum et Aporeticorum (175), quæ erat dubitatio sine ratione justa et idonea. Ex quibus antiquis Philosophis alii vanitate quâdam ridiculâ propulsi, suumque credulitatis vulgaris contemtum significare volentes, gloriosum sibi putarunt, si nihil quidquam certi statuerent. Alii turpe ducentes, si faterentur se in ignorantia versari, de omnibus sine delectu et inconsiderate judicarunt, Dogmatici appellati, quod omnia se nosse putarent, et de omnibus promiscue affirmarent. Neque vero probanda cum Scepticorum, tum Dogmaticorum placita, quippe quæ utraque prava sunt et perniciosa. Nam, ut cum FLOTTEO loquar : « Si douter de tout est « une absurdité, ne douter de rien n'est pas moins un travers « de l'esprit. Se refuser à toute espèce de croyance fut le dé« lire de quelques Sophistes de mauvaise foi, mais la Philo« sophie défend également d'affirmer tout ce que l'on suppose « et ne veut pas davantage que l'on donne pour vrais tous les « rèves de l'imagination de la nature (176). » In scientiis, inquit item BACO (177), utrumque extremum vitandum censeo, tam Vellei Epicuri, nil tam metuentis, quam ne dubitare de re aliqua videretur, quam Socratis (178) et Academiæ om-

(175) Quorum placita attingit SEXTUS EMPIR. Pyrrh. Hyp. Lib. I. cap. 3 Sect. 7.

(176) Leçons élementaires de Philosophie, Tom. II. pag. 304; cf. Clar. PASCAL : « La nature confond les sceptiques et la raison les dogmatiques » Add. DUMARSÆUS Préjugés Tom. II, pag. 18. De Scepticorum dubitatione vid. quæ supra disputavimus.

(177) De Augm. Scient. Lib. I, p. 22. Rawley.

(178) De Socratica dubitatione de omnibus rebus vid. CICERO Acad. I. 4. 17. Add. DAN. HUETII, Episcopi Abricensis, De imbecillitate mentis humanæ Lib. I. cap. 14. pag. 76.

nia in dubio relinquentium. Sed qui sapit, rationemque tam in judicando quam in agendo ducem sequitur, is res studiose considerat, consideratasque ita disponit et ordinat, ut suum quæque locum habeant; ut nimirum de iis, quæ dubiæ sunt et obscuræ dubitet, falsas rejiciat, perspicuas agnoscat.

§ LXII.

Ut itaque ad hanc nostram sapientem dubitationem redeamus: nihil sectari absque validis perspicuisque rationibus, sapientis est, petenti judicia de rebus obscuris et ignotis obfirmate resistere, etiam sapientis est. Oculos vero lumini occludere, quod omnium animos illuminet et quoniam aliqui fuerint Philosophi, qui sic erraverint, veritati contumaciter obsistere, insipientis est. Ut enim necesse est lancem in libra ponderibus impositis deprimi, sic animum perspicuis cedere. Qui autem bene philosophatur, is novit philosophiam moralem certis quibusdam institutis ac præceptis contineri, novit vero etiam ordinem socialem suis inniti fundamentis, religionemque certas res sacras et arcana habere a Deo ipso revelata, de quibus dubitari non licet.

§ LXIII.

Qui igitur, ut finis sit disputationis, sibi quæcumque consuluerit, quique omnia cum sedula diligentia, tum cautione, tum etiam profunda meditatione, magno studio, et examine et circumspectione rem unamquamque perponderaverit, atque ad ejus momenta, caussas, dispositionem, relationes et effectus sedulo attenderit, omnique animi affectione procul abjecta, sola duce ratione dijudicaverit, is prudentissimus et sapientissimus evadet:

Κεῖνος μὲν πανάριστος, ὃς αὐτῷ πάντα νοήσῃ!

CAPUT XIV.

ΓΝΩΘΙ ΣΑΥΤΟΝ.

§ LXIV.

Cum, absoluta hac disputatione de *Errorum Fontibus, eorumque Remediis*, plurimos etiam cum antiquorum tum recentiorum philosophorum libros evolverem, eo quidem consilio, ut placita eorum lectitans, medelam aliquam efficacem invenirem erroribus omnibus adhibendam; forte fortuna occurrit aurea illa Delphici Dei sententia: Γνῶθι σαυτόν, cujus sapientiam et præstantiam intelligens, reperto gaudebam, Heracliti instar, qui ὡς μέγα τε καὶ σεμνὸν διαπεπραγμένος, Ἐδιζησάμην, φησὶν ἐμεωυτόν. (179).

Major vero etiam me hujus dicti cepit admiratio ubi nostras delicias, Platonem pervolutans, aliquando in huncce locum incidi: τὸ δὲ γιγνώσκειν αὑτὸν ὁμολογοῦμεν σωφροσύνην εἶναι (180). Pulcre, egregie, sapienter dictum! exclamavi. Nam profecto qui se ipse norit, naturamque suam bene intellexerit, is usque prudenter aget in bonis deligendis, fugiendis contrariis, idque

(179) Plutarch. Adv. Colot. pag. 1118. C.

(180) Plato Alcib. I. 16. pag. 133. C.

quasi sepimento aliquo vallabit disserendi ratione, veri et falsi judicandi; nihil quidquam temere et leviter, omnia considerate perficiet; atque sic errores, qui in hominum genus cadunt, innumeros vitare et aliquando obtinere et adipisci sapientiam poterit: Ἡ γὰρ τεῦξις τῆς ὄντως οὔσης οὐσίας ἡμῶν, καὶ ἀ-ταύτης ἀληθὴς γνῶσις σοφίας ἦν τεῦξις (181).

ΓΝΩΘΙ ΣΑΥΤΟΝ igitur nostra sit philosophia; ut enim in cæca nocte omnis exitio error est, nisi tædæ tenebras discutiant, viamque commonstrent; sic vita caligo est, rebusque omnibus tenebræ offunduntur densissimæ, atque mens humana vanissimis curis, cæcisque cogitationibus fluctuat. Accedat igitur salutare rationis lumen, ut ignorantia et error, mentis caligo, propellantur et ad cognitionem sui quisque redeat et philosophetur.

ΓΝΩΘΙ ΣΑΥΤΟΝ. Vin' tu esse athleta? nosce corporis vires, agilitatem, firmitatem; pugnum, lumbos et nervos considera. Vin tu bonus esse cantator? Nosce suavem, canoram, graci-

(181) Porphyrius de hoc dicto: *Nosce te ipsum* ap. Stobæum Serm. XXI. pag. 183. — De hujus dicti efficacia et præstantia vid. Plutarchus Περὶ τοῦ εἰ Δελφοῖς κ. λ. pag. 385. C. D. Consolat. ad Appollonium pag. 116. C. Conviv. Sept. Sapient. pag. 164. B. et utroque hoc loco Wyttenbachius pag. 171 et 990 sqq. Xenophon Mem. Lib. IV. cap. 2. § 24 sqq. edit. Schneider. Cicero De Legg. I. 22. Ad Quint. fratrem III. 6. Plinius Hist. Nat. VII, cap. 82 ibique Harduinus. Menagius ad Diog. Laert. I. segm. 40. Tom. II. pag. 22. sq. Erasmus in Adagg. Chil. I. cent. 6. prov. 95. add. Creuzerus ad Olympiodor. pag. 201. sq. — Montanius Essais Lib. III. cap. 13. Dumbeckius Interpr. Erhardti Encyclop. § 14; ejusdem, Clio. Dialog. II cap. 2. omnino, præs. § 26. sqq., add. J. J. Rousseau Discours sur l'inégalité, Præf.

lem, liquidam vocem, aures subtiles, acutas, exploratas. Vin' tu, nauta cum sis, naufragium vitare? navem considera, utrum bona sit et solida, quæ contra tempestates pervicax, maris æstubus non frangatur, malos inspice et remos et vela et funium apparatum et carinam et puppim et anchoram... Vin' tu in hujus vitæ mari turbido illo et procellis referto, cuique tetræ insident caligines, placide et feliciter navigare? ut, duce ratione, errorem et vanitatem et ignorantiam, quæ animum perturbant obcæcantque, vites, NOSCE TEIPSUM.

ΓΝΩΘΙ ΣΑΥΤΟΝ. Quoties audimus Apollinem respondisse Crœso, beatum eum fore, si se ipsum cognosceret, quoties præceptum eadem de re templo Delphico inscriptum fuisse legimus; toties illud cogitare debemus, magnum quoddam esse cognitionem sui, cum inter omnes omnium ætatum sapientes viros convenerit, in eo positum esse fundamentum felicitatis, neque ulla re quemquam nostrum in plura aut graviora mala, quam sui ipsius ignoratione prolabi.

Tu vero, quisquis sis, lector benevole, si adhuc teipsum ignoraveris, hæc legens, mecum proferas divinum hoc dictum:

Honteux de m'ignorer,
« Dans mon être, dans moi, je cherche à pénétrer (182). »

---

(182) VOLTAIRE. Discours VI De la nature et de l'homme.

FINIS.

XI.

LUDOVICI JOSEPHI DELWARDE

DISSERTATIO HISTORICO-POLITICA

AD QUÆSTIONEM AB ORDINE PHILOSOPHORUM ET LITERATORUM PROPOSITAM.

LUDOVICI JOSEPHI DELWARDE

NINOVIA-FLANDRI

JURIS IN ACADEMIA LOVANIENSI CANDIDATI

RESPONSIO

AD QUÆSTIONEM AB ORDINE PHILOSOPHIÆ THEORETICÆ ET LITERARUM HUMANIORUM PROPOSITAM :

« *Disseratur* De Formis Rerum Publice Gerendarum. *Eruatur nimirum ex ima antiquitate* primaria regiminis origo *et* ratio, vis *et* usus; *deinde ejus per temporum decursum mutatamque civitatum indolem coorta* multiplicatio *et* abusus; *tum demonstretur* necessitas *formarum summae rerum gerendae atque* momentum *ad publicam prosperitatem* salutare. *Idcirco recenseantur et adcuratius explicentur* loci auctorum classici, *qui vel proprios hujus argumenti libros in lucem ediderunt, vel data opportunitate in eam rem delapsi sententiam dixerunt. Quum denique jam putidum sit, disceptare de* optima regiminis forma, *diligenter inquiratur in id, quod seu* fructuosum *seu* vitiosum *in omnibus et singulis inveniatur : quapropter depingatur* civitatum natura, *quibus vel haec vel alia videatur respondere : quem in finem proferatur in medium Libri III caput* 80 Historiarum Herodotearum *atque agatur judicium de eo, quod* verum, *quod* sophisma *sit in illa procerum Persarum disputatione. Haec autem omnia et quaeque genuinis et luculentis exemplis ac testimoniis ex universo historiarum orbe depromtis comprobentur* »

QUÆ PRÆMIO DIGNA HABITA EST.

Sine imperio non domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura omnis, nec ipse mundus durare potest. CICERO.

PROOEMIUM.

§ I.

De variis rei publice gerendæ formis acturi, quæ res, ut est per se difficillima, juvenumque vires longe superans, summam cautionem expostulat; necesse esse credimus, Ordini amplissimo Philosophorum et Literatorum, cui de conatibus nostris judicium faciendum est — quod pro egregia illa illius Ordinis in discipulos benevolentia non nimis severum fore speramus — exhibere consilium et rationem, quam in tota re exponenda secuti simus; ut ex eodem statu, ex quo nosmetipsi rem aggressi sumus, vel æqui nostri qualiscunque operis judices æstimare possint.

§ II.

In hac tamen re, licet summa nobis quæstionis tractandæ libertas concessa sit, viam plane munitam et quasi explanatam videmus, tum lege regia (1), tum vero etiam omnino præ-

---

(1) Reglement op de inrigting van het Hooger Onderwijs in de zuidelijke provincien van het koningrijk der Nederlanden, art. 145.

ceptis doctissimi magistri, cui ea Historiarum et Antiquitatum explicandarum pars demandata est : de quibus rebus ad nostram disquisitionem multum facientibus, verbulum addere non superfluum fore putavimus.

Lex illa regia neutiquam jubet disquisitiones novas atque subtiles, sed eas, in quibus elaborandis præprimis assiduitas atque diligentia discipulorum in frequentandis lectionibus collocata, sit perspicua. Quum itaque et hæc et reliquæ Historiarum quæstiones quotannis ab amplissimo doctore summa cura exponuntur, fontes indicantur, tum veterum, tum recentiorum scriptorum commenta in medium proferuntur, inque eorum fidem, doctrinam, rationem critica acrimonia inquiritur; sententiæ sibi oppositæ in probationem vocantur, res novæ cum antiquis atque vetustis comparantur, loci auctorum classicorum adcuratius ponderantur; populi cum populis, tempora cum temporibus ac præsertim ætatum hominumque ingenia, vicissitudines, vitia in leges commissa inter se conferuntur, ideoque *historice* exponuntur; quum hisce omnibus rebus philosopha tractatio quasi fundamentum substruitur, quæ iterum sedulo et constanter ad historicam fidem exigitur : unusquisque facile intelligit, illum esse fontem, ex quo hausta a nobis hæc sint omnia; quod itaque ingenue fatemur. Altera ex parte vel nobis, discipulis, magnus virium exercitandarum campus patet sive in eruendis, explicandis, ampliandis, sive etiam in ordinandis et judicandis variis variorum sententiis, quæ nobis propria provincia est, et quam ut recte administraverimus, summopere desideramus; in hac enim re totum nobis laudis et præmii jus positum est.

§ III.

Hoc jure ita usi sumus, ut vel in eo omnino et sigillatim sententiam, ne dicamus, jussus æstimatissimi doctoris sexcenties e cathedra auditos, penitus sequeremur : « Juvenes nimirum summam decere in rebus et præsertim hominibus, iisque scriptoribus, judicandis modestiam; exempla magis petenda esse ex *antiquioribus* historiis, quæ fulcimentum et robur e recentioribus, obtineant; res plane recentes ex serie probationum eapropter excludi debere, quoniam sive nondum cum veritate exposita esse possint, sive quoniam nefas sit, fieri judicium de iis rebus et viris, in quibus nosmetipsi impliciti simus et quibuscum eandem ætatem agamus : omnino vero imperia et constitutiones, quæ nunc existant, ex orbe rerum, a ratione scientiæ exponendarum, esse reponendas, quoniam judicium æquum et ex omni parte congruum fieri solummodo de iis civitatibus possit, quæ clauso existentiæ suæ orbe, sive confectæ, sive terminatæ quodammodo fuerint. »

Si quid itaque in his rebus a nobis fuerit peccatum, quod nos certe nescimus, hoc in bonam partem benevolentia vestra usurpaverit.

§ IV.

Loquamur nunc de ipso quæstionis argumento uberius. Eo enim male intellecto, mala erit tota expositio reliqua; atque ex hoc ipso paragrapho judicabitis, utrum labor hic qualiscunque noster dignus sit, qui a vobis legatur.

Voluistis autem, ut *disseratur* de *formis* rerum *publice gerendarum :* quæ mihi tot esse postulata, quam verba videntur.

Itaque *disserendum* est et *disputandum in utramque* de constitutionibus, non vero *enarrandae* illæ sunt, neque *recensendae* ex sententia unius alteriusve scriptoris, sed audiendæ omnium et in probationem vocandæ.

Deinde de *formis* disserendum est : igitur de civitatibus rite *constitutis;* omnino de *civitatibus,* non de gentibus et stemmatibus hominum, sine forma et modo certo vagantibus. Quam vero rem nos ita intelleximus ut eas quæ citra justam formam extiterunt, ab eis distingueremus adcurate, quæ formam aliquam habuere, hasque iterum inter se juxta gradum et modum quo utebantur. Videbamus enim, erratum esse in his rebus a nonnullis scriptoribus.

Tum etiam vocem prægnantissimam « *rem gerere* » sedulo ponderavimus atque eam cum vocabulo « *publice* » conjunctam ita sumsimus, ut significaret *administrationem* constitutæ certis formis civitatis, simulque *custodiam* illius formæ, sive per *magistratus* sive per *intermedias quasdam potestates* efficiendam.

Recte me sensisse ex sequentibus verbis sequi videtur : « eruatur nimirum ex *ima antiquitate primaria* regiminis *origo* et *ratio*, *vis* et *usus;* deinde ejus per *temporum decursum mutatamque* civitatum *indolem* coorta *multiplicatio* et *abusus;* tum demonstretur *necessitas* formarum summæ rerum gerendæ atque *momentum* ad publicam *prosperitatem salutare.* »

Profecto, sicuti sine homine non cœtus hominum, ita sine

necessitate non formæ omnino, et sine formis non variæ formæ oriuntur. Sunt autem nonnulli qui hanc necessitatem e triviis haustam, homines practici, constituunt et qui, quæ nunc sunt, ea etiam eodem modo eademque necessitate ab initio fuisse credunt: sunt alii qui *facta* omnia, *ortum* vero nihil opinantur: sunt denique, qui hominem institutaque omnia et vero etiam civitates totas constitutas cœlitus delapsas commodius, quam verius, putant atque inertes ipsimet, omnia a supremo numine confecta in usum hominum et absque hominum cura et labore sibi persuadent. Propterea nos illam necessitatem ex altiori principio petendam censuimus, quod liberam generis humani facultatem non excludit: sed eandem ob causam *origo* regiminis *nascens* et certa quædam *ratio*, apud varios *varia*, certaque *vis*, apud alios major, minor in reliquis, atque hæc iterum *usu* et *consuetudine*, non dominatu quodam seu jussu divino coacta, quærebatur. Quoniam igitur, ut nunc consequens est, quæ *nascuntur*, ea etiam augentur, mutantur, emendantur, variamque pro temporis et hominum — et vero etiam cœli terræque natura — formam induunt; ideoque quæ ante simplicia et uniformia fuere, mox multiplicari, et quæ bona, iis abuti homines possunt; — in quibus iterum rebus sive salus esse, sive detrimentum potest; — hæc omnia *per temporis decursum* i. e. *historice*, sive ad hominum cultum liberamque voluntatem, exponi et possunt et debent. Quoniam denique hæ formæ vicissitudinibus obnoxiæ sunt; *momentanea* sunt, i. e. momentum s. vim suam certo tempore exercent, quod *hoc solum tempore* salutiferum esse potest, alio non potest: unde ex hac tantum norma temporis judicari rite queunt.

§ V.

Quæ autem tempore fiunt et in certo loco, hæc non ab uno cognoscuntur, nec ab omnibus eodem modo; ideoque ab iis solum, qui illis temporibus et in illis locis vixerunt, ergo a scriptoribus. Quæ cum ita sint, non certe ostentandæ eruditionis gratia factum est, ut *loci auctorum classici* illustrandi postularentur; neque temere factum esse sentio, ut illi « qui *proprios hujus argumenti libros in lucem ediderunt* » distinguerentur ab illis qui « *data opportunitate in eam rem delapsi, sententiam dixerunt.* » Nam qui civitatum formas omnino sibi describendas sumunt, ii in genere de omnibus promiscue judicant, neque satis rem a re distinguunt. Atque sic summus ille MONTESQUIVIUS ab hac rerum confusione non plane immunis esse potuit (2). Alii sibi perfectum quoddam exemplar ipsi constituunt, quod licet rei summam quandam ideam præbere non nequeat, tamen in hoc rerum orbe nunquam extitit. Sic divinus ille PLATO idealem Rempublicam suam composuit, verus poëta altioris generis, qui toto cœlo discrepat a Stagirita ARISTOTELE, philosophorum maximo et maxime jejuno. Hinc ille imitatores nactus est plures, hunc nemo unquam penitus exprimere poterit (3).

---

(2) Esprit des lois, par MONTESQUIEU. Paris 1749. VI Voll. opus laudibus nostris longe superius.

(3) Ne doctissimus quidem ille AN. YV. GOGUET, De l'origine des lois, ect. nouv. édit. Paris 1778. VI Voll. 12.

Alii etiam, qui certum sibi populum describendum eligunt, sæpe cum suis temporibus ætates præteritas misere confundunt ac lectores in errorem ducunt; ut DIONYSIUS ille sagax HALICARNASSEUS in Historia et Antiquitatibus Romanis, homo *Graecus* ac ideo omnia ad Græca exempla conformans, nihil vero minus, quam Romanam imaginem atque ingenium exhibens. Alii idealia Platonica non omnino atque philosophandi gratia, sed respectu suorum temporum sistunt, ut eximius suæ ætatis et populi vir, THOMAS MORUS, et philosophiæ et rerum civilium peritissimus (4). Ii itaque homines exhibent et civitates condunt, quales esse deberent (quæ iterum res non ab omni dubio libera est), non quales *sint* ac *fuerint*. Alii civitatis suæ conversionibus et tumultibus incitati de constitutionibus scribunt: qui ab rege despota premuntur, Democratiam; qui a fæce populi pendent, Aristocratiam, qui a Proceribus agitantur, Monarchiam laudant. Huc pertinent tempore conversionis Anglicæ FILMERUS (5) et ipso longe melior, HOBBESIUS (6) atque

(4) De optimo reipublicæ statu, deque insula Utopia. Basil. 1518. 4.

(5) Political Discourses of R. FILMER. Lond. 1680. Ejusdem generis est (SALMASII) Defensio regia pro Carolo I ad Carolum II. 1649; contra quam doctissime egit MILTONUS in Defensione pro populo Anglicano contra Cl. anonymum, vulgo Salmasium, et in Defensione II contra Th. Morum Ecclesiasten (in Opp. Lat. Jo. MILTONI. Amstel. 1698): Gallice in: (Théorie de la royauté d'après la doctrine de MILTON par le Comte de Mirabeau?) Paris 1789.

(6) TH. HOBBES Leviathan s. de materia, forma et potestate civitatis. Lond. 1651.

libertatis popularis egregius defensor ille laudatissimus, ALGERNOON SIDNEY (7) totaque nubes Gallicorum scriptorum nuperrimorum (ROUSSAVIUS, HELVETIUS, VOLTAIRIUS, aliique complures). Hi itaque non sine studio et amore scribunt, sed satyrarum magis, quam sapientiæ civilis scriptorum provinciam, male feriati, usurpant. Qui vero opportunitate data atque non de instituto sententiam dicunt, ii loquuntur de eo tantum tempore, quod tractant, de eo solum instituto, de quo cummaxime agunt; ideoque non possunt, neque volunt exhibere totam rei faciem; quæ itaque non ex fortuitis eorum sententiis extorquenda est. In eorum numero ex antiquis est POLYBIUS ille Megalopolitanus, LIVIUS non semper, TACITUS instar multorum; unde illi scriptores sæpe sibi parum constant et adcuratius a semet, quam ipsi ab aliis distingui debent. Omnino tenendum circa antiquos est, eos totos infuisse in tempore et in rebus suis — populares scriptores; dum hodierni quasi extra certum populum stantes, totos judicant — cosmopolitæ.

§ VI.

Hac occasione vel aliud magistri nostri monitum in memoriam redit :

« Tempora, de quibus scriptores loquantur et tempus, quo scribant de ætatibus aliis; deinde ipsas nationes esse distinguendas, ad quas illi auctores pertineant, præsertim autem

(7) Discourses on governement by ALG. SIDNEY. Lond. 1698.

omnia ex tempestatibus et rebus, ex statu et nexu populorum invicem et partium civilium, quibuscum conspirare seu volens seu inconsulto scriptor videatur, esse percensenda; jurandum autem non esse, nec in verba scriptorum, neque magistri; potius soli rerum impulsui obtemperari debere (8). »

Quod præceptum in nullo alio negotio utilius esse potest, quam in eo, quod nos tractare conamur. Hosce itaque auctores ex hoc sensu secuti sumus, eosque suo quemvis loco laudavimus. Hæc vero non levissima pars fuit operæ nostræ. Literarum enim Græcarum atque sermonis fere ignari, quæ huc faciunt, ex versionibus nos haurire satis commode et sine dispendio temporis posse confidimus — atque de vera verborum et sententiarum significatione parum certiores, plus semel dubii hærebamus : unde mox ab illo errore liberi, has versiones abjecimus, exempla Græca adivimus, ideoque melius nunc nobis consuluimus. Atque hoc loco non possumus non gratias agere maximas professori alteri eique doctissimo æstimatissimoque, qui eas literas cum Latinis docendas in provincia et summa cura habet. Libenter enim, quam injuriam Græcis literis ab initio fecimus, eam, ut reparemus, coram magistro tam dilecto et diligente deprecamur.

Ex his autem omnibus rebus reliqua pars quæstionis sine omni controversia sequitur suapte sponte; de qua itaque inferius tractabimus. In formis ipsis elaborandis non longiores fuimus; tum quia de iis a compluribus satis superque disceptatum

(8) Cf. ejusdem V. C. *Clio*, Dialog. III. c. VIII et IX.

est, tum quoniam primaria quæstionis pars in ipsa rei præparatione, atque eruenda formarum origine, variaque earum per tempus et spatium effecta natura nobis posita esse videbatur, circa quam non ita adcurate plurimos esse versatos comperimus.

Hæc a nobis in genere disputata sunt, tum ut probaremus, quatenus quæstionis sensum intellexerimus, tum vero etiam, ut totam quæstionem præpararemus et ædificii velut delineationem scriberemus. Non enim singula quæstionis momenta singulis quoque capitibus tractabimus; sed quæque suo loco inseremus, in auxilium vocatis auctoribus classicis, teste vero adhibita historia ipsamet, quæ ratiocinia nostra necessarie et quasi insciis nobis provocabit.

§ VII.

Juxta ea, quæ dicta sunt, in disquisitione nostra præprimis *antiquas* civitates sequemur:

I. Quoniam eæ fundamentum sunt recentiorum.

II. Quoniam optimis argumentis historicis cognoscuntur atque verissimis.

III. Quoniam in iis explicandis neminem obfendimus, neque quisquam nos de arrogantia criminari potest.

IV. Quoniam nec homo qualiscumque, nec totus etiam populus, neque ulla civitas rite æstimari potest, ante quam esse desiit. Tum enim solum cognosci potest, utrum illæ formæ

ipsæ ipsi interitum adtulerint, an ruinam præparaverint, an acceleraverint, an vero etiam ad tempus impediverint; utrum denique omnino per eas formas sive felix, seu infelix fuerit civitas.

V. Quoniam in formis antiquæ ætatis major conspicitur varietas atque perfectio. Longe tamen absumus, ut eapropter antiquam ætatem hodiernâ præstantiorem credamus, ut potius eam non tantæ perfectioni aptam censeamus, quanta hodiernâ ætas, auxilio ipsius gaudet. Mundus enim antiquus factus est is, qui fieri potuit : recens, si vel e sua parte perfectionem quandam obtinuit, quam pro re nata obtinere potuit, ea re non præstantior est illo (9).

§ VIII.

De hac vero differentia, quum plurimum facit ad totum argumentum nostrum egregie præparandum, cum diligentissimo scriptore viroque ingeniosissimo pauca moneamus oportet (10). « Historia recentior nullos fere cultos populos novit alios quam *Europaeos*, eorumque coloniarum, atque eapropter sibi est in omnibus partibus simillima, ne dicamus eadem : antiqua

---

(9) Vide præceptoris nostri supra laudati, F. J. DUMBECKII Dialogos, qui Κλειώ inscribuntur, Dial. I. Cap. VIII « Quodnam historiæ genus altero præstantius, recentioris, an veteris ævi ? »

(10) HEERENIO Ideen ueber d. Polit. den Verkehr und den Handel der vornehmsten Vœlker d. alten Welt. Th. I. Abth. I. Einl.

præter Europam habuit vel Asiam et Africam inque iis nationes illo tempore longe validiores, fortiores, meliores, quam hodie. Inde hodie sic satis unam videmus nationem immensam, licet per multos sibique diversos populos divisam : hi enim systemate trutinæ Europææ politicæ arctissime inter se cohærent. Hoc autem vinculum politicum vetus ætas non vidit; cujus populi in *omnibus* mundi partibus distributi extiterunt, ac non religionibus modo, sed moribus etiam, consuetudinibus, legibus, formisque imperii quammaxime inter sese differebant. Unusquisque populus sibi extitit, non propter alios; unusquisque quasi solus et solitarius, veram *popularitatem* suam tuebatur optimo et prægnantissimo vocabuli sensu. Hanc popularitatem, immunem ab omni admistione elementorum aliorum, quivis ad summam perfectionem excoluit, totamque vitam vitæque fructum carpsit; unde historia vetus magistra facta est civilis prudentiæ recentioris. »

Igitur duce hac vetusta matre ad usque originem fere rerum et populorum adscendemus; atque ubi historica notitia nos deseret, ibi, quoniam omnis administratio civilis et omnis forma civitatum a rebus et temporibus et ab hominis spiritu ipsomet, totaque ejus natura sanctiori et reconditiori pendet, ibi ratiociniis verissimis reliqua consequemur.

§ IX.

Ratione operis in universum exposita, subjungamus nunc delineationem ejus per partes majores minoresque, per libros, capita, paragraphos; quo facilius interior rei distributio intelligi possit.

LIBER PRIMUS.

DE NECESSITATE IMPERII; DE ORIGINE ET PRIMA FORMA RERUM GERENDARUM.

CAPUT PRIMUM.

DE NECESSITATE IMPERII.

§ I. Quomodo hæc necessitas accipienda sit, quam
§ II. Alii ex natura physica,
§ III. Alii ex historia,
§ IV. Alii ex absoluto nexu ducunt, quo homines inter se vi rationis continentur.
§ V. Quatenus hæc sententia ultima vera sit.
§ VI. Totum genus humanum ex singulis modo hominibus intelligi posse,
§ VII. Ex qua intelligentia hominum, necessitas legum ortarum, ideoque imperii eruatur,

CAPUT SECUNDUM.

DE ORIGINE REGIMINIS.

IN HOC CAPITE DEMONSTRATUR :

§ VIII. Homines singulos, illo sensu, antiquitus non exstitisse, sed hominum *Cœtus;*
§ IX. Unde despotismus patriarchalis et sacerdotium Patrum familias simul ortum sit :
§ X. Hæc igitur *initia* fuisse omnis formæ imperii.

CAPUT TERTIUM.

DE FORMA PRIMA SUMMÆ REI GERUNDÆ.

§ XI. XII. Ejusmodi cœtus seu familias quasi individuas haberi debere, continuo sibi invicem hostiles;

§ XIII. Inde ex bellis dominatum et servitutem exstitisse, unde *Despotismus* oriretur, *quasi* prima forma regiminis.

LIBER SECUNDUS.

DE CAUSIS ET PRINCIPIIS VARIARUM SUMMAE REI GERUNDAE FORMARUM.

INTRODUCTIO.

§ I. Hominem, licet aliâs ratione sibi simillimum, tamen natura extera et aliis causis sibi dissimilem fieri;

§ II. Hujus diversitatis causas principes esse spatium et tempus.

CAPUT PRIMUM.

DIVERSA VIVENDI RATIO HOMINUM EX DIVERSITATE NATURÆ DUCTA, CUI OBNOXIA EST.

§ III. Terra recens creata hominibus ultro obtulit omnia; sine agricultura, sine certa possessione, sine lite primi homines vixere in prima patria.

§ IV. Mox terræ aliæ apertæ et repertæ, quas colere homo asperas et rudes debuit, in singulas partes divisas; unde jura et possessio orta cum variis vitæ institutis.

§ V. Terras diversas multum natura sua inter se differre.

§ VI. Ex qua diversitate vel animi et corporis natura et indoles varia nascatur, qua varietate duplici Europa magis, quam reliquæ terræ, abundet.

CAPUT SECUNDUM.

DIVERSA VIVENDI RATIO HOMINUM EX DIVERSITATE TEMPORIS PETENDA, QUO VIXERUNT.

CAPUT TERTIUM.

DE IIS QUÆ OMNINO NECESSARIA SUNT AD JUSTAM FORMAM CIVILEM CONSTITUENDAM, ALIISQUE EJUS GENERIS REBUS.

§ XXI. Exemplum hujus assertionis ex recentiore historia depromitur.

§ XXII. Inest tamen jam in triplicibus illis formis semen trium elementorum, quæ totidem formas mox constituere possunt.

§ XXIII. Consociatio horum elementorum et eorum unio absoluta cultum humanum et civilium formarum perfectionem efficit.

§ XXIV. Vincenda vero primum impedimenta multa sunt — varia stemmata communem patriam relinquunt, emigrant.

§ XXV. Ratio vitæ eorum delineatur.

§ XXVI. Agrorum cultus oritur; homines nomades ad vitam stabilem se conformant.

§ XXVII. Hoc modo *urbes* oriuntur duplicis generis : *ex castris nomadum* et *ex coloniis consulto eductis.*

§ XXVIII. Ex agricultura et urbibus novæ vitæ rationes, quæ exponuntur et

§ XXIX. continuantur.

§ XXX. Urbes illæ, ex coloniis ortæ, *civitates* evadunt et quidem illius generis, quod *liberum* vocamus. Interior harum rerumpublicarum institutio paucis delineatur.

§ XXXI. Refutatur sententia eorum qui — primum — apud omnes gentes *regnatum* fuisse censent, omnino.

§ XXXII. Hæc omnia in singulis populis adcuratius indicantur.

§ XXXIII. *Conciones* fuisse sive conventus totius populi apud illas, argumentis asseritur :

§ XXXIV. Has tamen elemento aristocratico fuisse moderatas;

§ XXXV. Habuisse illas civitates *magistratus* et summum quendam *Rectorem* eorum, certis tamen legibus circumscriptum :

§ XXXVI. Hæc non apud Græcos solum, sed etiam apud alios populos obtinuisse, eos etiam, de quibus minime videretur, exemplis confirmatur.

§ XXXVII. Has civitates, licet exiguas, tamen ad summam potentiam et extensionem pervenisse, quin aliquid in primaria forma rerum mutatum fuerit, argumentis historicis efficitur.

§ XXXVIII. Præter exiguas et liberas illas respublicas etiam *Imperia magna*, alio modo et aliis causis, orta sunt.

§ XXXIX. Ratio eorum interior exponitur.

§ XL - XLII. Libri III caput 80 *Herodoti* explicatur, atque demonstratur, Persarum Proceres ejusmodi de republica constituenda sermones habere potuisse, quos ab ipsis habitos *Herodotus* perhibet.

§ XLII. Etiam in oriente respublicas liberas extitisse, demonstratur.

§ XLIII - XLV. *Despotismus*, orienti proprius, protypus formæ alterius, delineatur.

§ XLIV. *Polygamia*, Despotismi fons uberrimus, causa corruptionis vitæ privatæ et interitûs regnorum, adcuratius exponitur.

§ XLV. Causæ proximæ interitus imperiorum orientalium.

§ XLVI. Despotæ quoque summis quibusdam legibus tenentur, quibus plus minus obediunt.

§ XLVII. Lex omnium validissima *Religio*.

LIBER TERTIUS.

DE FORMIS IPSISMET RERUM PUBLICARUM VARIIS.

INTRODUCTIO.

§ I. Distinctio formarum in *Monarchiam* et *Polyarchiam* veritate caret.

§ II. Verum illarum discrimen est in majori minorique libertate civium, quam exprimunt.

§ III. Causæ exponuntur, cur nos tamen eandem quodammodo formarum divisionem receperimus.

CAPUT PRIMUM.

DE PRINCIPATU UNIUS.

§ IV. De *Despotismo orientali*.

§ V. De *Theocratia*.

CAPUT SECUNDUM.

DE PRINCIPATU MULTORUM.

CAPUT TERTIUM.

DE ALIIS REBUS HUC PERTINENTIBUS.

DE FORMIS RERUM PUBLICARUM

LIBRI TRES.

LIBER PRIMUS.

DE NECESSITATE IMPERII, DE ORIGINE ET PRIMA FORMA RERUM GERENDARUM.

CAPUT PRIMUM.

DE NECESSITATE IMPERII.

§ I.

Si quis inquirere in originem et primam formam naturamque imperii audet, is necessario incidit in alteram quæstionem, quæ est de *Necessitate* Imperii; de qua itaque vel nos paullo uberius disputabimus, quoniam hac ipsa necessitate, quæ fuerit conjunctio hominum, quæ naturalis societas inter ipsos, optime docemur. Necessarium esse imperium facile omnes dixe-

rint; atque eam rem ita urget CICERO (1) in eo loco, quem nobis pro symbolo sumsimus, ut sine imperio non domum ullam, nec civitatem, nec gentem, nec hominum universum genus stare, nec rerum naturam omnem, nec ipsum mundum durare posse autumet. Hæc non male quidem. Quoniam vero alii existunt, qui eam necessitatem ita negant, ut potius *sine* ullo imperio formaque justa genus humanum felix fore contendant (2); ex ipso CICERONE quærendum est, unde ea sint vera, quæ protulit. Ipse enim (3) *natura* duce congregatos esse homines dicit ea propter, quoniam nemo in solitudine vitam agere velit, ne cum infinita quidem voluptatum abundantia (4); quoniam nemo absque auxilio aliorum et vivere et ad humanitatem informari possit; quoniam denique ne illi quidem, qui maleficio et scelere pascantur, sine ulla particula justitiæ,

---

(1) De Legg. III. 1.

(2) Quoniam fere incredibile est, hæc et ejusmodi sentiri a quoquam posse, juvat nominare scriptorem, qui claris verbis ea pronunciavit, A. AB HALLER, Helvetium, in opere, quod inscribitur : Restauration der Staatswissenschaften (cujus Vol. IV prodiit Winterthurii 1822), quocum conjungendus est alius ejusdem frugis libellus *De nova constitutione Hispaniæ* agens — in quibus inter alia plura hæc quoque leguntur : « Libertatem esse semen et fructum mali — constitutiones et legitimas civitatum institutiones esse formas stolidas et abjiciendas — promissiones et juramenta principum hos non tenere — populos cæca fide meram dominis obedientiam debere — principes cum absoluta potestate veros principes esse solos — Francos esse nebulones — Germanos, nimis liberos, melius tractari, quam fas sit. »

(3) De Offic. II. 21.

(4) De Finib. Bon. et Malor. III. 20; coll. De Offic. I. 4 et 44.

id est, sine ullo ordine certo et legibus scripto, vivere queant. In qua re consentit cum PLATONE (5); consentit iterum cum utroque SENECA (6) et antiquorum et recentiorum plurimi, quos laudare omnes longius foret. Hæc vero, quanquam falsa non sint, nihil probant gubernii necessitatem, ab origine hominum repetundam — is enim solitudinis horror a *cultis* modo hominibus, et ad societatem jam adsuetis sentitur; neque vero ab aliis, qui ne sensum quidem *incognitorum* commodorum habere possunt; neque etiam salutem hominum necessario efficiunt, quoniam probi æque ac improbi ejusmodi societatis legibus se adstringere non nequeunt, utrique boni malique consilia æque consecuturi (7). Omnis insuper disputatio hæc inutilis erit, si quis CICERONI et reliquis concesserit, de existentia societatis humanæ dubitare neminem velle, neminem posse; immo homines nunquam extra societatem exstitisse, ut ipsi infra probabimus (8). Confundunt illi *societatem* cum *civitate*, quæ tamen toto cœlo a se discrepant. Hæc enim argumenta e suprema vita hausta sunt, et aliam quandam, eamque altius repetendam, in sanctiori et reconditiori natura hominis ipsius fundatam, nullique dubio subjectam necessitatem primam expostulant.

---

(5) De Legg. I. p. 331,

(6) De Nat. II. 31.

(7) Ut POLYBIUS exemplo probat, Historiar. IV. 29.

(8) Nobiscum facit et auctor operis, quod inscribitur : Politique naturelle, ou discours sur les vrais principes du gouvernement (par un ancien magistrat). Londres 1773. II. 8. Vid. Discours 1r § 2.

§ II.

Argumenta rei et illustrationes petunt alii ex ipsa natura physica, ex summo rerum naturalium concentu et concordia, ex perfecta motuum cœlestium siderumque harmonia, atque inde, quasi a fortiori, ad necessitudinem hominum inter se, ad societatis et civitatis ordinationem concludunt. Veremur vero, ne his philosophis humani aliquid acciderit, oblitis nimirum, naturam fere nunquam, rarissime profecto, extra ordinem semel præscriptum aberrasse atque quoniam æterna lege, sive interiori quadam necessitate compellitur ad cursus eosdem, quos primum est ingressa, constanter tenendos, et absque libertate fertur, exemplum potius esse posse hominibus, quam homines naturæ. In ea enim ipsa agendi libertate inest maxima humani generis dignitas atque præ ceteris omnibus rebus præstantia.

§ III.

Alii historicis exemplis undique collectis probant, societatem humanam omnino et civitates diversas sigillatim stare non potuisse, simulac spretis legibus atque relicto ordine, omnia ex arbitrio, nihil ad normas regulasque præscriptas agere cœpissent. Laudant hi præter innumera exempla alia narrationem *Herodoteam* (9) de Medis, qui postquam sese dominatione Assyriorum liberassent, aliquantum temporis nullam guber-

---

(9) Herdotus Hist. I. 97.

nationem habuissent; quare jure et judiciorum metu sublato, tumultu omnia mixta fuissent, donec DEJOCES, rex creatus, ordine restituto, discordias terminasset. In suum usum iidem totam conversionem Romanam et Gallicam convertunt atque, ut nobis videtur, omnes omnium populorum vel reliquorum historias adducere facile et sine injuria possunt. Sed hæc omnia, nobis quidem, posterioris curæ esse videntur, bona utique exempla, neque vero primæ necessitatis solida argumenta. DEJOCIS illius exemplum vix aliquid hûc facit — tumultuans enim populus ante possessam, nunc amissam, *recuperandam* desideravit *civitatem* — reliqua etiam omnia ducta sunt ex civitatibus *antea constitutis*, quarum legibus jam pridem *adsuefacti* populi fuerant, quas vero postea, quasi intimæ vitæ partes, reliquerant, ideoque alteram naturam suam abjecerant; quod nunquam quisquam impune facere potest.

§ IV.

Superest aliorum argumentum his omnibus multo prægnantius et quod non facile aliquis improbabit. Nihil enim, aiunt, in universa rerum catena, in omni orbe entium, solitarium esse, nihil ab altero separatum, sed res omnes et omnes homines singulos multiplicibus vinculis inter se contineri (10). Omnia

---

(10) CICERO Fragm. Phil. T. XII. p. 285 Bip. F. J. DUMBECK Prol. primæ Lectt. Seriei, præfixa, in Annal. Acad. Lov. T. I. p. 49 sqq. coll. S. ERHARDTI Encycl. phil. interprete DUMBECKIO (Lovan. 1822); ubi tota Pars altera (p. 25, ab inde § 77) legi meretur: cfr. ejusdem DUMBECKII Clio s. De Historia cet. Dialogi III (Bruxell. 1819) præs. Dial. I. c. 4. De Fato, et c. 6, De Providentia divina; ubi loci complures huc facientes prostant.

et omnes ita referri ad causam primam suam, ut sine ea ne momentum quidem temporis stare possint. Hominum esse, rationes rerum, quæ non illorum, sed totius naturæ opus sunt, investigare; atque quæ inde efficiantur, ea hominibus *Legem* haberi debere. Ejus solum cognitione, quid salutare nobis sit, ut obtineamus, efficere nos posse: facultate hujus legis cognoscendæ hominem brutis præstare, hoc solum titulo ipsum totam naturam dominari, intelligentiâ eam sibi subjicere (11). CICERO, ut facere assolet PLATONIS discipulus, de his rebus subtilissime disputans (12), hanc facultatem vocat *Rationem*, quæ *cum adoleverit atque perfecta sit*, nominetur rite Sapientia. *Ratione* nihil esse divinius; esse primam homini cum deo rationis societatem: inter quos autem ratio communis, inter eosdem etiam rectam rationem communem esse; quæ cum sit *Lex*, lege quoque consociatos homines cum diis putandos esse. Inde pedetentim adscendens conclusiones hasce efficit: Homines Deorum agnatione et gente teneri; igitur agnoscere eos Deum, eandem virtutem in homine ac deo esse, unde homini cum Deo sit similitudo. Ergo hominem ad justitiam esse natum. Porro: Nihil esse unum uni tam simile, tam par, quam omnes inter semetipsos sint homines: nullam igitur esse dissimilitudinem *in genere*. Quid vero? oportet profecto, omni vi CICERONEM nostrum retineamus, qui jam omnes terminos supersilire minatur. Facile enim ex ejus præmissis vel hæc effici possint: Omnes homines eadem ratione similes sunt; omnes, quid justum sit, intelligunt; omnes, quid unicuique faciendum, sciunt.

---

(11) JOH. v. MUELER XXIV BB. allgem. Gesch. T. I. Einl. p. 10 sq.

(12) De Legg. I. 7 sqq.

Qui vero scit, ille recte scit; qui recte scit, recte agit; ideoque nemo injuste agere potest. Quæ si vera sint, causa nulla est, quæ ipsos impediat, quominus in unam societatem coëant omnes; causa nulla, qua continuo inter se conjuncti persistant. Si causa nulla est separationis, existit causa sola contraria, nempe unionis. Ideoque omnes et singuli homines, ab initio et semper, societate erant conjuncti, neque *potuerunt* sibi esse alieni; sed singuli fecere, quod singulis et universis placuit. Ad quid vero nunc imperium? Vix videmus.

§ V.

Hoc tamen videmus, æstuare CICERONEM propter consequentias suas. Sic enim in eadem disputatione pergit (13): Non solum in rectis, sed etiam in pravitatibus, insignis est humani generis similitudo. Quid itaque? Si homines sibi in omnibus rebus similes sunt, atque homines iterum similes Diis; quomodo generis pravitatem hancce cum perfectione divina reddet congruam, nisi Summum Bonum, Numen, non simul etiam Summum Malum voluerit? Videt itaque vel ipse noster, nondum *adultam esse et perfectam* hominis rationem, nondum esse *Sapientiam.* Atque universa historia, atque disquisitio paullo adcuratior hominis singuli plus satis probat, eam sapientiam nec unquam fuisse, nec esse futuram. Atque his ita se habentibus bonum erit, ambabus amplecti sapientissimam illam sententiam *Senecae* (14), qui de Deo « *Semel jussit*, ait, *semper*

---

(13) Loco supra laud. c. 11.

(14) *De Providentia*, statim ab initio.

paret. » (15) In universo genere humano, in hac absoluta totalitate inest illa sapientia; hoc universum Deo est simile et exprimit divinam naturam quasi in exemplo : illud vero universum nunquam erat, neque est, neque futurum est *unâ* et *simul*, sed manifestat sese, successu temporum et in spatio diverso : omne tempus præteritum, præsens ac futurum simul sumtum illam ætatem explet, et terræ omnes, quæ sunt, fuere et futuræ sunt, illud spatium conficiunt. Singulus vero homo non is est qui hanc sapientiam attinere possit, atque quidquid obtinere forte potest, hoc obtinet tempore, exercitatione multa, studio indefesso præteritarum rerum et hominum simul et æqualium (16). Ab initio nil possedit præter ingeneratam illam facultatem rationis; quâ ex *Ratione summa*, quam idem CICERO prædicat, atque ex illa *Lege prima* singularum actionum, necessitate coactus, *rationes singulas* sive *regulas* et *leges* carpere pro loco et tempore potuit. Antequam vero hæc qualiacunque consecutus est, innumeris cruciatibus et adfecit alios et adfectus est ab aliis ipse. Hæ leges, quas jussit interior quædam quovis momento necessitas, in consuetudinem et mores abierunt, et hi mores, quibus cum libertate usus est,

(15) Hac sententia vel illi se continebunt, qui civitatem sine medio ex ipso Deo profectam dicunt, præsertim auctor Gallicus in opere, quod inscripsit : Essai sur le gouvernement civil d'après les principes de FÉNÉLON. Producitur enim (ut videbimus) civitas naturali rerum ordine, sive ab ipsa natura ad societatem, *necessario*, impellimur. Quæ autem a natura præcipiuntur, eadem a Deo præcipi credendum est.

(16) L'esprit humain dans tous les genres ne marche que par degrés. VOLTAIRE Essai sur l'histoire générale. T. VI, ch. CXLIX.

duxere ad leges novas et perfectiores, ad cultum humanum, ad constitutionem, imperium.

§ VI.

Quibus, ut nobis videtur, rite expositis, duplex superest, quod moneamus. Alterum, nos si recte philosophari de ejusmodi rebus atque, erroribus liberi, totum genus humanum intelligere velimus, id ex partibus suis, id est, ex hominibus singulis facere debere : alterum vero hoc, ut si vel nunc necessitatem *imperii* eruere in animo habeamus, primum necessitatem *legum ortarum legumque causas* investigemus. Quod quidem duplex consilium unâ quæstione de *Hominis Singuli Natura,* qualis ea *ante leges datas* fuerit, assequemur (17).

---

(17) Juvat forsan, varias doctorum virorum de necessitate sociandorum hominum sententias hoc loco addere. CICERO itaque præter ea, quæ de Off. I. 44, De Amic. 8, 9, 14, asseruit « naturalem nimirum quandam hominum quasi congregationem esse, » eandem sententiam etiam profert De Rep. I. 25. EPICURUS quoque ap. ARRHIAN. ad Epict. I. 23. Contra POLYBIO VI. 3 et LACTANTIO De Opif. D. c. 4 causa civitatis esse videtur singulorum *imbecillitas*. PLATO De Rep. II. p. 369 causam societatis et civitatis *necessitatem* esse autumat; quam *solitudinis odio* natam esse contendere videtur. De Legg. III. p. 678. Si vero ARISTOTELES De Rep. III. 9 *boni honestique* causa copulatam hominum societatem putat, neque vero convictûs ipsius causa comparatam; sive si LACTANTIUS Inst. VI. 10. *humanitatis gratia* coortam asserit; seu denique VEGETIUS in Prooem. L. IV nomen reipublicæ *communi utilitate* partum esse arbitratur : unusquisque videt, eos omnes in unum conspirare. Necessitas enim illa non sine libertate et utraque non sine commodo communi, seu humanitatis gratia, seu propter τὸ ζῆν, εὐδαι-

§ VII.

Animal illud providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis et consilii et præclara quadam conditione generatum a supremo Deo, quem *Tullius* noster vocat *Hominem* (18), est *pars integra* totius generis; et per hanc ipsam rationem, cujus natura est perfectio, est *totum* quoddam simul in se confectum, quod ratione certa ab universo genere pendet et ad alias ejusmodi totalitates sibi similes refertur. Est autem ea toti natura, ut ipsum sibi orbem efficientiæ suum constituat, existentiamque propriam contra conatus aliorum et contra vim universi tueatur. Inde homo singulus, natura duce, sibi comparare studet ea, quæ ipsi ad obtinendam vitæ causam, ad explenda consilia sua videntur commoda, neque multum sollicitus est, utrum aliis, dum suis commodis servit, damnum inferat. Omnino cæterorum rationem habet nullam, nisi quatenus

---

μόνως καὶ καλῶς existere potest. Sunt enim hæ totidem unius rei variæ notæ, quæ unitæ nobis illam necessitatem constituunt. Atque sic vel AUGUSTIN. De Civ. D. XIX. 24 et ISIDOR. Orig. IX. 4, LIVIUS I. 8 nobiscum consentient æque ac CICERO ad Att. I. 18.

(18) CICERO De Legg. I. 7. Velimus legat, quisquis poterit, summorum virorum opera, statim a nobis laudanda, G. W. FR. HEGELII, quo neminem unquam in philosophando magis suum natura creavit, *Naturrecht und Staatswissenschaft im Grundrisse*, sive *Grundlinien der Philosophie des Rechts* (Berlin 1821. 8) atque viri rerum civilium prudentissimi, HENRICI LUDEN, *Handbuch der Staatsweisheit* (cujus operis, quod nos quidem scimus, non nisi prima pars adhuc prodiit Jenæ 1811. 8 — et in quo vehementer dolemus, constitutionum delineationes *fere consulto* omissas).

hoc ipsimet emolumento esse potest : immo odit alios, expellit, ut se in eorum locum instituat. Nam vult ipsa natura, ut existentiæ suæ orbem, quaqua potest versus, extendat, ut ipse fiat in dies perfectior et potior.

Fecit autem natura non unum hominem, qui solus sit terrarum dominus; sed creavit juxta vel alios, eosque innumeros, atque hos quidem sibi simillimos, eadem nimirum ratione donatos — totidem igitur totalitates, in se et per se confectas. Atqui unusquisque pro hac totalitate idem sibi expetit, ac alter, unusquisque totum sibi vult efficientiæ orbem; igitur unusquisque eodem modo agit, alium pellit, e loco movet; atque ut quisque sibi concedat, quidquid ad vitæ consilia explenda capessere placet, suo jure singulus contendit.

Inde oriuntur *bella;* ex bellis *pactiones;* ex *pactionibus* mutuæ utrorumque *relationes,* quæ vocantur *jura;* jura vero nihil sunt absque securitate jurium; jura quoque inconstantia sunt variæque interpretationi subjecta, nisi claris verbis exposita. Jura verbis claris pronunciata, *leges* vocantur; leges autem ferre ejusmodi nemo potest, cujus ea res interest, de qua litigatur, sed tertius quidam, cujus non interest. Jurium securitatem tueri nemo potest, nisi is, in quo, juxta leges, voluntas omnium inest, et cum voluntate necessaria potestas atque potentia. Non itaque solum legum latoribus opus est, sed *custodibus* etiam, quos vocant *magistratus*; quibus igitur hæc est vis, ut cum *Tullio* (19) loquamur, ut præsint præscribant-

(19) Cicero De Legg. III. 1.

que recta et utilia et conjuncta cum legibus. Ejusmodi autem institutum vocatur *Imperium;* ergo sine imperio nulla hominum societas, ne duo quidem homines existere, id est, vitæ consilium consequi possunt; quod tamen volunt omnes; ad quod compelluntur eàdem ratione, quæ totum ipsa, cum universis, ut pars cum toto, se unire et conjungere contendit.



CAPUT SECUNDUM.

DE ORIGINE REGIMINIS.

§ VIII.

Hæc vero more philosophorum, qui hominem unum usurpant atque de eo prædicant, quæ de persona omnino prædicari possunt. Verum homo ejusmodi unus et (ut ita dicamus) individuus, hac ratione, antea quam certum cultum nactus esset, ante constitutas civitates, extitit nullus : sed extitere, statim ab initio, *hominum coetus*. Qui et quales fuerint, nostrum jam est indicare. Faciamus autem verbis viri clarissimi, qui rectius perspexit rem, quam mirum est non ab universis ita fuisse visam. Sic enim ille fere : « Civitatem opus naturæ esse, naturali ordine et consecutione productam. Primum scilicet par mortalium, ex quo totum genus humanum esset propagatum, amore conjugali fuisse conjunctum; natos quoque cum parentibus tenerrimo affectu fuisse copulatos; inde familiam esse ortam, quæ multitudine sobolis abundans et quotidianis auctibus crescens, novas colonias eduxerit, donec civitati suffecisset. Ideoque omne præstitisse ingenitum societatis

amorem, qui consanguineorum cohabitatione incrementum ceperit. Homines autem unquam in silvas et solitudines recessisse et instar ferarum vitam degisse, commentum esse explodendum (1).» Sive, ut nostris verbis dicamus, vir et mulier et libri *simul*, neque vero hi *sigillatim totum hominem* conficiunt; vir et mulier, identitate sua, qua in liberis ex se prognatis se manifestant, illud totum constituunt, de quo locuti supra sumus. Vir autem, quasi spiritus creator, solus est, qui totam hanc personam exhibet; solus, qui voluntatem habet et, vi voluntatis suæ, in lucem prodit; qui pro omnibus sollicitus est, qui nominatur pro omnibus et agit — *Paterfamilias*. Reliqui in eo quasi inclusi sunt, in eo solum existentiam suam conspiciunt, personam familiæ unius efficiunt, ad ejus totalitatem *pertinent* inseparabiles, inscii existentiæ propriæ (2).

---

(1) J. F. HORNIUS De Civitate. I, 4. § 6.

(2) De his et rebus sequentibus, præprimis de iis quæ ad despotismum orientalem pertinent (de qua re mox agemus) videsis opus viri æque docti ac ingeniosissimi, STUHRII nimirum : Vom Untergange der Naturstaaten; Berlin, 1812. Negant vero nonnulli, fuisse omni tempore et apud omnes gentes justa matrimonia sive continuam quandam et certum utriusque sexus communionem. Sic Troglodita Æthiopes *mulierum communionem* habuere (AGATHARCHIDES de mari rubro apud *Hudson*. Geogr. min. I. p. 45 coll. DIOD. SIC. I. p. 197); non minus Agathyrsi (HEROD. IV. 104) : gentes nonnullæ Caucasiæ concubitum in propatulo faciebant, veluti pecudum (ib. I. 203) etiam Indiæ complures (id. III. 101): Massagetæ etiam mulieribus in commune utebantur (id. I. 216) atque Nasamones (id. IV. 172) : vel Asæi nullas habuere mulieres proprias; sed cum omnibus instar pecudum coibant (id. IV. 180) : denique in ipsa Attica *Cecropem* primum justa matrimonia instituisse, nemini ignotum est. Atarantes vero sine omni so-

§ IX.

Ex hac sententia et sequuntur et explicantur multa, quæ citra eam explicare nemo poterit. Atque primum quidem hoc est, ut *patres familias* antiquitus pro universa non solum familia, sed pro tota quadam gente nominarentur; ut igitur nomina patriarcharum non homines singulos notarent, sed integra quædam stemmata, quæ eorum personâ repræsentabantur. Nam hæc consanguineitatis vincula apud gentes incultas multo

cietate familiæ adeo vixere, ut ne nomina quidem haberent propria (HEROD. IV. 183). Consulto nos luculenta hæc exempla in usum adversariorum adduximus. Sed simul in memoriam redit illud Ægyptii hominis, patria decedentis, qui *putenda* ostendens, dixit : ubi hæc essent, ibi non defore ipsi liberos et uxores! Qua re nihil aliud volumus, quam hoc : gentes illas, si non *justa* habuissent matrimonia, habuisse tamen omnino connubia. Hoc docent et illa exempla et vero etiam existentia hominum illarum terrarum, qui non e nubibus delapsi sunt, sed, infantes nati, sine dubio nutriri quoque debuerunt a parentibus qualibuscunque. Sed plus simul inest in illis exemplis, quod vel nostram sententiam probat. Nam Massagetas et Nasamones licet in commune cum mulieribus rem habuerint, tamen *proprias* habuisse et quemvis *unam* mulieres, *apertis verbis dicit* HERODOTUS ll. cc. Atarantes vero non solum parvulas familias habuisse, sed unam effecisse magnam, inde patet, quoniam *Atarantes* vocari amabant universi. Agathyrsos vero se in commune miscuisse cum omnibus mulieribus eapropter, «*ut essent inter se fratres et consanguinei; neque invidiam, nec inimicitias exercerent*: » Ausenses denique viros *tertio quoque mense convenisse, quo in conventu, postquam adultus esset puer, quem mulier pepererit, cui viro similis reperiretur puer, eum esse patrem pueri censitum*, idem narrat.

arctiora sunt, eorumque orbis multo latior, quam apud cultos populos, in quibus homo quisque individuus liberum se et independentem sentit atque sui juris; quum in illis omnes in sese involuti existant. Singuli itaque familiæ socii non discedunt, ut apud nos, simulac adulti variis se ac propriis vitæ negotiis dedunt. Omnes potius eandem vitæ rationem sequuntur, venatores, pastores. Inde familiæ conjunctæ persistunt, unum corpus; mox in gentes et stemmata excrescunt et augentur; hæc denique stemmata seu tribus nationes evadunt. Hæ nationes non alio modo distinguuntur, quam juxta magna ejusmodi stemmata, circa quorum mores versantur omnia instituta. Exemplorum adfatim prostat in feris Americanis et hominibus Australiæ, sicuti in barbaris Asiæ mediæ, Arabiæ et desertorum Africæ.

Tota migrant simul ac emigrant; tota se contra alia ejusmodi tota se defendunt, et hac defensione magis magisque conjunguntur, atque unum caput, unum principem familias — patriarcham agnoscunt. Hæc ita perdurant, donec firmas sedes singuli obtinent simulque cum iis certas possessiones, quibus illa libertas et conscientia propria paratur.

Si qui vero sunt, qui dicant (sunt autem) historias ejusmodi nihil ad nos tradidisse; ad illos pertinere videtur illud : *Oculos habent et non vident!* Toti enim hoc argumento libri pleni sunt vetustorum monumentorum sacrorum, si quis eos intellexerit : atque si illi non claris verbis et quasi nostris loquuntur ad nos, qui nunc vivimus; meminerimus, eos *suis* loqui verbis, atque dicere *inconsulto*, quid dicant, et quasi *inscios*. Qui enim oriuntur ipsi, non de origine hominum scribunt; et apud quos

certa potestas quædam nascitur prima, illi scribere nesciunt de aliis potestatis summæ formis, quæ nondum existunt (3).

Alterum est hoc : Unumquemque patremfamilias totius gentis fuisse et rectorem et legislatorem; neque tamen unquam exstitisse eorum leges seu constitutiones, quoniam quisque non nisi suam familiam rexit, eique non in perpetuum leges dedit, quia ipse solus erat, qui familiam repræsentans, cumque ea unus existens, sibi soli leges dare potuit, id est, qui e sua voluntate se familiamque moderatus est. Ideoque e voluntate sua vivere atque familiam regere idem erat. Pater itaque familias simul erat familiæ dominus — Οἰκοδεσπότης. Hæc est naturalis origo patriæ potestatis apud omnes populos, quæ ab initio more majorum, postea ipsa lege sancita est (4).

---

(3) Si hæc quæstio de origine civilium societatum atque diversitate formarum, quas illæ usurpaverunt, propter summam antiquitatem temporum atque ob fontium, ex quibus hæc omnia hauriri queunt, penuriam jam per se ad difficillimas totius historiæ pertinet; ea majoribus insuper difficultatibus obduci ab iis solet qui ad eam respondendam sese accingunt. Hi enim ex hoc tempore quo ipsi vivunt, atque ex iis formis quas ipsi vident, et quibus quasi constricti sunt, illam antiquitatem collustrare audent; ideoque, quum, quo magis aliquis in vetusta tempora recesserit, eo simpliciora quoque instituta civilia inveniet, et absque omnibus regulis quasi sua sponte et silvestria inter homines *nata*, — illius simplicitatis et nativi coloris plane obliti, in omnibus institutis certa et præmeditata consilia et velut systemata politica conspiciunt.

Hinc itaque consequens est, nos si recte de illis judicare velimus, illarum gentium quæ hodienum in civilibus institutis quasi infantes sunt, formas duces nostras adhibere debere.

(4) Inde maritus in omnibus populis incultis dominus est et maritæ et

Tertium vero : Quoniam nemo est, qui sensum rerum divinarum non habeat; nemo qui agnatione cum diis non sponte propria naturæ suæ ad Deos, eorumque timorem amoremque trahatur; nemo, qui se suasque res non diis commendatas esse velit; nemo denique, qui absque divina auctoritate numerosam familiam regere possit : quoniam denique illa ætas antiqua sancta quadam vitæ simplicitate Diis erat propior atque hæ terrenæ res cum æternis angustiori vinculo erant conjunctæ :

---

liberorum, qui ejus sunt proprietas : quibus negotia et labores omnes, qui solis viribus corporis effici possunt, graviores et difficiliores imponuntur, et qui a muneribus honorificis arcentur. Exempla in Ægyptiis (HEROD. II. 35 sq.); in Hebræis (II. Sam. XIII. 2. Prov. Salom. XVIII. 19. C. B. MICHAELIS Diss. II. de œconomia patriarchali § 16. Porro Hiob. XIV. 1. I Reg. I. 16 – 21. I Reg. XIV. 2.); in toto oriente hodienum (Vid. Itiner. Scriptt. e. g. THEVENOT T. I. L. I. c. 42. ARVIEUX T. I. p. 206. II. 43. MANDELSLOHE Ostind. Reise L. I. c. 2. p. 6. ROLLIN hist. mod. des Chinois, T. VI. RICHARDSON's additional observations to Diss. on the Languages of Eastern nations obs. I. coll. PLUT. Artax. p. 1025); in Romanis — tota patria potestas; in Germanis (TAC. G. c. 25, aliàs). Sic vendi liberi potuerunt; emi, vendi, mutuari mulieres; etiam pluralitas mulierum huc pertinet. (I Mos. XXIV. 53. XXIX. 18. XXX. 12. DE LA PORTE voy. T. II. p. 190. 193. ARVIEUX T. I. 165. MEINERS u. SPITTLERS Hist. Mag. B. III. St. 3. Abh. 6. Lib. Reg. VIII. 30. I. Chron. II. 18. 19.). De patriarchis vero familiarum rectoribus vid. HEIDEGGERI historia patriarch. P. I. Exercit. I. II. JOSEPHI Antt. Jud. I. 4. coll. I. Mos. 21, 14. et 38, 24. (Eam vel hodienum esse apud *Mogoles* plane eandem, PALLAS docet : Geschichte der Mogolischen Vœlkerschaft. p. 185). Eos servos habuisse armatos, bella gessisse et paces pepigisse fœderaque iniisse ex compluribus locis sacrorum bibliorum patet, quorum solummodo Loti et Abrahami laudare volumus.

paterfamilias solus erat, qui ipse Diis propior, arctiorem cum iis consuetudinem et quasi familiaritatem habuit, et ideo moderator esse inter deos et gentem suam, atque irata numina placare potuit. Inde paterfamilias non sua tantum, sed divina quoque auctoritate suos rexit — *Summus Sacerdos*. Hæc est naturalis origo sacerdotii in regibus et gentibus proceribus antiquorum omnium populorum (5) : inde divina fere regibus reverentia.

§ X.

Quæ cum ita sint, neque aliter esse possint, sequitur, *originem civitatum constitutarum petendam esse ex vita patriarchali atque ex despotismo domestico cum sacerdotio conjuncto, absoluto, a sola patrisfamilias illimitata potestate suspenso* (6).

---

(5) Ita Hebræi. Vid. I. Mos. XIV, 18-24. II. Mos. XII, 21-29 coll. I. Mos. VIII, 20. XV, 9. 10. XX, 13. XXX, 14. Hiob. I. 5. Etiam regum Atheniensium sacrificia huc pertinent, quæ omnibus nota; neque minus ἄρχων βασιλεὺς et *Rex Sacrificulus*. Vid. Arist. Pol. III. 14. Demost. in Neæram p. 873. C.

(6) Hoc sensu illud intelligendum est «ab initio ubique regnatum fuisse ab *uno*.» Ægyptios nunquam sine rege esse potuisse Eusebius docet (in Chron.); Græciam totam antiquitus sub regibus fuisse, Dionysius Halic. (V. 74); omnes antiquas gentes regibus quondam paruisse, Cicero (De Legg. III. 2); atque orbem universum a regibus gubernatum, Justinus (I. 1) asserit. Sallustius denique (Cat. 2) *Reges*, ait; *nam in terris nomen imperii id primum fuit*. Ipsis jura quoque et honores fuisse summos, *patresque*

Atque nunc disputatio nostra adeo est profecta, ut inquiri possit in nexum diversarum ejusmodi personarum, atque erui prima forma rei gerendæ.

---

eos vocatos et *deos* fuisse, non desunt antiquorum testimonia. Vid. ARIST. Rep. I. 2. III. 14. CIC. De Rep. I. 41. In hæc itaque omnes consentiunt: sed quo pacto et jure reges illi fuerint, ne unus quidem est, cujus sententia placeat. Alii enim propter *beneficentiam* fuisse electos, populisque caros, dicunt (CIC. Rep. I. 35. ARISTOT. Rep. III. 14. Vid. LUC. XXII. 25); alii, quod *barbaris naturâ servis* reges esse debeant (Cfr. EURIPID. Iph. in Aul. 1402. ARIST. l. l.); alii ad *similitudinem Deorum*, quoniam deos omnes censent unius regi numine (CICERO Rep. I. 36. ISOCRAT. Nic. p. 40. DIO Orat. III. De Regno, coll. LIV. II. 9. HORAT. Sat. II. 1, 42. OVID. Fast. II. 131 — quibus omnibus auctor est HOMERUS Il. I. v. 530 seq.). Hanc sententiam philosophi in suum usum converterunt, ut ex *unitate* dei regni quoque concordiam probarent; atque nunc vicissim, hoc negotio feliciter peracto, regni et imperantis unitate demonstrarent unitatem Dei. Despotarum quoque fautores et laudatores plausibili hoc argumento utuntur.

CAPUT TERTIUM.

DE FORMA PRIMA SUMMÆ REI GERUNDÆ.

§ XI.

Ejusmodi persona ea est, quæ hominem refert, de quo supra diximus, litigiosum, hostilem, nemini amicum, sibi solum studiosum. Id vero eo magis, quoniam humanitas prima et inculta justitiæ omnis, ad quam cæterum nata est, sed ad quam non nisi auxilio educationis et longæ virium exercitationis pervenire potest, expers esse debuit (1). Etiamsi stemmata aliquot,

(1) Quantum fuerit ab omni cultu alienum et primum genus hominum atque ipse antiquissimus et cultissimus veteris historiæ populus, scriptores utique atque etiam vetustæ traditiones referunt, ut nemo nescit; unde laudare paucos modo scriptorum locos placet. Vide Diod. Sic. I. p. 17. *Sanchun.* apud Eusebium de Pr. Ev. p. 34. Diodorus iterum V. p. 384. Plut. T. II. p. 86. E. Pausan. L. II. c. XXIX. Bannier Explication des Fables, T. III. p. 201. Martini Histor. Sinæ T. I. p. 20. Cfr. Symbolik und Mythologie der alten Vœlker, bes. der Griechen, von Fr. Creuzer (Leipz. u. Darmstadt 1810. IV. 8) B. I. Cap. I. p. 1. sqq. Sall. Bell. Jugurth. XXI. Bell. Catil. VI. Pompon. Mela, I. 8.

quæ e manu naturæ egressa, in vagina gentium, in felicissima Asiæ parte, in India antiqua et exinde in Asia media habitaverunt, cultiora, simpliciora et sanctiora fuisse videntur, quam reliqua omnia; tamen is erat eorum cultus ejusmodi, ut longe abesset, ut gentes diversæ originis æquo jure copularet, ut potius continuas inimicitias contra alias gentes aleret, atque continua bella, ex ipsa religione, contra omnes excitaret; cujus rei exempla prostant in tota illa antiquitate, in stemmatibus, quæ Coros et Pandos, Turanios et Iranios, Scythas et Persas, aliore nomine adpellant traditiones. Est enim *separatio* gentium antiquæ historiæ quasi principium et proprium ingenium; nulla existit inter populos communio; potius hoc belli et exstirpationis studium sola est adparitio vitæ inertium populorum mundi antiqui (2).

(2) Quanta fuerit horum bellorum immanitas, exinde concludi potest, quod stemmata inter se belligerantia non solum radicitus delerent a se victos; sed cæsorum quoque hominum carne vescerentur. HOMER. Odyss. IX, v. 288, coll. X. v. 116. PLUT. Ep. p. 1004. E. DIOD. SIC. L. I. p. 17, 100. Cfr. Mémoires de l'Acad. des Inscript. T. V. p. 118. XI. p. 203. Atque hæc quidem non antiquitus modo fuisse, sed esse vel hodienum, apud Americanos atque Nigrites et alios, unaquæque te itinerum scriptorum pagina docere potest, quos laudare longum est.

Quomodo vero perdurans hæc immanitas quadrare possit cum cultu generis humani, cujus natura est perfectio, quum dimidiam partem hominum ferocissimam et hodienum deprehendamus et antiquitus videremus? Quadrat eo, ut genus humanum ut totum quoddam, neque vero ex particulis consideremus. In universo genere ille cultus inest; in partibus non est. Quodsi hoc intuitu rem æstimemus, cultum continuo progredientem nemo est, quin perspiciat. De hodiernis vero feris gentibus si quæris, eæ forte non sine omni culpa Europæorum ipsorum barbaræ permansere.

§ XII.

Hæ itaque familiæ sunt quasi individuæ, capite nimirum patriarcha cœtus consanguinei, quorum tota voluntas est in patribus illis. Ejusmodi familiæ augentur atque excrescunt in numerosam sæpe gentem, cujus natu maximus, id est, is qui a patriarcha prima linea et recta serie descendit, caput est et manet eodem modo; donec temporum decursu, accedentibus litibus aliud ex eadem gente caput oritur, quod rebus suis consulens sua commoda a commodo omnium discernit, de sua existentia certius evadit, novam ipsum familiam, se auctore et moderatore creat, atque eandem rem ab initio repetit. Hæ diversæ gentes non solum augentur ipsæ et crescunt, sed nova quoque membra ex hoc corpore solvuntur, et novæ familiæ oriuntur, nexu tamen communis originis, religionis, sermonis, morum et institutorum, seu ad minimum, nexu pietatis inter se conjunctæ. Exemplum esse possunt duodecim tribus Israelitarum. Jam si ejusmodi stemmata nimis frequentia evadunt, seseque per remotas terras extendunt, talique modo sibi fiunt aliena et, oblita communis originis, alterum alteri peregrina, id est, individua, et a se, sui juris reddita, independentia; porro quoniam sunt nomadica, pastoriam seu venatoriam vitam degentia, quæ vitæ ratio immensa terrarum spatia poscit, ubi nunc propter familiæ et pecoris copiam quodvis suum sibi vult migrationum, efficientiæ et pascuorum orbem; mox hostiliter se tangunt, se invicem lacessunt, manum conserunt, bellis se ad usque exstirpationem petunt absque omni respectu alio, quam proprii commodi. Jam virtus corporis, numerus gentis, armorum vis decidit; nemo judex est, nemo moderator, nemo discordiarum arbiter.

§ XIII.

Hoc rerum intuitu *vincere* unum est, alterum *vinci*, tertium non est. Uterque litigans victor esse nequit. Qui victor est, dominatur, qui victus, ei parendum est, etiam nolenti. Adest ratio *dominii* et *servitutis*. Victus interit cum re sua et exsistentia voluntatis sive libertatis suæ, absorbetur a victore, cum quo ita coalescit, ac si ab initio ejusdem fuerit familiæ. Victi tamen duplex esse status potest. Sive enim extrema necessitate subigitur; sive volens, quoniam nec superior esse potuit, nec etiam plane vinci maluit, gratiæ se victoris dedit. Ille servus evadit tota vi vocabuli, hic, parte libertatis vindicatâ volens parere videtur, cum victore unus evadit, qui proprii commodi ergo eum æque custodit, ac rem suam (3).

Quidquid sit, ex diversis stemmatibus unum fit, et victorum caput simul devictorum, id est, nationis totius dominus, patriarcha, despota evadit — qui totam nationem eadem voluntate, eademque norma gubernat, qua suum ante stemma simplex rexit.

Exemplum hujus sententiæ historia est Asiæ totius a *Nimrodo* ad *Cyrum* et ultra, a Sinensibus ad *Muhammeddum* et

---

(3) Vix est, cur exempla laudemus Medorum, *Dojocis*, ap. HERODOT. I. 99 sqq., Israelitarum servitutes iteratas (in sacris libris), Scytharum, Persarum, Romanorum atque eorum, qui eos vicerunt. Sunt enim hæc omnia nota omnibus.

reliquos terrarum dominos, hominumque exactores. Fieri quoque potest, ut stemmata varia, ultro, præclaro quodam viro moderante, si ab aliis premuntur, memoria antiqui familiarum nexus revocata, in unam nationem coëant, atque ejusmodi imperium constituant. Cujus rei argumentum prostat in Mosaica institutione, qua XII stirpes, quæ totidem fere nationes factæ fuerant, in unum populum coegit. Fœdus quoque Amphictyonum gentium duodecim Hellenicarum atque forte Etruscorum confœderatio et Latinum fœdus Romanum quodammodo huc pertinere videntur (4).

Hic itaque *Despotismus* est latiori vi vocabuli, *atque hic despotismus, de quo mox uberius, prima forma regiminis fuit, siquis eam justam formam adpellare in animo habet.*

---

(4) M. De St. Croix, Des anciens gouvernemens fédératifs et de la législation de Crète. Paris 1796.

LIBER SECUNDUS.

DE

CAUSIS ET PRINCIPIIS VARIARUM SUMMAE REI GERUNDAE FORMARUM (1).

INTRODUCTIO.

§ I.

QUANTACUNQUE sit hominum similitudo; quam congruum etiam in omnibus rebus illud principium, illa causa et rectrix ac moderatrix actionum, quam *Rationem* vocamus; quam etiam libera sit hominum anima, ad unum et æternum, ad constans et firmum, ad bonum et absolutum directa; quam denique independens ab omnibus naturæ physicæ conditionibus : tamen ex altera parte, quæ cogitari potest, summa dissimilitudo deprehenditur in hominibus singulis, et libera illa anima et constans illa ratio tam multiplicibus vinculis continetur cum naturæ, locorum, cœlorum — omnino materiæ exteræ — differentia, quam pro sensibilitate organica sua,

(1) Huc omnino conf. Considérations sur les principes moraux et caractéristiques des gouvernemens, par M. WEGUELIN. Berlin 1766. 8. De l'économie des anciens gouvernemens, comparée à celle des gouvernemens modernes, par M. PREVOST. Berlin 1783.

cum libertate simul ac necessitate sequi debet; tantamque vim patitur terræ, quam incolit, cujus effectibus est obnoxia; ut eadem ratio, in eodem homine inhabitans, per illam ipsam naturæ discrepantiam non amplius eadem esse videatur. Quamquam itaque ad perfectionem natus sit unusquisque eamque quivis velis equisque attinere constanter enitatur; tamen ita diversum est iter, quod singulos ad illam felicitatem vitæ, quam sapientiam vocamus, ducit; tamque varium consilium, quo eam obtinendam esse arbitrantur universi; tamque aliena sibi ipsa illius felicitatis ratio; ut homo ab homine toto cœlo diversus existere necessario oporteat.

§ II.

Quoniam itaque si quis judicium ferre de actionibus humanis velit, præsertim si naturam et ingenium populorum rite dispicere cupit, quod non melius et rectius intelligi, quam in constitutionibus civitatum potest, ea naturæ diversitas plurimum facit ad hoc consilium consequendum; necesse est, ut omnino pauca de ea conditione vitæ humanæ moneamus.

Quoniam deinde cultus humanus non solum a natura, quæ ejus est conditio, suspensus est; sed simul a tempore, quo vires suas explicat, quo augetur et emendatur; genus autem humanum easdem vicissitudines patitur, quam homo singulus, atque idcirco non per saltum (ut ita dicamus) sed per innumeros gradus adscendit ad fastigium sapientiæ; omnino, quoniam (ut verbis utamur *L. A. Flori*) *unusquisque populus infantiam, adolescentiam, juvenile robur et senectam agit:* fieri non potest, quin has ætates, quarum cognitio penitior multum facit ad intelligentiam formarum regiminis, uberius describamus.

CAPUT PRIMUM.

DIVERSA VIVENDI RATIO HOMINUM EX DIVERSITATE TERRÆ DUCTA, QUAM INCOLUNT.

§ III.

Orbis terrarum, quam incolunt gentes diversæ hominum, per millenos annos, post varios motus, aquarum vi et planetarum et orbium aliorum is factus esse creditur, qui hodie est; neque eundem semper fuisse, paullo subtilius rem dispicienti videbitur. Terra juvenis in aliis partibus fœcunda, ultro beneficia sua vix nato generi largiebatur; in aliis nullo solo obducta et quasi ad dimidium confecta, ad sustentandum hominem nihil omnino exhibuit. Illæ terræ sub dulcissimo et suavissimo cœlo, in regionibus Asiæ mediæ altioribus fuere atque primæ nascentem hominem velut mater uberrima natura sua nutriverunt. Frugum enim et fructuum plurima genera, et domestica, quæ vocantur, animalia ibi silvestria et citra omnem cultum hominum nascebantur uberrime.

Inde sequitur :

I. Genus illud hominum vix e naturæ creatricis sinu egressum, omnia ad vitam necessaria deprehendisse parata; ideo-

que quum rerum adfatim adesset, simplicem omnino vitam, plane naturalem egisse, deque nullis rebus sollicitum, nihil etiam quæsiisse ultra, vires suas nullis laboribus exercitasse, nihil ad commodiorem vitæ statum, quem nemo desiderare potuit, invenisse, præsentibus rebus penitus se continuisse.

II. Idcirco nec coluisse agrum, nec habuisse ullum aliud vitæ negotium, quam ut pecus pasceretur, prata et pascua sequeretur, hinc inde migraret remigraretque.

III. Nec possessiones habuisse certas, nisi forte pecudum; nec itaque etiam jura, leges, instituta civilia, aliave ejusmodi.

IV. Rixas et lites novisse nullas, sed placidam et tranquillam egisse vitam, nullis incommodis turbatam : rectum fuisse, inscium sui, a patribus genitoribus, iisque sine tergiversatione obediisse, sive in domesticis rebus, sive in divinis.

§ IV.

Lapsu temporum vel aliæ terræ, natura rudiores quodammodo ad incolendum aptiores evadebant; quin tamen, sitæ nimirum sub solo aspero et inculto, ultro eas naturæ productiones largirentur, immo nihil omnino sine multo labore et industria hominum, et quasi coactæ tantum, parcam vitam præberent. Ubi itaque in iis primævis regionibus propter crescentem hominum numerum non amplius erat, unde tanta copia aleretur; pars eorum emigrare ex felicissima patria in illas rudes et pauperes tractus, ibique se conformare ad natu-

ram, quæ præsto erat, adhibere corporis animique vires, opera subire et pericula multa, invenire instrumenta sive ad arcenda animalia ferocia, sive ad subigendam terram debuit.

Inde sequitur :

I. Illas gentes sive agrum coluisse, sive feras compescuisse, sive beatiores illas priores infestasse, ut vel ipsæ vitam, qualicunque modo potuerint, ducerent molestam et laboriosam.

II. Agrorum partes sibi sumsisse singulas, easque contra conatus hostilium catervarum defendisse, mutua sibi auxilia tulisse.

III. Jura quoque propria possessionesque custodiisse, de suis quemvis rebus cum aliis convenisse, leges sanxisse et regulas, ex quibus tuti viverent singuli inter singulos. Ideoque

IV. Jam orta fuisse inter eas certa principia et instituta, ortos arbitros et judices, ortam libertatem quandam et æqualitatem, ideoque certitudinem in unoquoque existentiæ et jurium suorum.

§ V.

Si ex hac naturæ differentia jam maxima oriebatur differentia hominum omnino; major profecto insuper creabatur ex varietate immensa diversarum unius terræ partium : quæ non solum omnes vires exercent, sed vario modo exercent. Nam

I. Convalles ampliores seu angustiores, inclusæ montibus sive altioribus, sive leniter adscendentibus; etiam planities in

montibus, sive in æquiori loco sitæ aliam plane sibique diversam naturam habent, atque incolis impertiuntur.

II. Aliæ terræ montibus omnino carent, aliæ silvis, aliæ aquis; aliæ solis ardori expositæ sunt, aliæ ventis; aliæ ad maria adjacent, aliæ in mediterranea terra.

III. Totæ mundi partes sive sub cœlo moderato, sive sub zona torrida, sive frigida jacent; ideoque natura variabiles sunt, seu constanter idem cœlum servant; seu tropicæ sunt, quas vocant, seu varias anni vicissitudines patiuntur. Inde in aliis homo quasi cogitur ad proficiendum, in aliis arcetur ab omni cultu; in aliis ad summam usque perfectionem pervenire potest, in reliquis ad certum modo gradum culturæ.

Quis autem est, qui omnes has vicissitudines naturæ, hanc varietatem ingenii summam enumerare possit? Nobis itaque satis est, indicasse in genere, quæ ut sigillatim eruantur adcuratius a summis quibusvis philosophis dignissima sunt.

§ VI.

Hæc tamen in nostrum usum sine omni controversia jam ex hisce præmissis sequi videntur:

I. Omnem virtutem hominis esse sive in *corpore*, sive *ingenio*;

II. Illam majorem deprehendi in septentrionalibus terræ partibus; hanc in meridionalibus; quin tamen uni alterive

parti una alterave exclusivo quodam jure data sit, quo alteram a participatione alterius excludat;

III. Vires corporis naturæ donum esse; virtutes ingenii ex longo usu atque traditione, e montibus Orientis descendisse atque deinceps cum reliquo orbe esse communicatas;

IV. Hæc prima semina cultus humani inter illas solum nationes oriri potuisse, ubi natura contemplationibus ingenii nulla seu pauciora impedimenta struxisset:

V. Crevisse autem et adolevisse vario modo apud varias gentes; exculta fuisse et emendata sub placito solum cœlo; ad perfectionis vero cujusdam fastigium adscendere solum posse in terris zonæ moderatioris, ultra et citra quam sive mollitie fluit, sive torpet cum hominibus natura: hanc denique zonam fere totam occupare Europam, in interiori variam, omnibus rebus, sed non citra hominum curam, abundantem, montibus consitam, fluviis irriguam, undique maribus — vera palæstra virium — cinctam. Inde

VI. Europam omnia quidem ab aliis accepisse; sed cuncta, velut in mutuam gratiam, ita emendasse, ut rite sua nominare, omni jure sibi vindicare possit quælibet inventa (2).

VII. Europæam humanitatem primam et solam ad conscientiam sui pervenisse et individualitatem (ut hoc utamur verbulo); sed idcirco sibi infestam maxime exstitisse, bella innu-

---

(2) Jo. v. Mueller Allg. Gesch. T. I. Einl. c. II.

mera gessisse, juribus suis custodiendis omnibus viribus adfuisse, sibique fuisse maxime invidam. Idcirco

VIII. Nihil apud eam sibi constare, vitam illam tranquillam et moribundam orientalem et Ægypti non deprehendi; formas civiles omnis generis et nominis esse cultas, mutatas, inventas, usurpatas, relictas; liberam rerum inquisitionem, artes et scientias, prudentiam civilem et jura et leges apud eam solam vigere; dum altera ex parte Asia constanter eadem maneret, quæ ab initio esset (3).

---

(3) Ne in posterum nobis denuo recurrendum sit ad hoc argumentum, quod iis, quæ sequuntur, facem præferre et vicissim ab iis lucem accipere novam potest; immoremur paullo in hac re longius et, quoad fieri poterit, totam conficiamus. Cœlum igitur vim absolutam exercet tum in corporis, tum in animi vires, in proceritatem corporis atque colorem etiam faciei, in totum organismum humani generis. Causæ hujus diversitatis sunt varii gradus caloris et frigoris, olerum, frugum fructuumque natura; quæ omnes res sive salutares esse, sive nocivæ possunt. Septentriones itaque frigidiores corporis saluti magis consulunt, quam tepidæ terræ orientis et meridiei, in quibus pestis, lepra, alia ejusmodi morborum genera frequentissima sunt totumque corpus subito venenoso igne corripiunt atque conficiunt; nonnunquam ex patria sua in Europam migrant, ubi tamen mox cum magna Europæorum salute degenerant et minuuntur (Vid. Mélanges tirés d'une grande bibliothèque Vol. Aa. Paris 1782. 8. Gazette littéraire de l'Europe 1782. Dec. p. 409 sqq.).

Quum anima suspensa est altera ex parte a materia, ideoque a corpore, quod inhabitat; vel studia animæ atque pathemata, virtutes et vitia ex eodem fonte fluunt ita, ut terræ et incolarum natura sibi simillima existat: «*atrox cœlum, perinde ingenia*» Florus III. 2 de Allobrogibus

§ VII.

Sufficiant hæc universe et de Europa sigillatim. Quum vero

---

prædicat; atque de Thracibus idem (l. l. c. 4) « *Silvarum et montium situs cum ingenio consentire* » perhibet. Orientales et boreales populos his verbis pingit Lucanus, Phars. VIII. 364 seqq.

> Omnis in arctois populus quicunque pruinis
> Nascitur, indomitus bellis et Martis amator.
> Quidquid ad eoos tractus mundique teporem
> Labitur, emollit gentes clementia cœli --

ubi et vestimentorum et armaturæ genera, ex eadem causa varia, legi merentur. Quid itaque mirum, si septentrionales libertati deditos, meridionales in servitutem pronos videmus? Sub æstu solis ingenia tardiora, homines incuriosi et ab omni actione et contentione alieni sunt; corpus cum animo languet et utriusque tranquillitas in summis deliciis habetur. Accedit nunc terræ mirabilis exuberantia, qua fit, ut incolæ nullius rei sollicitudine erecti, sponte et natura ad ignaviam compellantur. Montesquivius XVIII. c. 4. Espr. d. L. sic de his rebus loquitur : La stérilité des terres rend les hommes industrieux, sobres, endurcis au travail, courageux, propres à la guerre; il faut bien qu'ils se procurent ce que le terrain leur refuse. La fertilité d'un pays donne avec l'aisance la mollesse et un certain amour pour la conservation de la vie. Quum præterea sub cœlo fervente homines victu utantur minus copioso, quam in frigidioribus terris, hæc nova inertiæ illius causa fit. Vid. Roussavius, Contrat social III. 8, qui de hac re uberius agit. Unde non minus vel hoc consequens est, quod universa historia docet : boreales constanter subjugasse meridionales; omnes occupationes a borea in meridiem susceptas esse. Vid. Montesquivius E. d. L. XVII. c. 2. Oportetne memorare imperium Romanum a barbaris eversum? sive Scytharum in Mediam incursiones? sive imperium

non Europa sit ea terræ pars, ubi omnia esse cœperint; sed

Persarum a Cyro, Hunnorum ab Attila, Tartarorum a Timure institutum? (Vid. E. F. v. HERZBERG Abhandlung von der Ueberlegenheit der Deutschen gegen die Roemer. Leipz. 1780. 8). Totum quoque C. J. CÆSAREM et TACITUM laudare potuerimus. Etiam *fides* illa septentrionalium et integritas non minus, neque minori jure celebrata est, quam virtus bellica, ac amor patriæ libertatisque; quum meridionalium Punica fides, dolus et perfidia male audiunt apud universos. *Ingenitam levitatem* et *eruditam vanitatem* in Græcis doctissimis quibusque vituperat CICERO (apud HIER. Ep. X. 3, cfr. Comment. ad Galat. L. I. 3. LACTANT. Instit. III. 14). Atque de iis et aliis hæc perhibet SERVIUS ad Æn. VI. 724: « *Afros versipelles, Græcos leves* videmus, *quod natura climatum facit*, sicut *Ptolemæus* deprehendit. » De his rebus et similibus vid. l'Esprit des nations; à La Haye 1752. II Voll. 8. Considérations sur les causes physiques et morales de la diversité du génie, des mœurs et du gouvernement des nations; par M. L. CASTILHON, à Bouillon 1769. 8. La physique de l'histoire ou considérations générales sur les principes élémentaires du tempérament et caractère naturel des peuples (par M. l'abbé PICHON); à Amsterdam 1765. 8. F. L. v. HOPFGARTEN Versuch ueber den Character der Menschen und eines Volkes ueberhaupt. Leipz. 1773. 8. J. ISELIN ueber d. Gesch. der Menschh. Zürich 1768. 8. II Voll. J. G. STEEB ueb. d. Menschen nach den haupts. Anlagen in seiner Natur. Tuebing. 1785. III Voll. 8. Cum hisce conf. MONTESQUIVIUS Espr. des lois. Tome II. L. XIV. ch. 2. et D. HUME of national Characters (in Essays Vol. I. Ess. 24). Quod attinet ad diversas unius generis humani species, vid. J. F. BLUMENBACHII De generis humani varietate nativa liber, ed. nova Gotting. 1781. 8. KANT Bestimmung d. Begriffs einer Menschenrasse (in: Berl. Monatschr. 1785, Nov. p. 390.), NIEBUHR ueber die Veränderung der Hautfarbe (in: Deutsch. Mus. 1787. May) p. 411.

Quemadmodum color cutis species hominum distinguit; sic varii sermones quasi colores ingenii intrinsecus exhibent. (Vide præter eos, qui de

Asia præcipue et Africa : de his nonnulla de industria addere volumus.

Primum locum sibi Asia vindicat; quoniam in ea primam lucem historiæ videmus eo tempore, ubi Africa tenebris consepulta jacebat, Europa vix habitari ab hominibus potuit. In Asia illa vagina gentium est; ibi primæ hominum societates, instituta, conversiones; ibi civitatum origines et jam variæ civitatum formæ; ad eam etiam respiciunt traditiones antiquæ de origine rerum atque nationum, in Africam et Europam

---

origine sermonis scripserunt — *Zobelium, Herderum, De Brossium, Merianum, Monboddonem, Frankium, Schmidtium*, alios — : GATTERER Einl. in die synchronistische Universalhistorie. Th. I. p. 111 - 164. SUHM Foersøg til et Udkast af en historie over Folkenes Oprindelse i Almindelighed p. 79 sqq. ADELUNG's Mithridates. Berlin 1806. V Voll. 8.) Ex his omnibus concludi posset, etiamsi tota historia id non extra omnem dubitationis aleam jam dudum posuisset, reliquas quoque animi facultates, quibus homo, vi rationis suæ, ad erectiorem quandam eruditionem, ad artes et scientias, ne dicamus ad sapientiam, pervenire potest, in zonis moderatis præprimis eluxisse, frigidas vero et torridas rarissime magna ingenia aluisse (cfr. C. F. FLOEGEL Gesch. des menschl. Verstandes, Bresl. 1776. 8. Abschn. 3; Rapport de la nature à l'homme, et de l'homme à la nature cet. par le B. DE MASSIAS. Paris 1821. II. 8).

Quamquam ceterum hæc verissima sint, tamen non negamus, hosce naturæ defectus corrigi et tolli quodammodo posse educatione, religione, hominum ipsorum communione, commerciis, institutis et legibus. Potius hominem omnem in omni terra vivere et coli posse, hominisque totam terram esse, lubenter asserimus. Sed quæ fieri possunt, hæc non fuere antiquitus : nostrum autem est, inquirere in formas et civilia instituta omnium ætatum, præsertim vetustarum.

traductarum; ex Asia manavere notitiæ primi cultus, religionis, artium, philosophiæ, quibus postea usi Europæi tantam sapientiæ gloriam assecuti sunt, qua nunc et omni tempore clarent et claruerunt.

Atque si in primas harum rerum causas inquirimus, omnium primam videmus naturam soli, cœlique, situmque geographicum et terrarum montiumque formationes, quibus benigna natura incolas beavit. Primum Asia omnes cœli mutationes et vicissitudines habet, a frigida zona incipiens per moderatam et torridam ad usque æquatorem descendens.

Deinde maxima tamen pars ejus juxta totam latitudinem zonæ moderatæ borealis extenditur, orientem et occasum meridiemque, quemlibet in felicissimis ejus partibus, complexa; extremus solum boreas et meridies frigore et tepore conficitur. Commoda itaque omnia, quibus utitur Europa, Asiæ contigerunt; incommoda fere omnia, quibus vexatur Africa, vix sentit: quæ vero bona nec Europa, nec Africa habet, ea sola possidet felicissima hæc Asiæ terra. Tum ex hac ipsa extensione sequitur summa cœli, hominum, productionumque tum vegetabilis, tum mineralis, tum regni animalis varietas. Quæ Europa et Africa possidet, ea habet vel Asia, sed longe nobiliora (4).

(4) De hac nobilitate productionum, hominumque proceritate et animalium, de aëris sanitate, aquarum ubertate, et quæ sunt reliqua, legi meretur Hippocratis De Aëre, Aquis et Locis liber. Si ceterum in Africa occurrunt Nigrites et ferocia quædam animalia et plantæ, alia, quæ solum sub æquatore proveniunt, ideoque in Asia non sunt; hæc vicissim multa possidet,

§ VIII.

Accedit ad hæc cuncta, ut clausa fere undique Africa, ad

---

quæ plane desunt Africæ. Insuper in hac natura sibi magis constans est et ubique eadem profert, dum Asia continuo nova, continuo alia deprehenditur.

Forte disquisitio nostra novam lucem accipiet, si unam alteramve partem Asiæ, quasi exempli gratia, uberius exposuerimus. *Asia minor*, omnibus rebus abundans, ob egregiam fertilitatem suam ab omnibus celebrata est. Ioniæ cœlum serenum et placidum (HEROD. I. 142) Homerum, Thaletem, Herodotum ipsum et alios procreavit; Æsopus quoque et Hippocrates et Dionysius Halicarnassensis in ejusmodi solum terris nasci potuerunt. Phrygiæ et Mysiæ fertilitas jam antiquitus bellicosas gentes occupatum evocavit (STRABO p. 573). Pontus, Cappadocia, Lycaonia, Phrygia, Bithynia pascuis et frumenti omnibus generibus divites, agricolas et pastores; equis et feris abundantes, venatores et bellatores alueruut (STRABO p. 539, 546, 547, 561, 568, 570, 578. PLINIUS H. N. VIII. 73. XI. 42). Nulla earum pars sine vino erat (STRABO p. 548, 556, 559, 587, 629): arborum et fructuum ubique magna copia; aurum quoque et lapides pretiosi ingenia hominum ad manu et arte facta duxerunt (idem p. 540, 544, 546, 570, 573, 577). Ejusmodi terra gentes multas et aluit, et peregre alliciebat, et in alias terras emisit; inventa multa protulit, quoniam homines natura ad artes excitavit, inertes non passa est. Unde Architectura Ionica, unde literæ et ars scribendi in alias terras transplantatæ (PLIN. H. N. VII. 58. HEROD. V. 59). Lydiæ metallifodinæ artem æris flandi et feriundi Lydos, eique certas et placidas formas imprimendi Chalybes docuerunt: aurum et argentum eosdem Lydos ad moneta cudenda duxit, quibus mercaturæ fundamenta posuerunt; unde divites facti, vitæ illecebras, comessationes, scenas, musicam, ludosque alios invenerunt, simul cum agrorum meliori cultu, curruumque et armorum usu. Mysia et Thracia primas naves, navigatoresque vidit, viasque munivit commerciis remotioribus (PLIN. VII. 57). Quævis natura cuivis populo suum typum impressit. Sic Ibericæ, Colchicæ, Armenicæ, Caucasiæ, Albanicæ et Arabicæ terræ fortes et bellico-

quam aditus omnibus difficillimus, Asia aperta sit omnibus

---

sas fecere gentes superbasque (DIONYS. *Perieget.* p. 1001); atque terræ varia producta sive artifices, sive agricolas, sive vagantes nomades, latronesve, sive etiam mercatores constituerunt (PLIN. XV. 12. XXXV. 28. XXXVI. 10. XXXVII. 23. STRABO p. 41, 529 532. PRISCIAN. PERIEG. p. 707. SOLINUS c. 15.). Nullum vero exemplum prægnantius laudari ad hanc naturæ et hominum concordantiam demonstrandam posse videtur, quam unius Mesopotamiæ partes boreales et meridionales. Illæ enim omnium beatissimæ homines quoque cultissimos aluerunt (DIONYS. *Perieg.* 929. AVIENUS 1182. STRABO p. 747 c. not. *Casaub.* ABULFEDA 242 sq.): hæ vero pauperrimæ et fere desertæ ferocissimos istos Arabes Scenitas, latrones, fovebant (STRABO l. l. AM. MARCEL. XXV. 8. coll. XIV. 4. PLIN. V. 21. X. 29. CURTIUS V. 1; præsertim XENOPHON Anab. I. 5, 3). Non minus triplex Arabia triplicem naturam incolis impertivit; venatores et pastores, agricolæ et latrones juxta mercatores promiscue ibi habitarunt (STRABO 767 sq. 778. DIODOR. SIC. III. 45. 125. sq. coll. II. 50. 52. ARRHIAN. c. 16. AGATHARCHIDES 59. PLIN. VI. 28. Vid. MICHAELIS Geogr. Hebræorum II. 186). Tacemus Babyloniam cultissimam et Assyriam, Persiam et Mediam cum infelicissima Gedrosia comparatam; sive Persiam maritimam combustam et nocivam cum Persia ipsa superiori vino et pascuis abundante atque frigida septentrionali, quæ vix camelos nutrit; eamque iterum cum Susianâ sibimet maxime dissimili (vid. D'ANVILLE, Géographie ancienne abrégée. Paris 1768. III Voll. 8). Extrema India cum Ægypto, quasi in medio orbe sita, quoniam natura earum fere eadem est, eosdem quoque homines, eosdem mores, religiones, instituta civilesque formas habuit. Vires ibi hominum neutiquam exercitatæ: præter frugum sationem fere nulla negotia; terra velut ultro omnia offerens, hanc ipsam ob causam homines inertes, imbecilles vidit et videt hodienum (si forte bellatores, aliunde ortos, exceperis); nulla ibi voluntas creatrix, nulla hominum certitudo sui, nulla libertas, sed mera obedientia. Quid vero, siquis hosce homines cum Sarmatis, Scythis, aliisque extremorum septentrionum; hosque mutuam in gratiam cum agili illo genere et cosmopolitico Phœnicum Cœlesyrorumque comparaverit?

atque ad consociandos incolas aptissima. Circumdata enim hæc est ex omnibus fere partibus mari, hinc inde in continentem terram longe profuso, ubi iterum maxima excipit flumina (quibus Africa fere tota caret) et quæ e media Asia coorta, omnem in omnes partes permeant, atque ad alia maria ducunt (mare nigrum, Persicum, mediterraneum) Irtisch, Jenisey, Lena, Euphrates, Tigris, Ganges, Indus, Oxus, Jaxartes, Ho-ang-ho, Pantsee-Kiang, Wolga; quæ omnia ex totidem altissimis montibus scaturiunt, totidem iterum convalles fœcundissimas efformantibus, et quæ, quod nobis maximum est, Asiam totam in partes tres, cœlo et solo plane diversas, dividunt. Præterea in Asia deserta sunt pauciora, ambitu minora, si deserta Cobi excipis, fere nullius notæ; dum Africa tota desertis immensis repleta, communionem hominum difficillimam reddit.

§ IX.

Tres illæ partes, in quas Asia per montium juga, Altai nimirum Taurumque cum brachiis ejus, discinditur, summam simul diversitatem hominum morumque eorum et totius vivendi rationis efficiunt. Pars maxime borealis, ab Altai monte ad mare glaciale, Siberiam complexa, *paucos* homines atque eos misere alit, omnesque VENATORES (5). Populi autem mediæ Asiæ, inter Altai et Tauri tractus, totasque has terras in-

---

(5) GEORGI Beschreibung der Vœlker des Russischen Reiches, p. 383, HEERENIO laudatus in: Ideen cet. quem vide T. I. Partis I, p. 65 sqq.

colentes, tesquas maximam partem, a mari Caspio ad Oceanum orientalem sitas, quibus nomen est Tartariæ majori, paucioribus modo fluviis irriguas, atque in summis altitudinibus collocatas, aliam plane naturam induebant. Terra enim propter has causas *agriculturae* apta non est, atque omnino fere *silvis lignisque* orba. Ideoque firmas sedes hæ nationes non habent, agrum etiam non colunt, sed **Pastores** sunt atque **Nomades**, quibus pro urbibus et domibus tentoria et castra, quorum totæ divitiæ in pecudibus atque gregibus; quibus *singulis* nulla proprietas, sed tota terra ab *universis* possidetur. Apud illas itaque rationes sociales nullæ præter eas, quæ in familiis sunt atque consanguineitate, qua tota et frequentissima stemmata et nationes universæ cohærent; quæ nullam regiminis formam norunt, nullum magistratum, nullas leges præter eas, quæ sunt et manant ex sola voluntate rectrice patrumfamilias; quibus iterum imperat sive is, qui ex summa antiquitate caput fuit, sive urgente necessitate ad tempus caput omnium electus est, sive is, qui potens ipse, reliqua stemmata subjugavit, in quæ non raro dominatum durissimum exercet; quæ cum ipso bella gerunt, alia barbara stemmata, sæpius etiam cultos populos in dominationem et servitutem rapiunt, ut Persæ capite *Cyro* et alii multi ejusmodi barbari; qui, suo tempore, ex borea descendunt in meridiem, lassumque et corruptum genus humanum novis viribus et quasi novo sanguine infuso reficiunt et regenerant (6).

---

(6) Quæ res maximi momenti est. Ea enim ipsa impediebatur Asia, quominus ad liberiorem animi cultum, et ad justiores formas civiles, liberasque respublicas, nostro sensu, pervenire posset; ut infra videbimus.

§ X.

Asia meridionalis, sive ea quæ inter Taurum montem et mare magnum sita, Asiam minorem (7), imperium Neopersicum totum, a Tigride ad Indum, Indiam borealem Indiæque peninsulas citra et ultra Gangem, Tibetum etiam et Sinas comprehendit, non solum *maximis fluminibus* irrigatur, atque montibus altissimis quasi custoditur, inter quos pascua optima prostant; sed *cœlo mitissimo summaque*, quæ cogitari potest, *soli fertilitate* beatur; ubi *frugum fructuumque genera omnia*, *animalia nobilissima* et *pulcherrima*, *thura* et *aromata*, *aurum*, *lapides pretiosi*, *margarithae* maxima frequentia deprehenduntur. Inde homo non venator, non pastor (nisi qui forte ex aliis terris, parum felicibus, hinc inde migrat); sed Agricola, ad *firmas sedes* profectus, *urbicola*, *sociali vita* fruens, ex omni tempore, de quo sive fabula, sive historia mentionem facit. Omnino hæc terra aliam vitam, quam civilem, pati non videtur, sed ipsosmet nomades, huc delatos, ad stabilem vitam adsuefacit.

§ XI.

Quantacunque vero sit Asiæ illa fertilitas ac varietas, tamen vel Africa propriam naturam suam tuetur, mirabilem, nobis, in vaginam gentium et institutorum vitæ inquirentibus, forte memorabiliorem, profecto industria et cura nostra non

---

(7) De qua in *nota* 4 ad § 7 uberius egimus.

minus dignam. «Nam ad magnam illam quæstionem de origine «et prima formatione civitatum, quæ hucusque fere a sola «contemplatione speculativa movebatur et ab ea tantum pen- «debat, in hac terræ parte *historice* responderi videtur. Reli- «gio, Legislatio, Jus gentium, hîc adhuc in incunabulis conspi- «ciuntur, sed non minus varie mutatæ et efformatæ; ut tamen «non minus diversimode vim suam commonstrent, quam in «homines parum cultos exercent. Magna momenta, quæ in «reliquis terræ partibus cultum humanum sive promoverunt, «sive subito cohibuerunt, nationum motus, magnæ seu culto- «rum seu ferorum populorum occupationes, religiones subito «ortæ et longe lateque provolutæ, in interiori Africa parum «effecisse videntur. Religio Mohammedica, quæ ad civitates «usque Nigri fluminis penetravit, unicum forte momentum «erat, quod extrinsecus movit illas gentes, quin tamen vel «hæc graviores exitus haberet. Quælibet ibi magis sibi con- «stant, magis a se pendent; omnia lento, sed certo gradu, «atque magis ex naturæ legibus, quam hominum, progre- «diuntur (8).»

§ XII.

Quibus auspicato præmissis, jam nostrum est, pauca de singulis Africæ regionibus atque nationibus sigillatim addere.

---

(8) Verba sunt sagacissimi illius et celeberrimi historiarum conditoris, antiquitatumque sanctiorum indagatoris, Heerenii (Ideen Th. II, 1 Abth. p. 313 sq. ubi *Golberryum* laudat diligentissimum).

Ægyptus tota pendet a Nilo, quem si jure Creatorem et Sospitatorem vocarent, eodem jure vel Constitutorem nuncupare potuerunt. Nullius terræ natura tam mirabilis est, quam Ægypti, nulla regio in tanta exiguitate tam varia. Quid itaque mirum, si vel populum deprehendimus non minus mirabilem terrâ suâ, et quasi solo suo immixtum, cumque illo unum? Exinde intelligi facillime potest, cur antiquorum alii Ægyptum ad Asiam, alii ad Africam recenserent, atque mirum non esset, si tertii propriam terræ partem ex Ægypto fecissent: est enim hæc nulli similis, et fere unica (9). Mirandæ fertilitatis planities *agriculturam* jubent; regiones nimia aqua madidæ, juxta sitæ, pascua præbent *gregumque pastores et bubulcos* tolerant; juxta hos in altissimorum steriliumque montium caveis *latrones* habitant et *Troglodytae*, qui illos infestant. Ad eos et Arabes repellendos in finibus *bellatores* adsunt; hi auctoritate divina *sacerdotum*, hominum dominorum, advocati; atque illi ipsimet ex alia terra advecti. Fœcunditatem illam Nilus creat; sed Nilum vicissim per canales ducit manus hominum et ars sacerdotum. Ubi utraque deest, ibi immensa maria sabulosa, quæ *nomades* permeant aliarum terrarum, *mercatores*, quibus raro insulæ fœcundissimæ, *Oases*, stationes et aquas suppeditant. Sic una terra et parvula diversissima hominum genera, quæ iterum mox vitæ, mox morti

---

(9) De Ægypto et Nilo et populo utriusque vide instar omnium HERODOTUM L. II; cum quo conferenda sunt omnino opera recentiorum scriptorum, eorum præcipue, qui expeditionem Ægyptiacam, duce Buonaparte subierunt: de quibus omnibus sagacissime egit HEERENIUS supra laudatus T. II. Abth. II.

proxima, et utramque sociatam continuo intuentia, pro majori varietate superioris, mediæ et inferioris Ægypti, inter se quammaxime differunt.

Quid vero loquamur de natura soli et hominum diversa, quam in aliis Africæ ejusdem partibus septentrionalibus, sive a colonis Phœnicum, sive ab indigenis habitatis, deprehendimus? Quid denique de Africæ interioris hominum generibus, terris, moribus et institutis, ubi culta omnia juxta barbara et fera uno obtutu conspiciuntur? Dies non sufficeret, si quis ea omnia narrare, seu solum scriptores recensere voluerit, et tamen Africæ pars maxima hodienum nobis, Europæis, *terra est incognita!* (10).

---

(10) Vide eundem HEERENIUM, Ideen. T. II. Abth. I.

CAPUT SECUNDUM.

DIVERSA VIVENDI RATIO HOMINUM EX DIVERSITATE TEMPORIS PETENDA, QUO VIXERUNT.

§ XIII.

Hoc caput, quod fere majoris esse ponderis videtur in explicandas constitutionum formas, quam prius, ducibus usi egregiis philosophis, paucioribus terminabimus.

Jam vero supra monuimus, genus humanum easdem temporis vicissitudines pati, quam hominem singulum; ideoque distinguendum esse a semetipso variis ætatibus, quibus extitit, et judicandum ex diverso illarum ætatum ingenio.

Laudemus itaque in nostram sententiam philosophum, qui eadem expressisse his verbis videtur (1) : « Historia cultus hu-

(1) S. Erhardtus in Encycl. philos. (interprete Dumbeckio V. C.) § 92.

« mani pari passu progreditur cum historia evolutionis terræ,
« Utriusque leges et cursus in se quadrant, atque *Mundi* vo-
« cautur *Epochae*. Quarum quidem et omnino et sigillatim
« *quator* sunt:

« I. *Totalitas nondum evoluta* — Infantia innocens;

« II. *Evolutis in Reale vergens* — Inventus valida;

« III. *Evolutio in Ideale vergens* — Ætas virilis prudens;

« IV. *Totalitas recuperata* — Senectus sapiens. »

In hac itaque rei expositione Naturam et Hominem, atque hunc in illa et ei obnoxium, ideoque congruum cum altiori ordine rerum videmus. Si vero hominem *Solum*, juxta ingenium diversorum temporum expressum desideramus; eum ab alio philosophò, si qui ejus verba et sententias Latine reddere audemus, ita pronunciatum sapientissime habebimus (2), ex natura spiritus absoluti, qui cum libertate agens, se a vinculis naturæ liberare et ad certitudinem essentiæ suæ pervenire cupiens, id quatuor hisce periodis, quæ totidem *Regna historica* sistunt, efficit.

§ XIV.

Atque hæc ferme viri philosophorum principis sententia est (§ 353 et 355): « Spiritus mundanus ille absolutus in *pri-*

(2) G. W. F. Hegelio (Grundlinien der Philosophie des Rechtes §§ 352 - 359).

ma periodo, tanquam *emanatione immediata*, principium habet formam spiritûs *substantialis*, tanquam Identitatis, in qua Individualitas absorbetur ab essentia sua, atque pro se non conspicitur ». Huic formæ respondere ait primam ætatem historicam, quam vocat REGNUM ORIENTALE; cujus ingenium sic exprimit : « Hoc primum Imperium est intuitio substantialis, ab universalitate naturæ patriarchali emanata, in se non separata; in qua regimen civile est *Theocratia;* dominus vero simul *Summus Pontifex* sive *Deus* ipse; constitutio et legislatio simul quoque *Religio* atque jussus religiosi et morales (sive potius utriusque generis consuetudines) eodem modo sunt normæ civitatis et juris (3). In prægnantia hujus Totalitatis absque jure est Individualitas et quasi in ea interit; natura extera sine medio divina est seu ornamentum Numinis, atque historia hujus mundi est Poësis (4).

Discrimina civitatum, quemadmodum vergunt in diversas partes morum, formarum imperii et civitatis, proque earum natura sese evolvunt in morum illa simplicitate; non leges evadunt, sed cæremoniæ inertes, multiplices, superstitiosæ — transeunt in dominatum singulorum et voluntarium atque distinctio hominum per certos Ordines in firmas castas abit a se plane alienas. Civitas itaque orientalis vitam suam solo

---

(3) Confer ea, quæ ipsi supra diximus § 9. Cap. II, Libri I. Hoc tamen loco monemus, illum oblitum esse in hac expositione *Despotismi orientalis :* vide infra L. III. C. I. § 4, coll. §. 5.

(4) Hæc poësis vero adcuratius definiri debuit. Scimus enim, vel apud Græcos propriam naturam fuisse Poësin seu μουσικὴν illam.

motu suo manifestat, qui quum in illa nihil fere constantiæ inest, id vero, quod firmum videtur, iners deprehenditur; extrinsecus exit atque in pugnas elementares et destructrices degenerat; quies illa intrinseca est vitæ moribundæ similis atque continuo labens marcescit ac languescit».

§ XV.

Porro ille sic pergit (§ 353 et 356): «Principium alterum est conscientia hujus spiritus substantialis, ita ut hic sit illius summa positiva atque confectio et causa sui, tanquam viva forma illius, Individualitas illa pulcra ethica». Hac forma exprimi ætatem alteram historicam autumat, quam REGNUM GRÆCUM adpellat. «Hoc regnum Unitatem substantialem illam finiti et infiniti fundamentum habet suum, mysteriosum tamen atque memoriâ incertâ, in symbolis traditionis consepultum, quæ e spiritu sui conscio ad spiritualitatem individualem atque in lucem scientiæ enata, facta est Pulchritudo et libera et serena illa Ethica. In hac igitur natura principium individualitatis hominis singuli sibi oritur, adhuc non in se ipso captum, sed Unitate ideali sua sublevatum. Hanc ob causam partim totalitas illa spiritus dilabitur in cyclum spirituum popularium singularium; partim sive voluntas ultima et extrema nondum posita est in subjectivitate conscientiæ sibi soli existentis; sed in potestate quadam altiori et extrinseca : sive ex altera parte Singularitas necessitati obnoxia nondum in orbem libertatis recepta est, sed exclusa in orbe servitutis adparet».

§ XVI.

Tertiæ ætatis principium hoc esse statuit (§ 353 et 357): « Ut illa Causa sui, illa Aseitas de se certior ac sui compos, in propriam naturam suam descendens, ad *Universalitatem abstractam* (sit venia his verbis atque similibus), talique modo ad infinitam antithesin objectivitatis, eapropter omni spiritu orbatæ, perveniat. » Hanc ætatem tertiam nuncupat Regnum Romanum; in quo hæc indoles deprehendatur : « Distinctio spiritus illius ad usque infinitam distractionem vitæ ethicæ in extremas partes conscientiæ privatæ *individualis* et *abstractae universalitatis* conficitur. Antithesis ex intuitione subtantiali Aristocratiæ cujusdam, contra principium liberæ individualitatis in forma quadam Democratica, sese evolvit; versus illam partem, in superstitionem atque conservationem dominatûs cujusdam frigidi atque quævis adpetentis; versus hanc vero alteram, ad perditionem fæcis populi : totalitatis vero diluitio miseria universali atque morte vitæ civilis terminatur, qua individualitates populorum intereunt in unitate Panthei cujusdam; individui autem omnes et singuli personæ privatæ, sibique formali quodam jure æquales, evadunt, quas eapropter voluntas abstracta, temeraria, fortuitumque arbitrium, sine consilio et fine, continet atque coërcet. »

§ XVII.

Quarta denique epocha hoc principio innititur (§ 353 et 358): « ut illa spiritus antithesis ita convertatur et commute-

tur, ut in interiori natura sua de veritate et essentia sua certior atque in objectivitate velut indigena fiat cumque ea concilietur; et quoniam hic spiritus ad primigeniam substantialitatem reversus, simul etiam ex infinita antithesi illa rediit, hancce veritatem suam tanquam cogitationem et mundum existentiæ legitimæ procreet atque pernoscat.» Hanc ætatem quartam vocat GERMANICAM; quam ita ait ortam : «Spiritus, se atque mundo existentiæ suæ privatus et immenso hoc dolore contritus (quem populus Israel expressit) atque ad extremas partes, quasi tropicas suas, nempe ad absolutam *negativitatem* coactus, eaque in se ipsum retorsus, eo ipso naturæ suæ interioris absolutam vim (quasi *positivitatem*) suam concepit, principium nimirum unitatis naturæ divinæ atque humanæ, pacem illam divinam et reconciliationem veritatis et libertatis, intra conscientiam et subjectivitatem suam manifestatæ; quæ ipsa elemento septentrionali populorum Germanicorum conficienda demandata est.»

§ XVIII.

Prima ætas historica simul est prima epocha formarum civitatis : quæ præter illum despotismum hierarchicum vix ullam aliam formam vidit (de exceptione quadam fere unica infra videbimus) et quæ, quum in Asia et Africa fere sola deprehendatur, *Orientalis* eodem jure vocari potest.

Reliquis epochis historicis totidem tempora formarum respondent, quas uno vocabulo *Occidentales* nominare possumus, quibus Europa fere sola vindicata est, quum hæc, ipsa naturæ

indole, non alias fere formas progenerat et alit, quam eas, quas plus minus liberas vocamus.

Quoniam vero libertas propria spiritus natura est; hic autem spiritus non subito, sed temporum decursu atque exercitatione diuturna colitur, augetur atque versus perfectionem suam progreditur; altera tamen ex parte in itinere suo naturæ, cui obnoxius est, difficultatibus impeditur, hæc denique impedimenta pro vario spatio locisque diversis sive majora sunt, sive minora : sequitur, illas formas non æque perfectas ac liberas esse omni tempore posse, ideoque gradu esse diversas debere; quos iterum gradus nemo certis verbis exprimere eapropter potest, quoniam in sese alter in alterum ita transeunt ac invicem miscentur, ut fluctus maris inquieti, qui licet omni momento certam formam habent, tamen eam quovis nutu cum aliâ commutant. Est autem vita civilis fluctibus simillima atque ii solum motus vita nuncupari possunt.

XIX.

Videamus, utrum hanc sententiam exemplis aliquot collustrare possimus. Formas itaque regiminis pendere a vi quadam extrinseca diximus. Respublicæ *liberae* omnes, *majores* nimirum, ab initio ad nostrum tempus, *occupatrices* factæ sunt, si eas locorum situs non impedivit : Carthago et Roma, Athenæ et Sparta, Venetiæ et Genua et nuper Gallia. Sed aliæ sunt *mercatrices*, aliæ *militares*, aliæ solum *agricolae*. Quanta vero in hac triplicitate diversitas! Porro vel *origo* earum diversa est; consuetudines autem antiquæ et ingenium innatum

continuo vim habent. Apud alias oritur *Aristocratia* in *agrorum* possessione innixa; apud alios *virtus bellica* Optimates efficit; apud alias illa et hæc eam coëfficiunt. Aliæ *liberae* sunt *sub regibus* (Sparta, Carthago, Phœnices), aliæ *sine* regibus; aliæ sunt meletema utriusque (Roma consularis). Aliæ, *exiguae*, vix stare possunt, atque deest, quo se extendant (Phœnices); aliæ expressis legibus *suae terrae adstringuntur* (Hebræi per Mosen); aliæ *amplae* sunt et *ultra se extendunt* (Carthago, Roma). Aliæ solum *terrâ* potentes fieri possunt (Sparta); aliæ solum *mari* (Athenæ, Venetiæ). *Mercatrices* cum summa cautione procedunt, continuo se defendunt (Carthago); aliæ, *militares*, *occupatum* exeunt, victrices redeunt, reliquas subjugant (Roma); aliæ bellum gerunt quasi tempus terendi causa (Germanicæ); aliæ propter rapinam alias invadunt, devastant, se recipiunt (Scythæ); aliæ in occupata terra persistunt, tributa exigunt, in rebus nihil mutant (Persæ) (5). Sed ex his omnibus lineis, juxta variam earum compositionem et ordinationem, continuo novæ formæ oriuntur; et quo magis in hunc labyrinthum descendamus, eo difficilior est exitus. Elementa quævis formæ cujusvis totidem semina sunt in fœcundum solum immissa, ex quibus fruges centuplices enascuntur.

---

(5) Conf. ZIMMERMANN geographische Geschichte des Menschen; præs. B. I. p. 78.

CAPUT TERTIUM.

DE IIS QUÆ OMNINO NECESSARIA SUNT AD JUSTAM FORMAM CIVILEM CONSTITUENDAM, ALIISQUE EJUS GENERIS REBUS.

§ XX.

In gente omnino inculta et barbara nulla est norma vitæ civilis, non magis, quam si quis cultum apud incultos quæsierit. Cultus ipse præparabatur suapte sponte et duce natura, nexu nimirum familiari et adfinitatis; atque ubi hic nexus amplior et cultior deprehenditur, ibi etiam vitæ civilis, parva licet, initia conspiciuntur, ut supra dictum est. Et quo arctius inter se cohærebant familiæ illæ numerosæ et vetustæ, quo diutius unum mundum et quasi unam familiam effecerunt, eo magis ad vitæ cultum, simplicissimum certe, promovebantur. Mutuus enim amor, pax continua, vota omnium et cupidines ab una voluntate coërcebantur, sive, ut cum sacris bibliis loquamur, *una lingua* erat, neque loquebantur simul

plures, neque voluere diversa sibique opposita (1). Ubi vero patria potestas omnes rexit (quanta enim illa fuerit, nemo ignorat (2); ibi regulæ paucissimæ, et pro simplicitate morum maxime simplices, de quibus rationem reddere nemo potuit, quas nemo curavit præter eum, qui eas, unoquoque momento, et pro natura rerum varias, jusserat (3). Nam adcurate distinguendum est inter formas patriarchales vitæ nomadicæ et civiles quasdam institutiones, quæ solummodo oriri in nationibus possunt, quæ ad vitam stabilem, ad firmas sedes adsuefactæ et quasi adstrictæ, terrarum quandam proprietatem habent. In vita nomadica illa et pastorum existit quidem certa possessio rerum, pecorum nempe et pascuorum, quarum illa personas certas, hæc totam stemmatis communionem respi-

(1) Cfr. Genes. c. XI. v. 5, coll. v. 6.

(2) Præter ea, quæ jam supra adduximus, vide Genes. c. XXXVIII. coll. Odys. HOMERI IX, 107. PLATO De Legg. III. p. 806. CÆSAR De B. G. VI. 17 et § 14 nostro.

(3) Perinde verum est, quod JUSTINUS Histor. I. 1 narrat : « principio rerum gentium nationumque imperium penes *reges* fuisse; » si vero addit : « eos ad fastigium hujus majestatis non ambitionem popularem, sed spectatam inter bonos moderationem provexisse » — loquitur ut homo posterioris ætatis, qui antiquitatis ingenium purum non perspexit. Obloquitur enim ipse sibi, dum ait : « Populus nullis legibus tenebatur : arbitria principum pro legibus erant. » Vera hæc, sed non congruentia cum iis, quæ ante dixit : nullum enim discrimen temporum novit, ut statim ex sequentibus iterum patet : « Fines imperii tueri magis, quam proferre mos erat, intra suam cuique patriam regna finiebantur. » Vera sunt et falsa simul hæc : vera, si de *patriarchali;* falsa, si de *despotico* imperio usurpantur, ut infra demonstrabimus (coll. Lib. II. c. II. § 9 nostro).

ciunt : sed primum negotia vitæ ejusmodi tam facilia sunt atque simplicia, ut neutiquam perducere possint hominem ad explicandas omnes animi facultates; deinde jura, quæ ex ejusmodi proprietate promanant, tam parum sunt complicata, ut patrisfamilias æqua auctoritas sine omni controversia rixas exinde ortas decidere possit; denique ejusmodi proprietas plane pendet a momento nullamque certitudinem et firmitatem obtinet; tum quia pecora illa non sunt *singulorum* hominum, sed totarum quarumdam familiarum minorum; tum vero etiam, quia depastis pascuis in alia loca migrandum, novaque, in incertum tempus, communi auxilio, quærenda sunt.

§ XXI.

Quid itaque mirum, si hæc eadem ratio inter has easdem sive similes nationes, constanter, omni tempore et in locis omnibus, ab initio ad nostram ætatem, semper fuerat? Speramus fore, ut exemplo in medium prolato de hac sententia nostra nemo dubitet : quod exemplum, si ex nostris ipsismet temporibus sumserimus, majorem vim ex hac ipsa re obtinebit.

Hæc natio, quam describere paucissimis volumus, est natio Tartarica, in Chersoneso Taurica, tempore *Catharinae II*, Russorum autocratricis, et hodienum vigens.

Per sæcula hi Tartari degerunt, natio rudis sed innocens, integra, nomas, cum simplicitate morum patriarchali, munda et libera a vitiis cultorum hominum, æque aliena a vitæ illecebris et incommodis aliorum. Leges ipsis paucæ, a patribus acceptæ, consuetudines et normæ viva voce traditæ. Fuerunt ho-

mines fortes et robusti, bellorum amantes, quæ ipsis præter pecora pascenda, sola fuere negotia. In bello et pace caput habuere idem, Chanum, ex ipsorum medio, gente tamen vetusta, sumtum, qui obiens vel successorem, comprobante semper Sultano Turca, cujus sùprematum agnoscit, nominavit. Hoc solum caput, propter rationes certas, quibus cum imperio Ottomanico cohærebat, non plane independens erat, atque licet destitui a principe posset, vita privari nequibat. Attamen hæc Chani dependentia nullam vim in nationem reliquam habuit. Paterfamilias quisque liber erat; familiæ plures communitatem effecerunt; natu maximus atque virtutibus præcellens patrumfamilias, quasi suo jure, belli dux et judex erat pacis. Communiones plures *Stemma* fuerunt, cujus caput eodem modo natu maximus et maxime spectabilis illarum communitatum fuit, penes quem summa erat totius stemmatis potestas. Capita omnia stemmatum universorum summum et sanctissimum collegium (Divan) fuere, absque quorum consilio nihil in hac republica, quod gravioris momenti esset, a Chano fieri potuit. In hoc collegio a Chano non convocato, natu maximus reliquorum, sive eo quoque absente, natu alter hoc officio fungebatur et hac potestate utebatur. Legum quoque exsecutio atque quivis actus alius potestatis, jure hereditario, electis viris demandata erat, munerumque publicorum sapiens quædam distributio impedivit omnes, quominus illa auctoritate abuterentur. Gentes nobiles, quasi Patriciæ (Myrsas dictæ) juxta varios gradus diversos habuere honores atque dignitates, quibus sensus honestatis atque decori in illis alebatur; sed neminem quisquam subditorum quemdam premere potuit. Omnino et potestas et auctoritas summa continuo apud senes erat, experientia diuturna, prudentia et moderatione temperatos.

Neque tamen hæc constitutio *arte facta*, sed ex rebus et temporibus, i. e. ex statu patriarchali *nata* erat, atque temporum decursu et necessitate suadente ad varia instituta eos natura duxit, quæ diuturnitate temporis et longa observatione cara et sacra ipsis fiebant. Inde ex antiquissimis ætatibus nulla ullius insurrectionis contra principes, nulla ullius defectionis a constitutione memoria; crimina graviora inter hos Tartaros rarissima.

Nam familia quævis, et quævis communitas ex inde antiquitate summa sive pascua, sive terras arabiles sibi suas habuit. Pars eorum agricola fuit, pars altera et major intra terminos præscriptos nomas vagabatur. Totæ divitiæ in pecoribus erant. A ducibus ad arma vocati, omnes præsto erant. Sorte eligebantur illi, qui foras bellare, seu in patria manere ad defendendas mulieres, liberos, greges deberent; vel his æqua pars prædæ dabatur. In bellis et in hostes feroces, omnia igne et ense devastarunt, victos in servitutem abduxerunt, servos autem clementer tractaverunt. Invicem justi, in peregrinos hospitalitate omni fuere, vim et dominationem nullam patiebantur (4).

§ XXII.

In hac vero, licet simplicissima vitæ ratione, triplex tamen

(4) De hac re vid. DOHM Denkwuerdigkeiten cet. Lemgo u. Hanover 1815. III. 8, T. II. c. 10, atque opp. ab eo laudata : Mémoires sur les Turcs et les Tartares par le B. DE TOTT. II Voll. PEYSSONEL Observ. sur les mém. de TOTT, atque Traité sur la mer noire.

inest indoles, *pastorum* nimirum (seu nomadum proprie dictorum; quorum quidem in hac natione elementum prævalet, a nobis satis expositum), deinde *bellatorum*, tum *agricolarum*. Hæc nos ducere potest ad ulteriorem inquisitionem nostram, quam nunc aggredimur.

Primum quidem non *tria* hæc elementa simul in omnibus gentibus sunt, nec esse debent; deinde etiam non unum excluditur altero, ut videbamus; tum sive necessitas defensionis, sive terrarum indoles, sive crescens hominum copia, tempora et vicissitudines rerum unum alterumve, sive duo simul, sive omnia unâ procreant; denique hæc elementa, ubi omnia deprehenduntur, sive magis pronuntiata existunt atque certas incolarum classes efficiunt (quarum in unaquaque plures esse satis diversæ possunt); sive etiam ita inter se mixta sunt et in sese transeunt atque velut invicem a se absorbentur, ut difficile sit, alterum ab altero discernere atque existentiam omnium adcurate probare (5).

---

(5) Confer § nostrum 14, simulque vide Herod. Histor. Ægypt. II. 164, ubi proprie V hominum genera: *Sacerdotum*, *Militum*, *Pastorum*, *Institorum*, *Navium gubernatorum*. Sed pastores pro soli diversa natura erant sive *Bubulci* sive *Subulci*, Navigatores Nili natura provocavit, atque eo tempore, quo Græci frequentavere Ægyptum, vel septimum genus *Interpretum* accedebat. Apud Indos eodem modo occurrunt I Nobiliores s. Regenerati, per tria genera: *Brahmanorum*, *Bellatorum* (Ketri) et *Agricolarum* (Vaisya), qui simul artifices et opifices complectebantur: II Ignobiliorum seu *Semel natorum*, qui quartam classem effecerunt, *Servorum* (Sudra dictorum), in quibus iterum species LXXXIV *impuræ* juxta varios gradus erant. Vid. Heeren Ideen. T. I. Abth. I. p. 358 sqq.

§ XXIII.

Quo magis hæc diversa elementa in se transeunt, eo magis cultus quidam hominum progreditur; eo magis æqualitas jurium et libertas omnium præparatur; donec denique tota vita civilis ex omnibus elementis ita constat, ut nulli amplius termini, nulla separatio existat, atque omnium elementorum æquabilitas in unitate constitutionis cujusdam nobilioris compareat.

Est autem longum iter et aspera via, quæ ad hanc perfectionem ducit, atque opus est longo tempore, longa exercitatione virium, multisque bellis et egregio animi cultu antequam ad hanc metam sine discordiis et tergiversationibus universi concurrant; quod fieri non potest, nisi posthabito privatorum commodorum studio atque relicta parte libertatis individualis, omnia ex sensu altiori et propter communem libertatem universorum fiunt; ad quam rem bonæ leges ducere, sed quam integri mores populares soli obtinere possunt.

§ XXIV.

Nostrum est, ut hoc iter suscipiamus, viamque muniamus atque demonstremus, quam ingressi et constanter secuti, homines permigrarint, additis temporum et naturæ vicissitudinibus, ducumque consiliis et conatibus, ætatumque ingenio.

Patriarchalis illa simplicitas et quies primum magnas mutationes passa est eo ut, cum hominum multitudo in gentium

patria continuo cresceret, spatium vero et pascua non simul augerentur, ager autem, etiamsi sponte sua ibi locorum multum ederet, nondum coleretur, ut sequeretur illa confusio linguarum sive potius (aliam enim hic locus sacrarum literarum interpretationem probabilem non patitur) dissensio et discordia, quibus familiæ divulsæ in alias regiones discesserunt novasque ibi societates constituerunt.

Hoc vero rerum intuitu non amplius illa valuit ratio obedientiæ meræ et involuntariæ, quam patriarchis habuerunt; sed ortæ discordiæ, priusquam discessum est in incognitas terras, armis decidebantur. Igitur circumspiciendum erat, si quem ducem fortem armorumque peritum consiliique plenum invenirent, cui deferre summam rem possent, natu ille esset maximus, nec ne.

Porro ubi pars migrans in aliam terram venerat, eam sive ab hominibus, sive a bestiis occupatam deprehendit atque hæc quoque necessitas fortissimo cuique frena reipublicæ constituendæ dedit.

Inde hereditaria illa potestas patriarcharum ab electione suspensa fiebat ita, ut si quem nacti ducem haud idoneum essent, alium in ejus locum substituerent, destituto inerti et inepto duce. Exemplum est, ut taceamus alia eaque plurima, in ipsa *Thesei* ejusque filii historia (6). Sacræ quoque literæ *Nimrodum* primum adpellant, qui in terra potens fuisset (7); sed simul

(6) Vid. Schol. *Platon.* p. 201 ed. RUHNKEN.

(7) Genes. X. 8.

expressis verbis addunt, ipsum *fortem* fuisse *venatorem* (8). In hac enim virtute potentiæ et mox potestatis causa posita erat. Germani quoque antiqui, « Regem ex *nobilitate*, ducem *ex virtute* sumserunt (9), atque *Aristoteles* multis locis tradit, *optimos* fuisse electos antiquitus, qui civitatibus præessent (1). Denique vel *Dejocis* exemplum, supra laudatum, huc pertinet. (2).

§ XXV.

Circa hanc novam rationem triplex est, quod teneamus.

I. Non semper electos fuisse a popularibus ejusmodi duces, sed sæpissime ipsosmet sese, sua auctoritate, sive artibus variis, seu vi armorum, totius nationis reges constituisse. Ex qua re nova et propria forma regiminis orta est.

II. In societatibus hoc modo constitutis continuo prima elementa originis plus minus perstitisse. Quapropter vel patriarchas illos vetustos magna auctoritate juxta duces usos fuisse videmus, quorum consiliis illi utebantur.

III. Electos quoque reges seu duces constanter fuisse sum-

---

(8) Ibidem v. 9.

(9) TACIT. Germania c. 7.

(1) In Polit. III. c. 14 p. 450, c. 15 p. 452. V. c. 10 p. 506. Huc referendus CICERO quoque de Legg. III. 2; de Offic. II. 12.

(2) HEROD. I. 97 sq.

tos ex gentibus nobilioribus atque validioribus, licet non certa quædam et jure primogenituræ constituta successio observaretur. Quas tres nostras sententias unaquæque pagina historiæ vetustæ veras testatur (3).

§ XXVI.

Multo majores vicissitudines subiit prima illa ratio invento et introducto agrorum cultu. Interea enim alii exierunt ad novas terras sibi quærendas et occupandas, continuo nomades, pastores, venatores, bellatores seu latrones; naturæ ipsa ubertas et spontanea fertilitas eos, qui in gentium patria manserant, dum ea dona ipsis sua ultro largiebatur, ad agrum colendum evocavit (4), tum quia ii, qui in patria permanere queunt, sed in dies frequentiores evadunt, non facile exeunt, potius

---

(3) Unde patet, errasse Jacobum Rau, qui de monarchia, optimâ formâ regiminis scribens, a primis, ait, initiis omne imperium in civitate constitutum fuisse absolutum, nullisque *pactionibus* (certe, sed consuetudine sacra!) limitatum. Vid. ejus c. V. ab init.

(4) Si vero natura agriculturam non suadet, nemo nationes in ea vagantes ad eam coget (ut historia Pœnorum docet). Neque etiam satis est, ut colatur ager ab hominibus hoc modo coactis; sed hi mutuis legibus invicem coërceri atque, ut continentur ex una, sic distineri ab altera parte debent: quod ni factum fuerit, ejusmodi societates sortem Mauretanorum patientur, quos *Masinissa* in unum locum cogere quidem potuit, sed qui captis armis mutuis se bellis confecerunt, terramque bestiis reliquerunt. Strabo p. 833.

consuetam vitam continuare amant; tum vero etiam, quoniam tanta hominum copia, cui opes nullæ aliæ quam greges sunt, unde eorum sustentatio immensa terrarum spatia expostulat, existere nequeunt, si non manu et arte sua vitæ sustentandæ media augeant; tum denique, quoniam a circumjacentibus hostibus, qui jam reliquas terras confines ipsi tenent, impediuntur, quominus longius vagari possint (5).

Ortam vero agriculturam vitæ rationes aliæ sequuntur. Primum adstringuntur ad loca certa, ibique constanter permanere debent; vagantibus non amplius spatium est, gregum numerus diminuitur, atque in domestica animalia mutatur; homines ad vitam stabilem transeunt atque tentoria eorum in domos et firmas ædes mutantur; ager, quem quisque sua industria colit, ejus quoque proprietas evadit, singuli homines magis sui juris fiunt, quam potestatis communitatis cujusdam (6): hæc vero possessio contra aliorum, exterorum, conatus defendi debet; atque oriuntur villæ, vici, oppida, munitæ urbes; possessio illa jura procreat; in jure suo quisque immunis esse vult atque securus ab adpetitu alterius, in eodem spatio habitantis; unde normæ et regulæ civiles, omnino societates certis legibus or-

(5) Iterum *Nimrodus* ille, ubi tantam copiam nomadicarum gentium moderamini suo commissam vidit, fertur sensisse, ei multitudini hanc vitæ rationem non esse adcommodatam, unde eum agriculturam homines docuisse dicunt, eosque ad firmas sedes adsuefecisse.

(6) Ea propter antiqui scriptores una voce narrant, principes agrorum divisiones instituisse. Vid. HOMERI hæc veba : *καὶ νηοὺς ποίησε θεῶν καὶ ἐδάσσατ' ἀρούραν.* Cfr. MARTINI Histoire de la Chine, I. p. 18. f. 295 sq. et Histoire des Indes T. I. p. 48, 188.

dinatæ, seu civitates oriuntur. Inde itaque comitia civium et princeps rector enascuntur simul cum constitutione. Hæc tamen in populo solum agricola et fere barbaro maxime simplex et quasi juxta elementa sua modo delineata.

Porro oriuntur nunc justa matrimonia ac certæ inter conjuges et liberos rationes; socii et sociæ variarum familiarum inter se commiscentur, peregrini quoque accedunt, communitates crescunt magis magisque, stemmatum ratio prima desinit cum patriarchis, omnes in familiam quandam majorem confluunt, qam non sanguinis, sed jurium nexus continet; atque sic oriuntur relationes diversæ inter incolas unius civitatis una, et inter subditos et principes altera ex parte.

§ XXVII.

Hæc jura, ac igitur hæ quoque leges multiplices evadunt jam per ipsam originem, quam illæ civitates ceperunt: unde consequens est, inquiri in originem harum civitatum et exponi novum gubernandi modum, qui ea efficiebatur.

Hæ itaque *urbes* (Græcis πολεῖς, media ætate scribentibus *Burga*, Germanicis nationibus Stædte, aliis etiam *civitates*, *citys*, omnibus vero prægnantissimo vocabulo dictæ) oriri solebant ex *castris* sive pastorum et nomadum, sive militum ita, ut quod spatium illi pecoribus, hi vero militibus complerunt, id etiam urbis ambitum, eumque eâdem formâ et constructione complecteretur: illa enim castra primum vallis et munitionibus, mox urgente necessitate mœnibus circumdata

sunt, intra quæ primum tentoria, postea domus tutæ essent. In mediis castris sive prætorium sive simul cum eo deorum simulacra, postea templa et ædes publicæ exstructæ fuerunt; quæ res cum forma quadrata urbium, earumque immensa amplitudine, simulque mœnibus triplicibus seu nonnunquam septemplicibus, altis et latis adeo, ut in iis defensores consistere possent, ubicunque obviam est.

Quum itaque ejusmodi castra sive magnos exercitus, sive numerosa stemmata cum pecoribus et pascuis ad ea alenda necessariis, includebant, ipsæ quoque frequentes esse et totum quendam populum capere potuerunt, quorum socii cives, quasi in unum locum *adsciti*, vocabantur, atque propriam civitatem cum ambitu suo, qui agros complectebatur, confecerunt. Superfluum ducimus, laudare hujus rei exempla, quorum nubes prostat in omnium populorum antiquorum historiis.

Sed hæc urbium origo sedulo distinguenda est ab origine alîus generis. Civitates enim vetustæ fere ad unam omnes multas eduxere *colonias*, ipsisque loca indicaverunt, ubi considere deberent. Hi coloni itaque urbes etiam condiderunt, sed non frequentes, plurimam vero partem perexiguas. In his itaque alia vitæ ratio oriebatur, quam in illis; hæ continuo nexum quendam (pietatis semper) cum matribus retinuerunt, atque instituta et mores religionesque matrum simul cum artibus, scientiis aliisque cultus humani generibus secum asportarunt; præsertim autem eandem rei publice gerendæ formam servarunt, quæ in patria antiqua obtinuerat; atque omnino in agricultura innixæ fuere; unde alia plane vitæ ratio, aliæ cum ci-

vitatibus et inter ipsas relationes et plurimam partem *civilis quaedam libertas* deprehenditur, qua toto cœlo ab illis discrepant. De his vero in § 30 et seqq. sermo erit: de aliis earumque forma civili inferius (§ 38) agemus.

§ XXVIII.

Agriculturam introductam et terrarum divisiones, ac inde ortam proprietatem singulorum uberrimum fontem legum factam esse, ex quibus iterum leges aliæ innumeræ, quasi rivuli manarunt, nemo est, qui dubitet, atque ipse *Aristoteles* de hac re uberius agit (7). Cavendum enim erat in prima statim divisione, ne quis ultra, quam concessum erat, sibi agros vindicaret; prospiciendum erat, ne agricultura, semel introducta, talique modo vitæ fere unica conditio facta, negligeretur atque ne deessent ad agros colendos instrumenta necessaria, unde iterum inventa innumera, et tota ars manuaria. Ex hac iterum rationes permultæ in societate humana ortæ et complura jura ac ex iis leges continuo novæ.

Ex artibus his novæ artes, ex inventis inventa nova, ex his simul atque agricultura oriebantur tum inter cives unius nationis, tum cum peregrinis commercia : hæc ex variis necessitatibus atque ex his iterum variæ cupidines. Quis vero narrare omnia potest? Uno verbo, nunc homo unus sine toto fere hominum genere non amplius existere potuit. Fraus et rixæ no-

(7) Polit. L. VI. c. 4. p. 524.

vos legum terminos, mercatura iterum novas vias, nova auxilia, proprium genus hominum expostulavit. Ab initio merces cum mercibus commutabantur, mox numus permutationis novum auxilium factum est; unde novæ iterum leges oriebantur — non solum inter mercantes ipsosmet, sed etiam inter populos universos.

§ XXIX.

Bellis illis occupationum, coloniis eductis, gentium e vagina communi migrationibus atque hisce ipsismet commerciis nulla amplius natio solitaria mansit, sed oriebantur inter diversas rationes quoque variæ. Hæ vero nec oriri, nec tutæ esse potuerunt hominum auxilio; sed fiebant in auxilium vocatis numinibus, unde religio cum legibus suis egregiam et magnam vim constanter exercebat in populos diversos : atque populorum conjunctio alio modo nec oriri, nec persistere potuit, quam religionis sacramento. Sic itaque ratio quoque politica inter nationes ex eadem agricultura orta est. Non enim solum in sua civitate securus esse civis a civium injuria vult; sed id quoque agit, ut vi publica contra peregrinas se tueatur. Hæc tutela pendet sive a civitatis amplitudine et incolarum copia, sive ab usu rerum, quas terra patria procreat, ideoque a justa administratione earum; cujus itaque nemo est, quin particeps esse velit. Hanc securitatem gentibus nomadibus, quæ se defendere non potuerunt, fuga præbuit; fugere autem populi stabiles non possunt sine maximo periculo existentiæ suæ. Ideoque defendere se debuerunt in eo loco, quem habitaverunt; quæ defensio ipsis sensum mutuorum auxiliorum et sensum quendam publicum et popularem indidit, quem iterum caput seu capita

plura moderabantur ac sapientia sua direxerunt. Hæ itaque simul res veræ cuidam formæ regiminis initia dederunt (8). Firmæ igitur sedes firmiorem quoque rerum administrationem creaverunt, atque hoc modo *hereditariam* simul *potestatem* imperantium præparaverunt; sine qua illa rerum constantia, illa civitatum vix cœptarum ab aliis defensio non facile fieri potuit (9).

§ XXX.

« Hæc urbium origo, ut *Heerenii* verbis utamur (1), est fons uberrimus, et (uti est vero simillimum) unicus et communis omnium constitutionum antiquitatis earum, quas *liberas* (republicaines) vocamus, quarum vestigia sunt in omni historia vetusta.

I. Omnes vero Respublicæ liberæ antiqui orbis, quatenus eas novimus, sine ulla exceptione, ab origine solummodo *urbes* fuere, cum ambitu quævis suo, hancque imaginem continuo retinebant, etiamsi summum potentiæ et auctoritatis fastigium adeptæ fuerint (civitates Phœnices, Græciæ et Italiæ omnes) : quæ quidem res, juxta ea, quæ supra a nobis prolata

---

(8) Plato L. III et IV Polit. a conditis urbibus totam rationem politicam cœpisse probat.

(9) Cfr. Plato in Critia p. 1103. Herodot. VI. 7. Aristot. Rep. III. 14, p. 337. Polyb. VI. init. Strabo XV. p. 1036. Pausan. II. c. 34.

(1) Ideen Th. I. Abth. I, p. 9 sqq.

sunt, intellectu est facillima; dum altera ex parte vix probabile cuiquam videbitur, totum quendam populum, super maximis terris extensum, ejusmodi *liberam* constitutionem sibi dare potuisse; unde in universa antiquitate ne unum quidem exemplum prostat ejusmodi *liberae* et *individuae* reipublicæ, recentioribus collaudatæ.»

II. «Neque vero etiam minus facile est visu, eas respublicas liberas summæ esse potuisse varietatis, atque unam alteramve sæpe potentissimam fieri potuisse (Roma, Carthago, Athenæ et Sparta exemplo esse possunt). Summa quidem constitutionis (la loi fondamentale) ex elementis suis primariis necessario fere eadem erit omnibus. Ubi enim ejusdem communitatis socii civitatem constituunt, ibi etiam *civium conventus* non deerunt de summa re, quæ omnibus cordi est, acturi communi consilio. Deinde, quoniam omnes cives ejusdem urbis incolæ sunt, atque socii ejusdem communitatis, *omnes* quoque *ipsi* in conciliis illis aderunt; unde facile explicatur, quomodo factum sit, ut antiqui illud *systema repraesentationum* recentiorum ignorarint (2)? Tum quia ejusmodi conven-

---

(2) Hæc civitatum tenuitas, quæ multum fecit ad libertatem singulorum eorumque jura tuenda, etiam aliàs videre est. Sic sola regio Sodomitica *quinque* reges habuit; Israelitis in Palæstinam euntibus nubes regum obviam fuit; modicum ab initio Assyriorum erat imperium. Vid. JUSTIN. l. I. DION. HAL. A. Rom. I. p. 2. coll. Genesi XIV. 4. De multitudine popellorum Italicorum ante Romanos dominos vix est, cur loquamur; neque minus notum est, omnes et singulos imaginem ostendisse Romæ veteris; in una Hetruria regnatum fuisse simul a Duodecim nemo nescit; quantus fuerit numerus popellorum Galliæ et Germaniæ, totus TACITI de Morib.

tus frequentius eapropter fieri non possunt, quoniam sive res multæ levioris notæ et quotidianæ tractandæ sunt, sive quoniam communitas ipsa *experientia* indiget *sapientiorum virorum;* sequitur jam mature oriri debuisse *Senatum* quendam, seu quo alio nomine veteres ejusmodi collegium vocaverunt, qui ex *optimis* civibus sumtus propriam classem in civitate confecit. »

III. « Quoniam denique non unus omnia potest, varia vero

Germ. liber atque CÆSARIS Commentarii De B. G. testes sunt. Eodem modo in Græcia complures, ante bellum Trojanum et postea, extitere civitates. Sic in Thessalia civitates et reges fuere *decem*. In Hellade Bœotii quinos habuere regulos; apud Minyes, Locros, Athenienses et Phocenses, singulos, regnatum est. In Peloponneso Argos, Mycenæ, Sparta, Pylus, Elis et Arcadia regna fuere totidem; in sola Elide quatuor numerabantur principes. Insulæ quoque complures propria habuere capita sua: *Odysseus* in Ithaca, Zazyntho, Cephallene et Epiro; *Idomeneus* in Creta; *Ajax* in Salamine dominabantur; *Abantes* in Eubœa; reges in insulis Rhodi, Coi, Æginæ perhibentur. Vide HEERENII Ideen, Th. III. Abth. I, p. 122. Ejusmodi regna non ampla esse potuisse, ex multitudine eorum colligendum est: cujus rei veritatem vel traditio testatur pervetusta. Nam *Cecropem*, ubi per lapides a singulis congestis cives numeraret, eorum non nisi XX millia invenisse, historia tradit. De Sinensibus vid. GOGUETUS Histoire de la Chine T. I. L. I. p. 30. Hujus vero rei causam hanc conjicimus: Nomades nationes, ubi ad agri cultum se adcommodaverint, discessisse *per stemmata* singula ita, ut stemma quodlibet *proprium populum* efficeret postea. Hæc tamen non dicta sunto de illis, qui per *colonias* migrarunt ex metropoli; licet vel hi, necessario, præter *indigenas*, ad quos venerunt, proprios popellos efficere deberent. Inferius nobis copia erit demonstrandi, immensam extensionem regnorum Asiaticorum eodem modo causam fuisse Despotismi absoluti, ut exiguitas harum civitatum causa esset libertatis majoris.

munera administrationis *singulos* viros expetunt; non minus consequens est, *magsitratus* oriri (quomodocumque adpellatos) debuisse, majori minorive *potestate* donatos. *Comitia* igitur, *Senatus*, *Magistratus* elementa sunt omnium : quamquam eorum potestas, efficacia, civiumque æqualitas major minorve, eorumque opes, ditiorum arrogantia, nobiliumque usurpatio in his rebus summam, quæ cogitari potest, formæ diversitatem creare possunt, quæ sive optimatibus, sive civibus inferiorum classium plus minus favet; unde hæ formæ liberæ suapte sponte dilabuntur bifariam, in *Aristocratias* et *Democratias*, quas vocant : quæ iterum pro ratione electionis magistratuum, numerique Senatorum et compositionis eorum, aliisque rebus ipsæ inter se maxime differre possunt. »

IV. « Ejusmodi civitates liberæ, a principio et pro natura originis esse debuerunt et fuere *minoris ambitus*, ut tamen, quin huic indoli suæ valedicerent, crescere atque dominatrices multarum terrarum evadere possent; ad quam rem eadem eas natura duxit. Plures enim urbes unius nationis, extrinsecus coactæ, fœderibus sese conjunxerunt; in his confœderationibus urbs antiquissima, quæ plurimam partem eo ipso etiam potentissima fuit, reliquarum caput et arbitra facta est ac principatum omnium obtinuit; quamquam illæ tamen in rebus suis sic satis independentes manerent, seu, ad minimum, constitutionem suam tuerentur (quoniam vel dominatrici civitati eadem forma erat). Omnes ita conjunctæ (ab initio defensionis causa) mox, si magnos viros nacta esset civitas princeps, occupatrices fiebant atque populorum dominatrices, qua ipsa auctoritate nova in dies potentia accrevit. »

§ XXXI.

Videamus, utrum hæc omnia veris exemplis historicis collustrare atque probare possimus. Priusquam vero ulterius progrediamur, occurrendum est iis qui, temporis ratione nulla habita, universe asserunt, apud *omnes* gentes primo fuisse *regnatum* (3), atque exempli gratia Assyrios, Babylonios, Ægyptios, Sinenses, Athenienses et Romanos *promiscue* laudant juxta Lydos, Phryges atque Trojanos Indosque veteres; quæ tamen omnes nationes toto cœlo inter se differunt.

Ne vel nos in eundem errorem (qui non ex re, sed ex incuria rerum manavit) irruamus, moneamus hæc necesse est:

I. Primos homines omnino nullum imperium habuisse, sed a gentium patribus fuisse gubernatos, ut supra demonstratum est.

II. Indos illos antiquos fere solos fuisse, qui non occupatores, patriam nunquam reliquerant; apud eos igitur postea ejusmodi imperium oriri potuisse, de quo partim loquitur *Justinus*.

III. Imperia vero Assyriorum, Babyloniorum, Medorum, Persarum aliorumque eo fuisse orta, quod illi ex patria, duce

---

(3) Cicero De Legg. et in Republica passim; Justinus (vide supra C. III. § 20 in nota); Aristot. Pol. I. 1. Polyb. VI p. 174. ed. Bas. Diod. Sic. I. p. 13 et 17. II. p. 135.

quodam fortissimo, armati, occupatum, exissent (de qua re infra loquemur).

IV. Ægyptiorum civitates et Atheniensium et Romanorum, reliquorum, origines suas cœpisse eo modo, quem in § præcedente exposuimus; regium vero imperium neutiquam fuisse ejusmodi, ut esset absolutum sive cum Assyriorum despotismo comparandum (ut in § proximo demonstrabimus). Idcirco

V. Adcuratissime distinguendum esse inter civitates eorum populorum, qui patria nunquam cessissent, et eorum qui necessitate coacti, armata manu occupatum exissent; eorum denique qui coloni, a matribus deducti, civitates condidissent.

Primi enim imperium patriarchale (i. e. ejusmodi, quod forma regiminis vix dici potest), alteri imperium despoticum; tertii respublicas liberas, maximam partem aristocraticas, etiamsi regibus capitibus constitutis, habuerunt. Citra hancce distinctionem Babylonica ista linguarum confusio tolli nequit.

§ XXXII.

De ultimis statim dicemus, ex earumque numero esse civitates Græcas, Romanam, Phœnices, Carthaginiensem, ipsasque Ægyptias. Omnes erant *aliunde advectae*, apud omnes oriebantur *Urbes* eo modo, de quo supra diximus; apud omnes igitur ea etiam reipublicæ forma, in primis lineis sibi maxime similis (tempus enim et locus, ut scimus, multum facit ad ea elementa commutanda) extitit. Loquamur de Græcis primum, alias

addentes, ita tamen, ut singula momenta supra pronunciata singulis § § explicemus.

I. Græciæ incolæ omnes erant peregrini, coloni omnes. Primum quidem *Pelasgi* ex Asia delati *Argos* et *Sicyonem* condidere *Urbes*: mox *Hellenes* secuti eos expulerunt. Accedebat colonia Ægyptiaca prima *Cecropis*, qui in Attica Athenarum *Acropolin* condidit, talique modo firmas sedes, mox agriculturam et justa matrimonia instituit. Ex eadem Ægypto *Danaus* advena Argos occupavit. Sequebatur ex Phœnicia *Cadmus* atque Thebarum Bæotiæ *urbis* auctor evadebat cet. Eodem modo Phœnices e maris rubri littore ad Syriæ oras maritimas adscendebant, primum *unam* urbem *Sidonis* habuere, ex qua *Tyrus* filia et *Aradus* et *Tripolis* et *Biblus* et *Berythus* et aliæ, totidem civitates ac urbes. Eodem modo Phœnices colonias duxere in Africam: *Uticam, Adrumetum,* alias, respublicas proprias omnes; *Didonem* in eadem regione *Carthaginem* condidisse, unam urbem, mox civitatem maximam, nemo nescit. Græca vero colonia et civitas potens *Cyrenaica* erat illi vicina. *Ægyptus* ipsa (i.e. *Thebais*) ejusdem generis *urbs* erat cum ambitu suo, ex Æthiopia ducta; *Romulum* denique ex Albanis descendisse, ibique *Romam Urbem* (prægnans vocabulum) condidisse, scimus omnes (4).

---

(4) Vid. de his rebus Herod. I. 15. II. 49, 50-58, 171. Pausan. Hist. I, 18. II, 19. V, 1. IX, 27. X, 5. Idem in Bœot. c. 12. Euripid. Phœniss. 725. Diod. Sic. I. 92. Meursius de regno Athenar. I. 8.

§ XXXIII.

II. In ejusmodi civitatibus urbicis (ut ita dicamus) OMNEM *civem* in conciones coivisse, pluribus exemplis probari potest. Notæ enim sunt Athenarum ἐκκλησίαι, quibus interesse potuisse omnes, præter ἀτίμους, servos, peregrinos, mulieres et pupillos expresse dicunt (5), atque *Ammonius* his eas verbis definit : ἐκκλησίαν ἔλεγον οἱ Ἀθηναῖοι τὴν σύνοδον τῶν κατὰ τὴν πόλιν : quæ eædem vel apud Spartanos deprehenduntur, quorum conciones universales populi in φύλας et ὤβας divisi nemo ignorat (6). Idem de Corinthiis narratur aliisque Græcis urbibus et insulis. Romanorum vero *Comitia* triplicia, primum *Curiata*, deinde *Centuriata* atque ultimo tempore *Tributa* quis ignorat? quæ totidem gradus constitutionis ab aristocratia pura ad absolutam democratiam temporum lapsu constituerunt. De Carthaginiensibus non constat. Memoriæ tamen proditum est, illos duplicem habuisse Senatum, quorum alterum (proprium, ordinarium, sanctiorem?) Græci vocavere γερουσίαν, alterum vero σύγκλητον, quasi *convocatum* (extraordinarium, conscriptum?). Nescio, utrum hunc forsan *omnes* cives constituissent (qui ratione Punica cives dicebantur) eo fere modo, ut Romani *Patricii* omnes (ut mihi quidem videtur) ab initio saltem, proprie cives et quasi ingenui fuere — qui *soli* Comitiis, *Curiatis* illis,

(5) Vid. PETITUS de Legg. Att. p. 286.

(6) Vid. HEYNII de Spartanor. republ. judicium in Comm. Soc. Gott. Voll. IX.

interesse potuisse (mihi) videntur. Tali enim modo vel apud eos *concionem* haberemus (7).

In hac tamen re tenendum : non omnes fuisse *cives*, qui ad civitatem (præter servos) pertinuissent; sed eos tantum, qui in ipsa *Urbe* habitarunt. Sic enim Romani adcurate *civitatem* et *latinitatem* et jura *sociorum* et *provinciarum* et *municipiorum* distinguebant : sic Spartæ cives non erant *Lacedaemonii* reliqui, qui prægnanti vocabulo περίοικοι dicebantur, eodem modo a veris civibus diversi, quam *Liby-Phœnices* a Pœnis.; non minus in Agypto soli *Sacerdotes* cives fuere optimo jure, qui, Pontifice summo præside, sine dubio concionem soli constituerant. Ipsimet Hebræi, quamquam circa hanc institutionem in aliis multis rebus plane ab aliis diversi, conciones habuere *totius populi*, præsertim occasione promulgandarum legum (8).

§ XXXIV.

De Senatus existentia vix est, cur loquamur : βουλὴ Atheniensium, Mantineensium, Argivorum, Bœotiorum; γερουσία Spartanorum, Corinthiorum, Cretensium; Senatus Romanus, Centumviri Carthaginienses (γερουσία illa), Septuaginta Senes a Mose

---

(7) Vid. Diod. Sic. I. p. 679. Polyb. III. p. 228. IV. p. 671. Livium XXX. 16.

(8) Locus princeps exstat in V Mos. XXIX. 10, 11 (coll. IV Mos. I. 16, Genes. XXXIV. 20) et alii in libro Josuæ non minus prægnantes, e. g. VIII. 33. XXIII. 2. XXIV. 1 (col. L. Judic. XX. 1, 2).

electi (postea *Synhedrium*) (9) noti sunt omnibus. Sed quanta vel in eligendo Senatu variatio extiterit, vix dici potest; unde in ea re aliquantisper immorandum.

Non solum senibus propter experientiam accquisitam summus honor habitus, summaque auctoritas concessa (1), sed ii etiam ex alia causa multo antiquiori et sanctiori jus habuere civitatis regundæ; unde in omnibus rebus majoribus sive in consilium adhibebantur a principibus (2), sive suo jure sanctissimum et proprium collegium civitatis constituerunt.

Atque primum quidem jus erat id, quod gentes antiquæ earumque capita tanquam *patriarchae* habuere (unde postea jus Nobilium ortum est proprie dictorum, sive eorum, qui loco nobili nati sunt); quæ quidem prærogativa Romæ obtinuit in Senatoribus primis, seu *majorum* GENTIUM. In aliis civitatibus soli divites senatores fieri possunt (Carthagine); in aliis gloria militaris, scientia rerum civilium, longus usus aditum ad hoc collegium præbent. In aliis agrorum possessio, in aliis sacro-

---

(9) IV. Mos. XI. 16. (coll. Michaëlis Mos. Recht T. I. § 50).

(1) Vid. III. Mos. XIX. 32. GELLIUS II. 2, 15. ÆLIAN. H. An. VI. 61. VALER. MAX. IV. 5. JUSTIN. LXIII. 3. DE LA PORTE Reisen Th. V. p. 288. sq. Vid. etiam CICER. Rep. I. 12. De Amic. 4 et VAN DER TON Comment. ad *Ciceronis* de Amic. Librum (in Annalib. Acad. Lov. anni MDCCCXIX–MDCCCXX. X).

(2) Vid. II. Mos. III. 16. IV. 29. XVII. 5. XVIII. 12. XIX. 7. XXIV. 1, 9. V Mos. XXX, 10. Jud. XI, 8 – 12. Ruth. IV. 2. II Regg. XXIII. 1. II Chron. V. 2. Psalm. CVII. 32. Math. XXVII. 1. Acta Apost. V. 21; coll. Jes. III. 2.

rum administratio et disciplina quædam arcana (apud Etruscos) sive alia in civitatem merita requiruntur. In aliis eliguntur a populo (Carthagine, ut videtur), in aliis a principe (Romæ Senatores *minorum gentium*;) in aliis ipse Senatus sese redintegrat (Romæ antiquitus). Numerus quoque, sociorumque dignitas sæpe diversa est; ex quibus rebus nova varietas reipublicæ!

§ XXXV.

III. Quantacunque vero sit populi potestas et *Senatus* auctoritas; tamen hæc utriusque ad ferendas tantum, neque ad administrandas leges pertinet; atque populus nullus, nulla civitas sine magistratibus gubernari potest, nihil egregie fieri sine unitate capitis cujusdam, qualicumque nomine vocati. Igitur *principe* civitatis opus est ad exequendas leges: sed unus non omnia potest: munera reipublicæ sunt innumera, varietas eorum munium non minor. Igitur principi adduntur, quasi socii et in auxilium atque sollicitudinis gratia *Magistratus*. Nemo non videt, hos sive a principe assumi posse, sive a Senatu dici, sive a populo eligi; in qua re novus et uberrimus formarum fons: atque ea non est minima pars libertatis populi, si magistratus ab ipso pendeant, ipsique rationem reddere cogentur, neque vero principi. Quo itaque magis illi a populo suspensi sunt, et quo minus principi adhærent, eo perfectior est libertas civilis et constitutio civitatis; ad quam perfectionem continuo equis velisque tendebant omnes nationes a principio ad nostra tempora. Illa civitatum capita plurimam partem Reges dicebantur. Ægyptii, Æthiopes, Phœnices et Carthaginienses, Spartani et Romani et Atheniense

primum habuere reges (3). Certe, *rex* est ille, qui *regit* rempublicam atque de nomine non quærimus; utrum vero ex suo arbitrio, an ex populi jussu et auctoritate regat, hoc differt maxime.

Qualis itaque fuerit potestas illorum regum, videamus; atque de Græcis quidem primum.

Certum quidem est, regibus Atheniensium divinam fere reverentiam fuisse; nominantur enim promiscue ἀγχίθεοι, Διογενεῖς, Διῒ φίλοι, Διοτρεφεῖς atque θεοί (4); porro eos insignia habuisse et prærogativa non pauca, neque (pro illa ætate) contemnenda (5). Sed hæc majestati debentur, nihil ad rem faciunt: e *muneribus* solum regiis eorum potestas vere cognoscitur. Illa vero hæc fuere (6): τὸ ΣΤΡΑΤΗΓΕΙΝ, τὸ ΔΙΚΑΣΠΟΛΕΙΝ, τὸ ΘΕΡΑΠΕΥΕΙΝ ΤΟΥΣ ΘΕΟΥΣ; ideoque *Imperium* (militare), *Jurisdictio* et *Sacra* (7). Sed hæc omnia *ex constitutione*, nihil ex

---

(3) Aristot. Pol. I. 2. Dionys. Hal. Arch. V. 74. p. 336. Pausan. in Bœot. I. p. 712. Justin. I. 1. Cicero Legg. III. 2. Euseb. in Chr. passim.

(4) Homeri Il. κ. 33. Hesiod. ϑ. 80. sqq. coll. Homero ibid. α. 279. Callimach. h. in Jov. 79 c. not. *Spanh.*

(5) Eustath. ad Il. α. v. 15 p. 19. Hom. ib. α. 279, 235, 246. Aristoph. Aves 510 ibique Schol. et ad v. 1354. Virgil. Aen. XII. 210.

(6) Apud Stobæum tit. 46. p. 329. ed. Tigurina.

(7) Vide Aristot. Pol. III. 14. *Δικασπόλους* et *θεμιστοπόλους* Homer. vocat Il. α. 238 cet. Spanh. ad Callim. v. 3. Hesiod. ϑ. 85 ibique Clericus; Dionys. Hal. Arch. V. p. 337.

voluntate. Nam ELECTI sunt *a populo* (8); regna ipsis fuere *certis quibusdam juribus ac honoribus definita ac descripta* (9). Vetustissimo jam tempore *Theseus* ipse testatus est, *populare* esse imperium, non regium : sic enim apud *Euripidem* ille loquitur : « *Nequaquam hîc dominatur Unus; sed liberam habemus rempublicam sub principatu populari* (1). » Rex ipse cum filiis causam dixit coram tribunalibus populi totius (2), atque destitui potuit. Nonnulli solum ad tempus, alii ad vitam eligebantur, omnino dicebantur et esse debuerunt αἰσυμνῆται, i. e. *Justi et honesti moderatores* (3). Non etiam sacra *omnia* penes ipsos fuere, sed *vota* solum solennia, quæ extra orbem sacrorum hieraticorum fuere (4). Judicia denique non a rege solo, sed simul ab Eupatridis atque electis ex universo populo judicibus administrabantur (5). Igitur regi non alia fuit, quam

---

(8) ARISTOT. Pol. III. 14. THUCYD. I. 9. Expressis enim verbis *Atreus* ille vocatur *Usurpator* (βουλομένων) Mycenarum.

(9) THUCYD. I. 13 : ἐπὶ ῥητοῖς γέρασιν. Vid. L. BOSII Obs. crit. c. 3. et DIONYS. HAL. Arch. V. p. 337. SPANH. ad JULIAN. Orat. I. p. 127. PERIZON. ad *Ælian.* V. H. II. 20 (laudatos in. L. BOSII Antt. Græcis ed. C. ZEUNE Lips. 1787. 8).

(1) EURIP. Suppl. v. 404.

(2) POLLUX VIII. Sect. 119; cfr. supra § 24 h. cap. PAUSAN. Athen. c. 28. § 9. p. 100.

(3) Vid. HEMSTERH. in *Lennep.* Etym. Ling. G. p. 63.

(4) Vid. CONON c. 29 sqq., qui de Brygibus locutus, Midam *regem*, sed Orpheum *Sacerdotem* adpellat, utriusque munera separans.

(5) HESIOD. ἔργ. v. 38.

ea potestas, quam hodie *executivam* vocamus. Tota legislatio et reliqua negotia graviora apud Senatum populumque manserunt. Hi itaque reges comparandi sunt cum consulibus Romanorum et Suffetis Judæorum, Phœnicum regibus et Carthaginiensium.

Sunt quidem alii, qui dicunt, reges non a populo electos fuisse, sed successisse patri filios : id asserunt ex auctoritate *Thucydidis*, qui βασιλείας πατρικάς vocat (6). Sed hæc assertio sententiam nostram nihil infringit : meminimus enim, reges seu capita civitatum constanter et quasi per excellentiam, more antiquo patriarchali, ex gentibus primævis sumi, quin tamen hac consuetudine populus amitteret jus eligendi, eo minus, quoniam eodem tempore de regibus a populo destitutis audimus : quod jus exercuit vel ea occasione, qua *Codro* obito *reges* noluit, sed *Archontes perpetuos* (i. e. διὰ βίου) (7) : hoc vero prædicatum inutile plane fuisset, si non eodem populus sibi jus reservasset, eligendi (licet ex eadem gente Medontidarum) post mortem unius alterum. Vel hi simili modo *rationi populo reddendae* obnoxii fuere (8), ὑπεύθυνοι dicti. Idem jus sibi vindicavere, ubi ex perpetuis fecere *decennales* (9), quos *removere* eodem jure potuerunt (1). Hos tamen æque ac

(6) L. I. c. 13. Schol. ita hæc verba explicat : ἀπὸ τῶν πατέρων παραλαμβανομένας κατὰ διαδοχὴν γένους.

(7) Euseb. Chron. p. 33. Vellej. Patercul. I. 2, 4. Justin. II. 6.

(8) Pausan. Messen. V, p. 292. Erant hi plane *reges* atque promiscue sic adpellantur. Vid. Perizon. ad *Ælian.* V. H. V. 13.

(9) Dionys. Hal. Arch. I. p. 68. Euseb. l. l. I. p. 33. Vellej. I. 8.

(1) Meurs. de Archont. Athen. VIII.

annuos, postea electos, ex *generis antiquitate*, *opibus* et *gratia*, *qua valebant in civitate* (2) sumserunt, quorum ultimos *novem* esse voluerunt, inter quos unius regis potestatem distribuebant et in quibus continuo et ἄρχων et βασιλεύς auditur (3).

§ XXXVI.

Si quis vero nobis objecerit, hoc apud Græcos tantum ita fuisse, pronos nimirum ad libertatem, neque apud alios; ei nunc aliorum quoque exempla suppeditabimus. Primus Romanorum rex erat ex patriarchali, vetusta gente, ut Patricii; insuper coloniæ dux; ideoque in patria rex *electus*; sed atrociorem factum Senatus inter Deos retulit! Ejus successores omnes *eligebantur*; et sæpissime *peregrini*: hi populi gratiam *popularibus institutis* plus una vice captitaverunt (exempla in Senatoribus *minorum gentium* et in *Centuriatis Comitiis*). Senatus denique (i. e. Patricii, sive populus) reges expulit, *Consules* instituit (i. e. pro uno rege duos (4), mox eos annuos fecit. Sed hi habuere *regiam* plane eandem potestatem, si non majorem, et tamen forma erat *Aristocratica*, ut ante fuit. Vel hi postea, adsumtis plebeis, unius regis et binorum Consulum

(2) EUSEB. l. l. p. 155.

(3) POLLUX VIII. 9, 85. Super hac tota re cfr. HOMERI Il. VIII. 4. ARISTOT. De Morib. III. 5 p. 40.

(4) Diserte eos *Reges* vocat CIC. Rep. II. 33. De Legg. III. 3. LIV. II. 1. IV. 3. DIONYS. HAL. V. 1. POLYB. VI. 11.

potestatem in complures *Magistratus* distraxerunt. Ejusmodi reges (*Suffetes*) in Phœnicia fuere et Carthagine, ut tamen in hac urbe ne *imperium* quidem haberent *militare*, qua re optimatibus major erat vis (5).

Superest, ut exempla duo, multo prægnantiora, ex reliquis Africæ populis addamus. Apud Aegyptios Sacerdotes summa reipublicæ tenuerunt, legum latores et custodes et judices fuerunt. Urbes ipsæ ex templis, circa quæ condebantur, ortæ sunt; ex quibus colonias illi emiserunt in alias terras : ipsi erant in suo quisque munere hereditarii; uno verbulo, terræ totius domini — et tamen *reges* habuere! Sed reges, a *sacerdotibus*, ex ordine *bellatorum* et ad *sola belli negotia*, *electos*, in templo educatos ex sententia sacri illius ordinis; qui ipsa eorum *matrimonia* moderabatur, eosque mortuos publice *judicabat*, vivos *coërcebat!* (6). Audiamus vero de *rege* Æthiopum Meroënsium, ut ne minimum nobis de exigua potestate illorum regum superesse dubium possit. *Sacerdotes* (7) regem

---

(5) De Suffetis Carthagg. vid. Liv. XXX. 7. Festum s. v. Suffes. Diod. Sic. II. p. 412. Polyb. I. p. 415. Quam exigua potestas regum apud Gallos antiquos atque Germanos fuerit, apud Tacitum lege in Germ. p. 439 ed. Plantin. Quanta ceterum inter Spartanorum, Pœnorum et Romanorum imperia fuerit similitudo, nisi aliunde res esset notissima, colligi posset ex Aristot. Rep. II. 11, et *Catone* apud Servium ad Æn. IV. 682. Veremur vero ne, qui de his similitudinibus philosophabantur, eam majorem efficerent, quam quæ esset. Erat enim summa in hac similitudine dissimilitudo!

(6) Vide de hac re Heerenium Ideen Th. II. Abth. II. p. 598 sqq.

(7) Narrat Diod. Sic. I. p. 177, coll. Bruce Reisen IV. p. 462.

illum hoc modo *elegerunt*, ut ex *suo medio* præstantissimus viros desumerent, atque eum regem suum agnoscerent, qui Jovi Hammonio, Numini eorum maximo, placuerit, solenni nimirum ritu interrogato. Hunc enim voluntate deorum electum dixere, eique honores et prærogativa vitæ, *legibus constituta*, tribuerunt. Neminem ille nec *remunerare*, nec *punire* potuit, nisi *ex usu et consuetudine majorum*. Hunc vero regem *destituebant* summi sacerdotes, si ipsis visum fuerat, hoc modo: mittebant nimirum ad regem legatum, qui eum *mori* juberet, jussu deorum, quibus obtemperandum esse utique dixere. Ejusmodi regem illi habebant; reliqua omnia penes ordinem sacerdotalem fuere.

Atque nunc satis nos probasse credimus, in civitatibus hoc modo ortis, *Monarchicam* formam non fuisse. Superest, ut loquamur de modo, quo ad usque summæ potentiæ et amplitudinis fastigium ejusmodi civitates adscendere solerent.

§ XXXVII.

IV. *Athenas* antiquitus, ante *Theseum*, perexiguas fuisse testatur *Thucydides* (8), nam quæ pars ἀκρόπολις dicebatur, ea tum temporis tota urbs erat, et postero tempore per excellentiam πόλις vocabatur. Atticæ incolæ per vicos et oppida dispersi habitaverunt, et ante illum regem quatuor diversa hominum genera effecerunt sub totidem regibus, *Pantheonis II*

(8) Thuc. II. 15.

filiis, *Ægeo* (Thesei patre), qui Pediæis, *agricolis; Pallante*, qui Parhaliis, *piratis; Niso* et *Lyco*, qui Megarensibus et Driacriis, *pastoribus* præfuere. Vici omnes a nemine pendebant, unusquisque Magistratus suos habuit suasque ipse res curavit, communes tamen omnibus religiones ac Dii fuere. *Theseus*, cui *agricolae* contigere, omnes in urbem Athenas contraxit, magistratus eorum sustulit, tribunal unum Athenis instituit atque relictos quidem in sua quemvis terra coëgit, ut inde jus peterent, ibi tributa conferrent, Athenas urbem caput et eorum regem communem omnibus principem agnoscerent (9). Sic Athenæ ad urbis fastigium adscendebant — in quibus tamen εὐπατρίδας, γεωμόρους et δημιουργούς deprehendimus, ratione nempe habita diversorum generum (1).

Eodem modo Spartani pagum ex pago in Laconica armis subjugaverunt, ex Lacedæmoniis περίοικους, ex Helotis *servos* fecere, ipsi optimo jure soli cives. Pœni quoque, qui primum Urbis fundum pro tributis annuis ab incolis emerant, multis bellis gestis ab initio sese a tributis liberaverunt, postea incolas ipsos subegerunt, eosque, ubi natura ferebat, ad agriculturam coëgerunt, et *Liby-Phœnices* creaverunt (2). Ovum tamen ovo non tam par est, quam res primæ Atticæ pares sunt Romanis. Romulus quoque ab initio unum modo collem illum

---

(9) Thucyd. ib. Diod. Sic. IV. p. 264. Strabo IX. p. 275. Plut. in Theseo p. 1, 10. Cic. de Legg. II. 2. Val. Max. V. 3.

(1) Plutarch. l. l. p. 11. C. D.

(2) Polyb. ed. *Schweigh.* Vol. I. p. 161. 168.

occupavit, mox vicos Latinos quosdam et colonos Arcadios subjugavit, denique asylo aperto et raptu Sabinarum, âdscitisque in civitatem proceribus devictorum urbem auxit, et ipse et successores collem ex colle intra eosdem muros incluserunt, donec Urbs septicollis tota adornata stetit cum dispendio antiquorum possessorum. Unus etiam tantæ pietatis erat, ut quoniam filia alio modo crescere nequibat, urbem matrem Albæ Longæ solo æquaret, et victis pro patria civitatem Romanam daret. Æthiopes quoque et Ægyptii, quum ipsi advenirent in peregrinam terram coloni sacerdotales, primum palantes Nigrites in ditionem suam redegerunt, postea partem agriculturam docuerunt, alios ad alia vitæ negotia adhibuerunt, ipsi dominabantur soli.

Civitate his artibus constituta, sive aliæ nationes remotiores subdebantur vi armorum, sive in remotas terras coloniæ mittebantur ad eam firmandam, sive fœdera iniebantur cum iis, quæ ejusdem originis fuere et vinci non potuerunt, cum ut inter se tutæ essent omnes, tum ut omnes sociatæ se contra peregrinos defenderent. Origo eadem et communis quædam religio fundamenta fuere, in quibus hæ confœderationes innitebantur, legibus confirmabantur, sacris et oraculis continebantur.

Sic fœdus *Amphictyonum XII* civitatum *Hellenicarum* auspiciis Apollinis, Cereris, Dianæ, Latonæ, Minervæ (3); sic

---

(3) Vid. HEROD. I. 143. sq. V. 61. VII. 24, 213. PLUT. in Themist. c. 20. ÆSCHIN. contr. Ctesiph. p. 499. STRABO IX. p. 506. PAUSAN. VII. 24. S. CROIX. Les anc. gouv. fédérat. p. 98 et aliàs.

confœderatio XII urbium ac Lucumonum Etruscorum; sic *Servio Tullio* moderante *Fœdus Latinum* sub tutela Jovis Latiaris; sic fœdera civitatum Phœnicum; sic forte Dodecarchia Ægyptiorum; sic fœdus Spartanorum et Atheniensium et postea Achaicum et Ætolicum orta sunt. Sed mox Athenæ Hellenum et Philippus Macedo Græcorum; Sidon et Tyrus Phœnicum, Carthago sororum Africanarum, Psammetichus Ægyptiorum capita fiebant, et ex fœdere Latino statim ab initio Romanos eorumque reges arbitros agnoscere debuerunt socii. Mosis quoque constitutio Hebræorum, qua ex XII stemmatibus unum populum Jehovæ confecit, mox uni regi cessit.

Sic una civitas, simulac aliis potentior facta est, omnes absorbebat, earumque auxiliis aucta in alias et ignotas grassabatur et ubi omnes in duabus interierant, Roma et Carthago non simul stare; sed una cadere in dominationem alterius debuit. Non enim iste erat rerum politicarum eo tempore status, nec esse potuit, ut juxta alias, æquo jure, starent vel alteræ: sed una solum persistere potuit aliis deletis omnibus. Ille enim status juris publici ingenium conficit recentioris historiæ (4).

§ XXXVIII.

Hucusque unam partem formarum civilium juxta originem suam confecimus, *liberarum* nimirum *rerumpublicarum*; trans-

(4) Vide supra § 13 – 17 huj. cap.

eundum est ad alteram, quæ origines *absolutae potestatis monarchicae* complectetur; quam quidem quæstionem jam supra præparavimus (5).

Non enim solum *liberas* et *exiguas* respublicas historia exhibet, sed *magna* quoque *Imperia* sive *Monarchias*, quæ et origine sua et cultu et formatione tota ab aliis plane diversæ existunt, et quemadmodum in hisce certa constantia et firmitas consiliorum conspicua est, ita illæ monarchiæ *subito* oriuntur, subito *in immensum* extenduntur, atque vix ortæ *subitario casu intereunt.* Nemo vero adeo ineptit, ut credat, hæc immensa imperia orta fuisse voluntate et quasi libero impulsu plurium populorum. Nam illo tempore nemo populus eatenus de voluntate sua certior erat, ut *liber* esse *vellet*, si *non esset*, non magis ac, si quis liber fuerit, sese in *servitutem unius* præcipitare *mallet.* Ideoque quærendæ sunt causæ aliæ, quibus forte effectum fuerit, ut tanta imperia quasi inconsulto coaluerint; ex quibus ratio quoque eorum interior simul explicabitur. In his vero rebus iterum duce utamur certissimo illo, *Heerenio* V. C., qui jam plus semel veram nobis viam commonstravit (6). Sic enim vir clarissimus statuit :

« Causam hujus phœnomeni esse subitariam profusionem populorum *occupatorum*. Hos plurimam partem palantes fuisse

---

(5) Vide § 27 ejusdem capitis.

(6) Vide ejus opus supra laud. Ideen. cet. Th. I. Abth. I. p. 15 et 76. sqq. coll. ejusd. Handbuch der Gesch. der Staaten des Alterthums cet. (Gœtting. 1810. ed. II) p. 26 sqq.

nomades, qui relicta sterili patria sua, ditiorum terrarum ac felicium ubertate allecti, in eas se conjecerint, eas spoliaverint, subegerint, inque iis sedem suam posuerint. Ejusmodi occupatorum, etiamsi non plane barbarorum, instituta civilia necessario aliam indolem assumsisse, alioque plane modo in cultu suo profecisse, quam illarum civitatum, quæ initia sua et cultum a constitutione quadam urbica repetiissent. In imperio denique occupato principatum sola armorum vi conservari posse ita, ut etiamsi eorum constitutio non plane *militaris* esset, tamen hæc natura militaris continuo in iis plus minus conspicua esset. »

Ejusmodi multitudine nomadica (pergit ille) abundasse totam Asiam septentrionalem et mediam non magis, ac multa spatia montium Tauri in Asia meridionali et universa fere Arabia : vitæ eorum rationem eam esse, quæ bellicosas nationes formare facillime possit. » Exempla prodit Mogolum et Arabum, Parthorum et Persarum; quibus addi possunt Scytharum quoque innumerabilia stemmata, Hunnorum, Gothorum, Vandalorum continuæ migrationes, aliorumque, qui imperium Romanum evertebant. Hæc enim vera causa est *migrationum populorum* (quas vocant) omni tempore (7). Hæc non in oriente solum, sed etiam in Europa deprehenduntur; cujus sententiæ testes sunt expeditiones Germanicarum et Gallicarum nationum, quo partim pertinent ipsi quoque Heraclidarum in Pelo-

(7) Vid. HERODOT. IV. 19. 55. 81. V. 84; præs. I. 15. IV. 11. 12. VII. 20. 103 - 106, coll. IV. 40 et Abrégé historique de la grande émigration des peuples barbares, cet. (par L. C. D. R.) Bruxelles 1817. 8.

ponnesum iterati reditus. Sed exitus earum expeditionum plane alius est, quam incursionum orientalium, de quibus nunc secundum ducem nostrum sapientissimum loqui pergemus.

§ XXXIX.

« Hæc enim ratio illorum imperiorum orientalium est, citra cujus adcuratiorem cognitionem nemo de iis rite judicare potest.:

« I. Hæc regna non paullatim oriuntur et lento gradu augentur apud Orientales. Sed statim, ubi oriuntur, simul quoque immensum ambitum obtinent. Quæ quidem res ex occupationis ipsius ratione promanat. Nihil enim, quamdiu victores sunt, ipsos movere potest, ut sese ipsi cœrceant intra certos limites, eo minus, quoniam immenso spatio opus est ad se et greges sustentandos. Præda quoque in uno loco facta ad alia allicit : hoc prædæ studium et eorum ignorantia Geographiæ, studium cum illo conjunctum progenerat universi orbis occupandi (8).

II. Populi ejusmodi regna hoc modo orta non *statim certa* quadam *forma civilis constitutionis* ordinant, quoniam dare nequeunt, quod ipsi non habent. Potius ex ipsorum natura prodit, totam eorum constitutionem aliam non esse posse, quam *militarem*. Provinciarum captarum administratio belli ducibus, exercituum numerosorum capitibus demandatur,

(8) Exempla *Arabum* laudat et *Dschingis-Chani* p. 80.

V.

quos terra ipsa, sive ut urbium captarum præsidia sive ut vagantes militum catervas alere debet. Eorum munus in eo consistit, ut dona seu tributa, pro diverso tempore sive ex voluntate, sive certa methodo jussa exigant, atque auxilio exercituum terras subactas teneant. Inde necessario instituta civilia, quæ antea fuere, vel in posterum sine omni mutatione retinentur; atque principes ipsi devicti, sive eorum successores, non raro in terris suis conservantur, si vinci quam mori maluerunt (9); quam victorum clementiam male laudant scriptores, quoniam non ex benevolentia sed ex inscitia rerum profluit.

III. Attamen fieri non nequit, ut ex hac rudi ordinatione militari, lapsu temporum, constitutio quædam revera civilis oriatur, si victores diutius inter devictos cultiores commorati mitiores mores nanciscuntur, atque illorum institutionum cognitionem quandam obtinent, talique modo sive omnino, sive ex parte ex nomadibus stabiles evadunt, ad urbes sedesve firmas habitandas adsuefacti. Nonnulli quidem horum occupatorum (ut *Timur* et alii) satis acuto fuere ingenio, ut præ popularibus suis civilis cujusdam constitutionis sensum haberent; attamen cultus eorum omnino non nisi lento gressu profecit.

Duces vero belli, quorum potestas nullis legibus circum-

(9) Exempla in *Persis* atque Mogolibus, Medis quoque, ubi continuo antiqui domini persistunt – *Magi*, qui amissum imperium sibi sub *Cambyse* vindicare student (HEROD. III. 65. 67 – 78 coll. I. 130). Vide supra § 15, Cap. III, Libri I nostri.

scripta erat, civilibus quoque rebus sensim sensimque se immiscebant, quatenus eas noverunt atque intellexerunt, quo modo ex belli ducibus *Satrapes* evadebant; sive etiam invidia et diffitentia principis, *juxta eos*, proprios Satrapes instituit. Inde magna imperia Asiatica *totum* quoddam exhibent, quod non nisi dominatu universali in universum continebatur (1); sed quod in singulis partibus tantam formarum varietatem complectebatur, ut intra ejus orbem multæ constitutionum formæ diversissimæ deprehenderentur atque sub ipso Despotismo absoluto non solum *domini minorum gentium, principesque legibus limitati*, sed *liberae* quoque *civitates* simul adessent (2). »

---

(1) Vide Cap. II. § 14 hujus libri.

(2) In earum numero sunt civitates Phœnicum atque Græcorum Asiam incolentium sub dominatione Persarum. Ad hunc § explicandum pauca addamus. Ubi regna primum oriuntur, incursio et rapina, cædes et devastatio pro constitutione sunt: ubi paullulum firmiora facta sunt, victores, ventri obedientes, *fruuntur* modo, qua quis maxime potest commoditate. Atque hoc consilio unicuique, quam nempe cum multitudine sua explere potest, terra conceditur – pars ex immenso orbe, cujus ambitum, situm, naturam ignorant, dissecta. Hoc modo ejusmodi imperium cum immenso circulo comparari potest, in quo circuli alii minores existunt plures. In centro totius orbis sedet Rex ipse Regum cum aula, cum amicis (ut vocantur), cum prætorianis. Primus circulus centrum ambiens ad hos nutriendos adest. Intra primum et secundum circulum sedent, qui regi sunt adfinitate proximi, servi majorum gentium, quisque cum aula, amicis, exercitu suo, æque ex suo orbe vivens, sed in rebus ad imperium spectantibus ad nutum obediens Magno Regi. Intra circulum secundum et tertium sedent denuo alii, eodem modo constituti, minores, majoribus illis et Regi Magno

§ XL.

Ultima paragraphi præcedentis sententia nobis opportunita-

---

subacti, sed quibus iterum sunt circum circa alii, qui vel his obediunt. Quo quis longius abest a principe ipso, eo plures habet dominos, eo magis ipse sævit in subditos suos. Hæc gradatio et ordinatio quodammodo cum *religione* conjuncta est. Rex enim, quasi Deus princeps, Numina minora regit; hæc genios et angelos, thronos et dominationes et potestates cet. Colunt omnes Summum, hic imperat omnibus, cetera quisque sibi curat; tributa ad arbitrium, sine consilio et fine, exigit. Exemplum in Medis: *Ecbatana* caput, unde gens genti, juxta rationem distantiæ a meditullio, ac ideo honorem et auctoritatem imperavit (HEROD. I. 96. 101. 102. 106; loc. primar. I. 135). Imperio denique in immensum dilatato, ubi reges civilium rerum sensum nanciscuntur, chaos illud ordinatur per provincias, *certa* tributa, unicuique populo (i. e. provinciæ) imponuntur, eaque certa methodo exiguntur: belli duces vel *Judices* et *Administratores* evadunt, *thesaurus* regius oritur, aliaque instituta. Exemplum in *Dario* (cujus nomen prægnans idem ac ἐρξείης i. e. *coërcitor*) : HEROD. VI. 98 et III. 88 – 96. 117, coll. III. 95. IV. 166. Expressis autem verbis hæc perhibet idem ille HERODOTUS, III. 89 : Ἐπὶ γὰρ Κύρου ἄρχοντος, καὶ αὖτις Καμβύσεω, ἦν κατεστηκὸς οὐδὲν φόρου περὶ, ἀλλὰ δῶρα ἀγίνεον. Prægnantius vero vix exprimi potest triplicis illius status a nobis descripti ratio, quam ab ipsis Persis factum est.» Propter hanc enim tributorum impositionem et alia huic similia, ajebant Persæ, INSTITOREM fuisse *Darium; Cambysen* vero DOMINUM; *Cyrum* PATREM fuisse. *Darium* enim *ut institorem* administrasse regnum, Cambysen *durum fuisse et superbum; Cyrum* vero *mitem, qui omne bonorum genus ipsis parasset.*» Certe! Non difficile est scitu, *qui* Persæ sic judicassent: non, profecto, multitudo subditorum, a centenis dominis pressorum, sed illi ipsimet domini majorum minorumque gentium!

tem facit disserendi de extrema parte quæstionis nostræ (3). Narrat nimirum *Herodotus :* « Septemviros (4) Persarum nobilissimos, *Otane* auctore, posteaquam *Pseudo-Smerdem*, Magum, regni Usurpatorem, occidissent, convenisse et de *Summa rerum deliberasse;* habitosque esse sermones, *incredibiles* quidem Græcis nonnullis, *habitos tamen utique* ». Cum illis Græcis recentiores quoque nonnulli consentiunt, adeoque negant, ut jam illa facultas *deliberandi* in Persis eos obfendat. Mirum! Nonne Persæ *deliberare* potuerunt; nonne illi ipsimet VII viri jam antea deliberarant, ubi de Magophonia decreverunt? Quod vero acrius impugnant, hoc est, sermones illos a nemine Persarum ita haberi potuisse, *quales Herodotus* ait habitos, utpote plane *Graecos* sive ex sententia *recentiorum quasi politicorum hominum* dictos. Sed pater historiæ non nescit, id esse incredibile, et tamen *expressis* verbis adfirmat, *esse* habitos. Ejusmodi testimonium, a scriptore omnium diligentissimo et fidissimo prolatum, certe adcuratius ponderari meretur. Facilius enim est, *scribere* de malignitate *Herodoti*, quam *probare*, ipsum malignum et male fidum fuisse. Plura enim ille unus antiquorum explorata habuit et vidit oculis, quam nos ad unum omnes, qui eruditissimi vocari amamus cultissimæ ætatis recentissimæ. Sed forte ille ad instar *Livii* egit, qui etiam orationes pepigit, elegantissimas, luculentissimas, nunquam tamen *ita*, quamquam *ex sententia* antiquorum, habitas ?! Unde

---

(3) « Proferatur in medium Libri III caput 80 Historiarum *Herodotearum*, atque agatur judicium de eo, quod verum, quod sophisma sit in illa Procerum Persarum disputatione. »

(4) Herodotus III. 70.

enim ille scire *potuit*, hos sermones *ita* fuisse habitos? Persæ libros habuere, regum jussu scriptos, in variis urbibus depositos (διφθερὰς βασιλικάς), quas Ctesias ille, ad aulam magni Regis commoratus, vidit, ex quibus historias suas composuit. Vidisse eos vel *Herodotum*, probabile est (5). Sed illi libri continebant solummodo gesta et dicta regum, neque aliorum!? Non negamus: nemo vero etiam negare poterit, illos septemviros fuisse regibus proximos, fuisse ex ipsa *stirpe regia Achaemenidum* (6) ut videtur; unum ipsorum, *Darium*, regem fuisse reapse factum (7) atque omnes simul cum novo rege *pactum* iniisse (8), cujus conditione illi regnum concederetur. Hoc itaque pactum, ideoque etiam ea, quæ pactum antecedebant, *conscribi* debuerunt atque *deponi* publice; forte etiam apographum dari unicuique paciscentium. Igitur legi pactum, legi illi sermones potuerunt atque in notitiam venire *Herodoti*. Videamus nunc, utrum non in ipsis sermonibus criterium existentiæ eorum insit.

§ XLI.

« *Otanes* quidem, *imperium summum Persis in medio de-*

---

(5) Heeren l. l. p. 155 sqq.

(6) Superfuisse ejusmodi, ubi *Cambyses* morti proximus esset, ex ipsis hujus regis verbis, ad convocatos Persas dictis, patet (Herod. III. 65), atque sine dubio unus alterve eorum inter septemviros fuit.

(7) Herod. III. 85 sqq.

(8) Ibid. c. 83. 84.

ponendum censens, *haec verba fecit* (9) : *Mihi videtur*, *non amplius debere unum e nobis summa imperii potiri : nec enim jucundum hoc fuerit*, *nec bonum. Videtis enim*, *Cambysis contumelia quousque progressa sit*, *et Magi insolentiam estis experti. Et quo pacto bene composita res fuerit unius imperium? cui licet*, *nulli rationi reddendae obnoxio*, *facere quidquid libuerit. Tale quidem imperium*, *si vero etiam omnium optimo committatur*, *extra consuetos animi sensus facile eum abripiet. Nam praesentes opes insolentiam ei ingenerant; invidia autem principio innata est homini. Et haec duo habens*, *omnem habet pravitatem : alia enim scelesta multa*, *insolentia repletus*, *faciet; alia invidiâ; quamquam virum in regia dignitate constitutum oportebat utique invidia vacare*, *quippe bonis rebus utique abundantem. At contrarium hujus ei accidere adversus cives solet : invidet enim optimis quibusque*, *quod supersint vivantque*, *et gaudet pessimis; horumque adversus illos calumnias facillime admittit. Quod vero maxime omnium incongruum est : si modice eum admiraris*, *aegre fert*, *quod non summopere colitur; si quis eum summopere colit*, *offenditur*, *adulatorem esse existimans. Denique*, *ut dicam*, *quæ sunt maxima : instituta mutat patria*, *vim adfert mulieribus*, *occidit injudicatos.* » In hac tota sententia ne verbulum quidem invenio, quod non ab *hoc* Persa, *hac tempestate* sentiri et dici potuerit.

Quum enim *Cambyses* obiret extra patriam, neminem reliquit justum imperii successorem, *Smerde* fratre unico a se

---

(9) Ex versione SCHWEIGHÆUSERI V. C.

occiso (1). Interea imperio potitus est *Pseudo-Smerdis*, Magus, ideoque Medus, qui Persas hoc modo Medis subjicere conabatur; quod ne Persæ ferrent, et rex moriens adhortatus est, et *Ota-nes* cum reliquis septemviris conjuravit, Magosque extirpavit, vindicato Persis imperio, *sine rege praesente* (2). Hoc modo solium regium erat res nullius, quum antea usurpatoris esset. Præterea *Septem* fuere patriæ liberatores, atque jure timendum erat *Otani*, ne inter eos, simulac de eligendo rege sermo esset, discordiæ et bella orirentur, quæ hoc tempore eo magis pestifera communi patriæ esse debuissent. His causis commotus persuadere ipsis potuit, *ut imperium summum Per-sis in medio poneretur. Otanes* vero ipse non erat unus e multis, sed *genere et opibus par ei, qui primus esset inter Per-sas* (3) (atque alii omnes ipso auctoritate et gentium nobilitate non inferiores) ideoque is, qui notitiam habere potuit omnium institutionum earum, quæ tum temporis cognitæ fuere; qui insuper novo regi qualicunque, qui ex septem sumi potuisset illis, parendi nullam voluntatem habere videbatur. Hac causa ipsi potior videri potuit *popularis constitutio*. Sed propterea argumenta alia accedebant, quibus ductus aspernaretur imperium *unius*, quæ exposuit et de quibus, utrum a Persa exponi potuerint, paucis videbimus, posteaquam de illis *Persis* verbulum addiderimus. Persæ hi non certe *populus* sunt *universus* Persarum Medorumque ac eorum omnium, qui illo imperio tenebantur: sed tria tantum stemmata nobilissima

---

(1) Herodot. III. 30. 32. 34.

(2) Idem III. 61. 65. 68.

(3) Idem III. 67 et 70.

Persarum, angustiori sensu accipiendorum, *Pasargadarum* nimirum (stemmatis omnium principis, in quo claruit familia Achæmenidum), *Maraphiorum* et *Maspiorum*. Hi sunt, *e quibus alii omnes Persae pendent*, ait *Herodotus* (4), reliqui omnes sunt sive agricolæ sive nomades. Illi itaque populum conficiunt, illi in *concionem* veniunt. Sic *Cyrus* quoque, defectionem a Medis molitus, ex *omnibus* stemmatibus solum *nonnulla* convocavit, quibuscum concionaretur. Hi itaque soli esse potuerunt, in quorum manus deponere imperium summum *Otanes* voluerit: ex qua re nulla alia forma oriri potuisset, quam revera orientalis, optima vi vocabuli, nempe forma constitutionis a patribus familias suspensæ, *patriarchalis,* qualem fere *liberi* Hebræi per *Moisen* habuerunt.

Totum nunc argumentum ejus, cur non imperium unius vellet, repetebat ex novissima historia Persarum, quam omnis Persa novit, *Cambysis* nimirum, quem expressis verbis nominat.

Necesse itaque non erat, ut argumenta sua ratiociniis efficeret, tractatum *de Contumelia Despotarum* legeret. *Cambyses* ipse *invidiâ* Smerdin fratrem ab exercitu domum remisit, quoniam hic solus præ ceteris arcum Aethiopicum tendere valuit; mox illum necare jussit *insolentiâ* potentiæ perductus, quoniam ex somnio timor fratris ipsum incesserat; ipse iterum sororem, quæ ipsi conjux et prægnans fuit, quoniam fratrem occisum flebat, interfecit. Ipse insolens, quoniam

(4) Herod. I. 125.

licitum sibi regi esse credidit, facere quæ vellet, *instituta patria mutavit*, ductis in matrimonium sororibus duabus; ipse *injudicatos* optimos quosque occidit, *fratrem* primum (ut moriens confitebatur), sororem et conjugem, *duodecim* alia vice Persas capite plectebatur : qui omnino insanus furebat in omnes et singulos, in bonos præsertim et sapientes et innocentes; in quem cadunt quæcunque *Otanes* de adulatoribus dixit atque iis, qui bonis invident, gaudent pessimis (5). Sed de *Magi* quoque *insolentia* loquitur *Otanes*. Si vero *Herodotum* audis (6), *Magus* ille cunctos imperio Persarum subjectos *ingentibus adfecit beneficiis* ita, ut eundem mortuum desiderarent omnes Asiæ populi — πάρεξ αὐτῶν Περσέων. Si quo unquam argumento opus est ad probandum, eos sermones a Persis habitos esse, hoc est. Persæ enim sunt, qui insolentiæ accusant vel optimum Medorum; sed Persæ soli etiam, neque alii. Sic *Herodotus* quasi duobus verbis, in quibus sibi contradicere videtur, pingit totum rerum statum Persarumque de se ipsis opiniones.

§ XLII.

Posteaquam id primum exposuerat *Otanes*, censebat, POPULI *imperium esse honestissimum, tum propter juris aequalitatem; tum quoniam populus a vitiis unius imperantis liber sit, imperia et magistratus sorte gerantur, potestas vero ea rationi reddendae obnoxia sit, consilia omnia ad commune*

---

(5) Vide HERODOT. III. 30. 31. 32. 35. 36. 65.

(6) Ibid. c. 67.

civium referat; unde populo imperium permittendum sit, quoniam in populo omnia insint.

Post ea, quæ supra dicta sunt, non est, cur de hoc populo quæramus amplius. De Medis ille profecto non cogitavit, neque de reliquis. Etiam ea, quæ de *juris aequalitate* dixit, non premenda sunt, certe non ex norma sæculi p. Ch. n. decimi octavi interpretanda. Persæ enim *judices* habuere *regios*, probatos viros, qui eo munere fungebantur, *quoad vixere*, aut usque dum *injusti quidpiam in illis reperiretur. Hi* Persis jus dixere et interpretes fuere *patriarum legum, et ad eos omnia referebantur* (7). Sed his sub injustis regibus timendum erat, qui omnia facere potuerunt, quæ voluerunt; qua licentia regia nemo magis cruciabatur, quam illi optimates : reliqua multitudo semper illis juribus gaudebat. Atque his patriis legibus vel regem et omnes proceres adstringere voluit *Otanes*, quod non alio modo efficere se posse credidit, quam abdicato regio imperio.

Quod attinet ad reliqua instituta popularia, ab ipso laudata, atque ad vitia eorum, quæ tam erudite, velut Græcus, exposuit *Megabyzus* (8), de his paucis videbimus. Certum est, ea viro Persæ vix propria experientia nota esse potuisse; sed tamen inde non sequitur, eum eorum non etiam aliunde notitiam habuisse : qua re demonstrata bene habebit parens historiæ.

(7) Herod. III. 31.

(8) Ibid. c. 81.

Atque primum quidem in § 39 demonstratum est, nihil omnino obstare, quin in despoticis imperiis Asiæ (juxta originem eorum ibidem expositam) diversissimæ formæ rerumpublicarum existant, ut potius vel ipsæ civitates liberæ in iis juxta alias deprehendantur, Græcorum aliorumque. Inde consequens est, famam illarum constitutionum, ne dicam adcuratam notitiam, ad usque aulam Magni Regis penetrare potuisse (9); unde vel nostri eam scire potuerunt.

Deinde *libera respublica* ipsorum orientalium in Asia non tam rara avis est, quam forte credunt. Extiterunt enim in India nationes numerosissimæ, agricolæ, quæ tamen simul vel pecoribus alendis operam dederunt. Plurimæ *Urbes* habitavere munitas, aliæ sub regibus vixere minoribus, *aliae habuere liberas respublicas, Nysaeorum* nempe propria natio. Reges illi jam *Cyro* tributa solvebant; ideoque respublicæ quoque illæ liberæ Persis notæ esse debuerunt (1), ad quos ipsorum remotissimorum regnorum ultra Indum fama jam pridem pervenerat. Hæ *liberae civitates*, præter Nysam, quæ citra Indum erat, omnes sitæ fuere inter Acesinen et Hyphasin fluvios atque in terra *Mallorum* usque ad Indum : populi vero fuere

(9) Hæc res adeo vera est, ut de ea nemo dubitare possit. Nam præter peregrinatores Græcos et Sapientes, legatos et oratores plus una vice ejecti e Græcia tyranni, confugæ ad Regem imperatores et reges pervenerunt et per longum tempus ad ejus aulam degerunt: *Solon, Syloson, Hippias, Demaratus, Themistocles* in eorum numero sunt (HERODOT. I. 29 – 33. III. 139. 141 – 149. V. 96. VII. 3. 108 – 110, 118–120).

(1) ARRHIAN. Ind. Op. p. 169, coll. IV. 25 laud. HEERENIO l. l. p. 378.

Cataei, *Adrastae*, *Malli* ipsi et *Oxydracae* (2). Omnes vero civitates hæ fuere *Aristocratiae*, cum *Senatu*, apud *Nysaeos trecentorum sociorum*, penes quem summa rerum fuit : et quibus certa capita præerant (αὐτοκράτορες ?) atque magistratus res reliquas et munera quotidiana gessisse videntur (τέλη dicti ?), adjecto forte Senatu sanctiori, cutode legum, quasi *Ephoratu* (cujus socii illi Νομάρχοι *Arrhiani ?*) (3).

Audiamus vero ipsum *Herodotum* nostrum, pro sua fide propugnantem alio in loco (4) : « Quum Asiam præternavigans *Mardonius* (*Gobriae* filius, *Darii* gener !) ad *Joniam* pervenisset, rem hic ego dicam maxime miram eis Græcis, qui sibi persuaderi non patiuntur, *Otanen,* unum e Septem illis Persis pro sententia dixisse, *populare imperium apud Persas debere institui.* Namque *Mardonius*, abrogato tyrannorum omnium inter Jones imperio, popularem statum in civitatibus instituit ». Ejusmodi profecto assertio Græcis propriâ historiâ probari potuit, ni fallimur ! ! Sed simul videmus, non *Persam Persis dedisse* hanc formam liberam, sed virum *prudentem Graecis* eam *restituisse*.

Post hæc omnia *Megabyzi* sententia, qui imperium *Optima-*

---

(2) Arrhianus V. 1. 2.

(3) Idem VI. 14 : Diodor. Sic. II. p. 241 citante eodem Heerenio l. l. p. 396 sq. Atque hoc loco jure admiramur summam illam ingeniosissimi Heerenii perspicacitatem, qua omnibus, qui unquam in his rebus versabantur, summopere antecellit, et cui hæc quoque nos debemus omnia.

(4) Herodot. VI. 43.

tium seligendum putavit, non certe aliena nobis videbitur a re; præsertim cum ille ingenue spem suam manifestaret, in horum optimatium numero vel *ipsum* et reliquos Septemviros fore. Hac enim sententia animi sensa ita aperuit, ut dubium esse nullum posset, se neutiquam Aristocratiam quandam Græcorum velle, quam ignorare se hoc ipso additamento satis superque probavit; sed constitutionem quandam, in qua *stemmatum capita* illi proceres essent; quæ res plane congruit cum rebus orientis.

Hoc vero sophisma omnium calidissimum, *Darium* illum, fugere non potuit, qui eam non ἀρίστων imperium, ut ille dixerat, sed revera ὀλιγαρχίαν nominavit, eamque non minus fugiendam esse censuit, quam *multitudinis imperium* (τὸ πλῆθος), ut *Megabyzus* popularem dominatum *Otanis* interpretatus est. Videmus itaque, nullum illorum recte sapuisse : *Otanes* enim *Democratiam* laudans involuntarie in *Ochlocratiam*, *Megabyzus Aristocratiam* præferens, eodem modo in *Oligarchiam* incidit; unde *Darius* optime sibi consultum esse vidit, ut *Monarchiam* ceteris anteponere posset (5). Præterea illi de formis suis locuti fuerant, quasi omnibus mendis liberis; unde *Darius* quoque *Monarchiam* suam, si a vitiis ei propriis munda fuerit, commendare præ ceteris potuit. Callide vero eos adduxit eo, ut ipsis, qui *patria instituta* tueri voluerunt, probaret, eos ipsa sublatione imperii unius *patria instituta* relicturos esse. Dixit enim : *Unde nobis libertas extitit? quis nobis eam dedit? populusne, an olicharchia, an unus imperans?*

---

(5) Herodot. III. 82.

atque pergit : Est igitur mea hæc sententia, *quum per unum virum in libertatem simus vindicati, ut hanc imperii formam tueamur, ad haec patria ne aboleamus instituta bene habentia; nec enim hoc utile nobis fuerit!*

Nihil verius esse potest hac sententia in ore Persæ. *Ortum* erat hoc imperium *militare* per *Cyrum* et *stare* non potuit, nisi per *regem despotam, continuo occupatorem;* in alia omni forma interitus inerat inevitabilis.

Quod vero magis *Herodotum nostrum* defendit, hoc est: Unusquisque Septemvirorum obtinuit, quæ voluit : *Otanes* omnium Persarum solus revera *liber* factus est cum tota gente sua in perpetuum (6), quod historia testatur ipsa : reliqui *Optimates* facti sunt, prægnantissima vi vocabuli, sed more Persarum et ex eorum sententia (7); *Darius* denique divina auctoritate, non humana, hinnitu nimirum equi, *rex* creatus est (8) — *patrio revera ritu.*

Quid itaque, num unquam alidquid magis ex sensu orientis factum est, quam hoc ipsum imperium et hæc procerum deliberatio? Sed interea nos eadem, qua Persæ, via ad *Despotismum* orientalem reversi sumus, de quo nunc videamus.

---

(6) Herodot. ibid. c. 83.

(7) Idem ibid. c. 84.

(8) Idem ibid. c. 86.

§ XLIII.

Quoniam supra (9) formæ civilis, quæ in genere, in civitatibus liberis obtinuit, primas lineas dedimus : hoc loco vel alterius formæ, nimirum *regnorum* illorum *Asiaticorum,* quasi in mutuam gratiam, ordinationem paucioribus depromere volumus, quæ non minus constans, ac in illis illa fuit, ni forte immutatam eam ac plane immutabilem vocare malueris.

Sententia princeps, ad quam in his rebus omnia referuntur, unde promanant omnia, hæc est : *Fuisse in Oriente, in magnis nimirum imperiis illis, formam despoticam, eamque continuo, omni tempore, sub quolibet principe, in quovis populo non solum extitisse, sed eandem semper, post omnes rerum vicissitudines regnorumque conversiones, eodem quo ceperit, rediisse et omnibus vicibus se quasi reparasse. Liberum in ejusmodi imperiis nunquam fuisse ullum, nec esse potuisse, sed Despotismum ingeneratum esse populis Asiae* (1). Ortum eum fuisse ex patriarchali dominatione et confirmatum eodem modo, quo imperia ipsa origines suas ceperunt, jam supra demon-

---

(9) §§ 32 - 38 hujus capitis.

(1) Vid. MONTESQ. E. d. L. XIV, 4 ibique, in nota, testimonia. De *his* populis vera est (neque vero omnino de *omnibus*) opinio, quam universi fere auctores amplectuntur, *ubique principatum extitisse unius; et hunc principatum fuisse hereditarium.* Vid. HERODOT. VII. 2. DIODOR. SIC. VI. p. 318. Principes quoque illi, qui rege mortuo eliguntur, tamen quodammodo jura heredum tanquam capita stemmatum habent. JUSTIN. XI. 7 coll. Mémoires de l'Acad. des Inscript. T. IX. p. 126.

stratum est (2). Qui armorum vi occupat, dominus est; qui *nomas* occupat, caput stemmatis, ideoque non minus despota, antea familiæ, postea populi. Unde enim ejusmodi princeps civilium formarum notitiam habere potest, cum formæ ipsæmet nondum existunt in orbe terrarum, ipsi noto?

Porro demonstratum est, *illa regna immensa fuisse;* inde vero sequitur, ea (quum antea civitates et imperia sic satis omnia exigua essent (3), nationes plures, sermone, moribus, religione diversissimas, continuisse. Eas itaque *omnes* Despota *unus*, qui non nisi suas res novit, non regere potest ex diversitate constitutionum earum; ne notitiam quidem habere certam potest omnium terrarum et populorum, quos sceptro premit suo. Inde consequens est, ipsum regnare debere *per Satrapes.* Hoc vero modo illi populi, unus alteri peregrinus manet (4), totum hoc ita conflatum contineri nequit, nisi vi armorum; Satrapes denique, qui a Rege remotissimi, ab eo neque observari, neque coërceri possunt, et a quibus regi ipsimet timendum est, quoad possunt, populos suos premunt. Hoc modo oritur systema quoddam Despotismi, quod solum quodammodo certa ratione inter se cohæret, atque eo magis confirmatur, quia vel Satrapes, stemmatum capita, quodammodo hereditarii sunt, ut rex ipse, atque omnino regis imaginem præ se ferunt, regis ad exemplum agunt omnes.

---

(2) §§ 38–39 hujus et § 9 Capitis II, Libri I; cfr. ARISTOT. Polit. III. 13.

(3) Vide § 30 in nota 2.

(4) Ipsi quoque exercitus non ex norma quadam militari componuntur et ordinantur, sed populus quisque, suis armis, suo modo, solitarius, cum hoste contendit. HEROD. VII. 40.

Accedit ad hæc omnia pessimus usus orientis, fons malorum uberrimus — *Polygamia;* de qua paullo uberius tractaturi sumus.

§ XLIV.

Polygamia apud omnes populos Asiæ, ex quo tempore de iis historia loquitur, non solum in usu fuit, sed in mores abiit, in alteram naturam transiit, legibus et religione sancita est. Præter unum *Moisen* nemo legislator eam ne verbulo quidem tetigit. *Moises* ipse, licet eam circumscriberet arctius, tamen concessit, quamquam improbatam a sese (5). In Africa quoque, antiqua et recenti, Polygamia constanter deprehenditur (6). Ejusmodi igitur res tam late patens, quæ tantam vim exercet in totam vitam hominum et civitatum; quæ denique solum in Asia et Africa et apud feras nationes novi mundi invenitur, causas habeat necesse est altiores et reconditiores : quæ cum proprie ad nostram provinciam pertinere videntur, a nobis, quantum poterimus, investigandæ sunt.

I. Constat inter naturæ scrutatores, omnium animalium illud, quem hominem vocamus, vi organismi ejus perfectioris, maxi-

---

(5) Vide I Mos. IV. 19. XVI. 2. XXV. 1. XXVI. 34. XXVIII. 9. XXIX. 23, 30. V. Mos. XXI. 15. 17; eam quasi necessariam certo in casu permittit II. Mos. XXI. 2–6; duas vero sorores *simul* ducere interdicit III Mos. XVIII. 18. Cfr. TEMPLE's Moral. und histor. Denkwuerdigkeiten, Versuch. 8. VOLNEY Voyage en Syrie cet. T. II. p. 446. BRUCE Travels to discover the source of the Nile. V. I. ch. 11. p. 284. (laudd. a WARNEKROS. Hebr. Antt. p. 457).

(6) Vide supra L. I. c. II. § 8 nota ultima, coll. Hannœverisches Magazin von 1781, p. 1402.

me propensum esse in libidinem sexualem; constat non minus inter philosophos morales, solummodo cultum hominem hujuscemodi cupidinibus resistere, sed iniquissimas sæpe contra eas subire pugnas, atque sæpius victum, quam victorem decedere: notum denique est unicuique, paullo adcuratius rem dispicienti, in nullis aliis terris animi cupidines et perturbationes ardentiores esse, quam in iis, quæ solis ardore permulcent corpus simul ac animum, in Asia et Africa; nullo etiam alio tempore vehementiores, quam eo, ubi homo cum juvene natura quasi idem, in ea, in materia, plane inest. Hoc discrimen quisque in una Europa inveniet, si meridionalem comparaverit cum septentrionali. Pubertas in meridie præcox vel pueris matrimonia suadet; qui pueri, ubi adoleverunt, conjugem primam ex eadem causa non amplius amant, neque etiam facile dimittunt, sed aliam et aliam continuo assumunt. Quum itaque hæc omnia cadunt in Africam et Asiam, cultus humanus vero eam ipsam ob causam tardius progreditur in illis, atque eapropter omnia diutissime in eodem statu manent (ut Asia tota testatur); colligi potest, quomodo ea, quæ semel ceperint, ibi constanter vigeant.

II. Nemo nescit, quanti pretii apud orientales semper fuerit numerosa soboles (7); quanti dedecoris liberorum penuria (8). Causæ hujus rei variæ;

---

(7) Herodot. I. 136. Strabo XV. p. 504. Alex. ab Alexandro Dierg. IV. 8. Gellius II. 15. Juvenal. IX. 87. Martial. II. epigr. 91. II Samuel IX. 10. Psalm. CXXVIII. 3, 4. 6. coll. CXXVII. 3, 5. Prov. Salom. XVII. 6. V Mos. XXVIII. 4, coll. I Mos. XLVI. 26. L. Jud. VIII. 30. X. 4. XII. 9. 14. II Sam. IX. 10. I Chron. III. 1-9. II Chron. XI. 21. XIII. 21. II Reg. X. 1.

(8) I. Mos. XV. 2. XXX. 23. Hiob. XXIV. 21. Jes. IV. 1. XLVII. 9. XLIX.

a) Cœli natura ipsamet, qua mulieres sæpe abortus fecere (9); et quæ multo majorem copiam puellarum gignit, quam puerorum (juxta *Montesquivium*);

b) Necessitas augendi genus mortalium ab initio, tum ad arcendas bestias, tum ad agrum colendum (1), tum ob defensionem contra hostes. Scimus enim, quemlibet patrem familias solitarium extitisse sibi, et bella fuisse inter varios innumera : quibus iterum factum est, ut virorum oriretur penuria, mulierum abundans copia, quibus uti ad novos viros procreandos potuerunt illi.

III. Mulieres censebantur non *personae*, sed *res*, quas possedit paterfamilias. Ideoque non solum sibi assumsit, quotquot placuere, quibus quasi instrumento uteretur novorum augmentorum; sed propter illam stemmatum separationem impedivit, quominus in aliorum stemmatum potestatem eæ caderent; ideoque ipsi necessitas erat, collocandi omnes (2).

---

18. LIV. 4. LUCAS I. 25. I Sam. I. 6, 11. Hos. IX. 14. Jud. XI. 37, cfr. NIEBUHR. Beisbeschr. v. Arab. p. 76. DAPPER Beschr. d. Landes der Schwarzen p. 482. SONNERAT Reise nach. Ost-Ind. u China B. 1. C. 7. POCOCKE V. II, p. 22 sq. ANQUETIL DU PERRON Reise nach O. Ind. p. 783. FORSTER u. SPRENGEL Beitraege zur Vœlk. u. Lænderkunde Th. I. p. 57. coll. LIV. XL. 56. Jos. Antt. Jud. VII. 10 (Vid. WARNEKROS l. l. p. 464 sqq. ubi plura).

(9) Psalm. VII. 15. *Jesaias* XXVI. 18. MICHAELIS de connubio scientiarum p. 36. Mosaisch. Recht II. p. 142.

(1) Cfr. Sam. IX. 10 et supra L. I. c. 3. § 11 - 13.

(2) Quam vili pretio habuerint mulieres, ex eo concludi potest, quod Babylonii a *Dario* obsessi, omnes fere strangularunt, ne rem frumentariam obsessorum absumerent (HERODOT. III. 151).

IV. Inde factum est, ut reges orientales multis mulieribus uterentur ostentationis magnificentiæ gratia : qua re gynæcea in immensum augebantur, indigenæ et peregrinæ multo pretio emebantur seu in bellis prædæ loco capiebantur. Accedebat ut, si rex mulierem non amplius amaret, eam tamen, quoniam semel regis esset, non dimitteret, sed in gynæceum concluderet, vel hac re cresceret mulierum unius viri numerus (3).

V. Ex his omnibus causis atque propter frequentia illa bella præprimis, ubi viduarum, quas nemo ducere voluit, copia crevit, leges ortæ sunt, quibus fratres et consanguinei viduam relictam ducere debuerunt; tum quia iis patriarcha uti voluit; tum vero etiam, quoniam miserius cogitari nihil potest vidua orientis; tum denique, ut fratris sine prole mortui *possessio* hoc medio in manus alterius fratris veniret (4).

Quam vero perniciosus hic mos fuerit et sit hodienum, unusquisque primo statim obtutu videt (5); præsertim si animad-

---

(3) Sam. XII. 8. II. 2. III. 28. V. 13. XV. 16. I Reg. XI. 3. II Chron. XI. 21. 23. II. Sam. XX. 30. coll. C. B. Michaelis Diss. De Muhamedismi laxitate morali § 12 sq. Brisson. Regn. Pers. I. p. 238, Athenæi Deipnos. XII. 2. XIII. 1. Curtius III. 3. § 24. Plutarch. Artax. c. 43. M. Tyrius Serm. 32. Diod. XI. 56.

(4) V. Mos. XXI. 15. 17. I. Mos. XXXVIII 8. Ruth. IV. 5-10 Niebuhr l. l. p. 69 sq. J. D. Michaelis De Jure Leviratus. Mosaisches Recht. I. § 9 coll. J. Caes. B. Gall. V. 15. Olearius Persian. Reisebeschr. B. VI. c. 20.

(5) Vide J. D. Michaelis Paralipomena contra Polygamiam in : Synt. Commentt. T. II. Sect. V; præsertim Heerenius l. l. p. 85 sqq. quem hac in re sequemur.

verterit, hunc usum ita inveteratum esse, populosque varios hujus rei adeo tenaces, ut nullo pretio, nullis legibus atque institutis ea privari possint.

Bona civitatis ordinatio pendet a bona institutione domestica; sine moribus nulla stat civitas : salus reipublicæ pendet ab amore patriæ, qui reliquas virtutes civium progenerat et alit; amor patriæ suspensus est ab amore parentum, a caritate in liberos, a pietate in parentes. Nihil autem magis adversari potest huic uexui familiarum, quam polygamia, quæ amorem conjugis in conjuges quasi distrahit in diversas partes atque hoc modo cum caritate conjugali solvit et delet pietatem liberorum et caritatem in illos, ac discordiæ semen immittit in medium opus concordiæ. Defectus harum virtutum domesticarum, quæ vitæ totius alteram quasi partem constituunt, post se trahit incuriam reipublicæ, homines solitarios reddit et patriam civibus privat. Optimus pater familias semper optimus civis erat, et optima mater familias optimos cives in lucem edidit. Ubi vero deest reverentia patris, deest quoque verecundia legum et obedientia, quæ magistratibus debetur : qui patriam patriaque instituta non amat, pro patria mori recusat. Ubi materfamilias, quæ insuper in pluralitatem individuarum distracta est, *res* est, ibi pater *re* utitur, ejus dominus est; inde *despotismus* domesticus præparat despotismum absolutum imperii (6). Unusquisque obedit alii, quoniam ad obediendum cogitur, non quia obedire vult : premit suos, quo magis ipse

---

(6) Atque vicissim Despotismus politicus firmiorem reddit domesticum. Vid. MONTESQ. XVI. 9.

premitur ab aliis. Igitur in civitatibus, in quibus polygamia in alteram naturam transiit, libertas, amor patriæ, leges, constitutio ne nomine quidem audiuntur. Jus privatorum et libertas personarum non existunt, quia nec privati, nec personæ adsunt : nam vel despota ille domesticus cum domino suo comparatus, servus ipse est aliorum : dominus supremus solus liber dici posset, nisi ab animi perturbationibus, cupidinibus et libidinibus, creaturis gratiosis ac mulieribus cruciaretur; nisi denique ipsimet magis timendum esset a servis dominis minoribus, quam illis ab ipso.

In his itaque superioribus hominum ordinibus polygamia magis pestifera deprehenditur, quam in ipsis minoribus. Ibi enim vigent et ardent omnes artes et artificia, quibus porterva mulierum nubes pollet ipsarumque semiviri custodes eunuchi (7) : unde nulla imperii successio certa.

---

(7) Quam periculosum sit, si quis rex ex pluribus simul viventibus mulieribus filios habeat, unicuique patet. Hoc vero non semel occurrit, atque mala exinde oriunda solummodo rex bonus et constans a regno averruncare potest, ut e. g. *Darius*, qui e *Gobryae* filia ante quam regnaret filios habuit *tres* (HERDOT. VII. 2), mox rex factus duxit filias *Cyri* duas, nempe *Atossam*, ex qua habuit *quatuor*; *Artistonen*, ex qua *duos* (quos cum matre maxime et *præ ceteris* dilexit); *Parmyen*, ex qua *unum* exceperat (ib. III. 88. VII. 2. 64. 69. 72. 78. 82. 97 coll. III. 12). Hisce nondum contentus, duxit item duas, *Phratagunam*, unde *duos* et *ignotam*, unde *unum* habuit (ib. VII. 97. 224. VIII. 89). Hæ mulieres fuere sive regis (Cyri) filiæ sive procerum Persarum : qualis malorum et protervitatis fons ! Quomodo ejus antecessor sævierit, supra videbamus (§ 41). Infaustos *Xerxis* amores atque *Amestridis* conjugis vindictas flebiles, quæ veram nobis illius aulæ orientalis imaginem præbere possunt, HERODOTUS narrat (IX.

Porro Polygamia, superne orta et aucta, ad reliquos descendit, imitatores nanciscitur; effeminat principes æque ac servos, ipsosque sobole privat terrasque depopulatur magis, quam pestis quædam funestissima, quoniam non solum longius durat illâ, sed nunquam terminatur, in dies magis magisque augetur atque longius serpit. Divites enim ex omnibus imperii partibus mulieres colligunt, magno pretio emunt (8), emtas quasi vivas sepeliunt, feminis alios privant (9); unde populi copia in dies decrescit ac diminuitur.

---

108 sqq.); regem ab *Artabano* et *Spamitra* Eunucho interfectum æque scimus, quæ hujus scenæ pars altera est. *Artaxerxem* I, quem *Amytis* tenebat, bellaque interna, quæ imperium dilaceraverunt, nominare satis est. *Xerxem* II a *Sogdiano* trucidatum, *Darium* II, a *Parysatide* et tribus Eunuchis misere rectum, *Cyrique* junioris, illa instigante, historiam et res novas quis nescit? (de qua tamen re omnino *Xenophontis* Cyropædia legi meretur). Quod ad machinationes attinet aulicas, huc pertinere videtur illud Magi et *Pseudo-Smerdis* facinus: nam ille *Procurator* domus a Cambyse relictus erat, ut HERODOT. narrat III. 61. Ad mulierum fraudes intelligendas eundem vide I. 8 - 12, ubi *Candaules* opera *Gygis,* jussu conjugis, trucidatur, coll. III. 67. 69. 134. VII. 3. *Xerxis* quoque in regem electio magnæ hic notæ est, *Ariobarzanes* nimirum ex *Gobriae* filia, et *Xerxes* ex *Atossa Cyri* filia nati, vivo patre de imperio contendebant, *Xerxes* vero ut CYRI nepos majora se habere jura credidit — et Atossa omnia apud Darium potuit (HEROD. VII. 2. sq.). Præsertim educatio principum heredum, non sine culpa *Cyri* ipsius, in manibus mulierum et eunuchorum fuit (PLATO Op. II. p. 695), unde historia Persica protypus historiæ Turcarum post *Soleimani* II tempora facta est.

(8) I. Mos. XXIX. 18 sq. XXXI. 15. 16. Hos. III. 2 et apud innumeros alios populos, quos citare longum est.

(9) Sæpe fratres plures unam tantum emere mulierem potuerunt, unde

§ XLV.

Si imperia Asiatica, hisce insitis morbis interioribus confecta subito quoque labebantur, quemadmodum subito orta sunt; jam nunc non amplius mirandum est. Attamen vel interitus eorum tantum differt ab interitu liberarum civitatum, quantum utrarumque constitutiones sibi alienæ sunt. Non enim labuntur conversionibus interioribus sive bellis, quæ proprie civilia nominare possimus; sed cadunt a peregrinis plurimam partem eversa; cadunt eodem modo, quo oriebantur et surgunt in eorum ruinis nova, eodem modo orta, ordinata, iisdem mendis et vitiis affecta, donec eadem morte intereunt vel hæc nova: circulus idem est, quo *moventur*, quem permeant impulsu quodam involuntario, quo excidunt, omni miseratione indigna. Momenta hujus casus paucissimis verbis dabimus. Omnium primum et efficacissimum est systema administrationis *per Satrapes*. Hi enim, origine Proceres, potentium ac numerosorum stemmatum capita, in terra primum occupanda belli duces, primum (ut supra dictum est (1), magnas, ignotas terras ad copias suas et semet alendos, a rege ita et

---

liberos deinceps creatos inita partitione dividebant ex æquo; sive natu maximus mulierem duxit, moriens alteri fratri reliquit quasi hereditatem. Hic apud Mogoles quoque usus est. SUESMILCH Gœttl. Ordnung in den Veraenderungen d. menschl. Geschlechts Th. I. p. 495; DU HALDE description de la Chine cet. T. IV. p. 48.

(9) Vid. § 59 hujus Libri.

absque omni lege et conditione obtinuerunt, ut in iis æque domini essent, ac rex ipse; ut proprio Marte copias contra alios populos educerent, expeditiones susciperent, terras occuparent ac magno imperio (i. e. partibus quisque suis) adderent : quæ fere cuncta inscio rege facta sunt ipsisque præprimis placuere. Eo tempore reges. ex nobilissimo omnium stemmatum orti, sacram quandam et inviolatam auctoritatem super ipsis exercebant, quamdiu ex illis gentibus primariis sumti fuerant (2).

Postea hi ipsimet reges superbiores redditi atque de omnipotentia sua certiores facti, non solum indefinitas illas terrarum partes magis definiebant, certaque ex illis tributa propriis legibus exegerunt; sed etiam proceres illos magis magisque proprio sceptro, invitos, rexerunt; unde servitus insolita ipsos inique pressit (3).

Tum vero sive bellis, sive scelere domestico, sive impotentia effeminatorum principum factum sæpe est, ut familia illa princeps sobole careret atque esse desineret. Novus itaque rex ex illis proceribus, sibi in omnibus rebus æqualibus, et sæpe ipsorum suffragiis sumebatur et summam prærogativam obtinuit. Innata illa et fere divina auctoritas evanuit; *homo* erat, qui ab *hominibus* rex dictus, super *hominibus* regnavit. Crevit cum invidia procerum arrogantia, odium et inobedien-

---

(2) Exemplum *Cyri* instar omnium est — *Patris* (vid. HEROD. I. 125. III. 65.)

(3) Meminimus jam supra *Cambysis* — *Domini* § 39, nota 2.

tia discordias et inimicitias aluit; artes aulicæ et mulierum accesserunt, totaque res in pejus versa est. (4).

Interea, quo magis reges ad conscientiam sui rerumque suarum pervenerant, quo certius machinationes istas perspexerant, quo magis procerum inauditam et insolentem arrogantiam cognoverant; cum insuper immensa eorum imperia in indefinitum augerentur bellorumque necessitas oriretur sive insatiabilis occupandi sitis cresceret: necesse erat, ut illud chaos ordinaretur, totum per provincias certas distribueretur, singulis præfecti darentur, hique certo nexu cum rege copularentur (5); quibus omnibus rebus illa invidia ex utraque parte aucta est.

(4) Hæc omnia cadunt in *Cambysen*, qui posteaquam fratrem *Smerdin* necaverat, ipse, *insanus* et *male sanus*, liberos nullos habuit, pœnam de Magis sumturus, gladio forte vulneratus obiit (vide supra § 41); deinde in eum, quem nunc *electione* regem fecerunt Darium septemviri proceres; quorum *pactum* hoc loco maxime significans est (HERODOT. III. 84). Probat enim, vel Persas jam *capitulationes de imperio capiundo* inire potuisse! non Germanos solum atque Polonos ultimis sæculis nostris solos. Expressis enim verbis *Otani* concesum est, *ut sui juris esset, neque pareret imperio, nisi quatenus vellet ipse -- ceterum leges non transgressus Persarum*, et quæ fuere reliqua. Aliis quoque in commune hæc placuere: « *unicuique ex septemviris, qui vellet, licitum fore intrare regiam* SINE INTERNUNCIO (quæ magna prærogativa est!)... *præterea non licere regi, aliunde uxorem ducere, nisi ex conjuratorum familia* (tali modo ipsis aditus *ad regem* et *ad res summas* patuit!!... HEROD. l. l. 83 sq.) *Intaphernis*, unius ex Septem illis, arrogantia mox luce clarius se commonstravit (ib. III. 118 sq.). Hoc loco *inconsulto* in memoriam redit *Josua* a *Mose*, *Moises* ab *Jehova* institutus.

(5) *Darius* exemplo est, qui XX provincias instituit *certaque tributa* imperavit — *Institor* (supra § 39. n. 2).

Satrapes vero illi, qui in regni finibus custodiæ causa collocati erant, raro in conspectum regis venerunt; rex quoque parvam modo eorum notitiam et curam habuit; imbellis ipse factus in gynæceum se includebat, ex eo res suas, auxilio eunuchorum et consilio reginarum moderatus est; unde illi sic satis independentes facti sunt.

Non etiam raro accidit, ut Satraps unus, artibus suis, sive necessitate suadente, sive quoniam ipsi, filio seu adfini regis, majora jura fuerunt, *plures* simul et opimas provincias obtineret; quibus ejus potentia adeo crevit, ut sæpe non minor esset illâ, quam rex habuit (6).

Ejusmodi Satrapes, si a rege male habitos se viderent, seu ducti cupidine dominandi, sive ipsi surrexerunt in reges soli,

---

(6) Ex multis exemplis unum tantum alterumve dabimus. *Pactyam Cyri* quæstorem Lydos ad desciscendum permovisse, HERODOTUS narrat I. 153 sq. OROETES vero Sardibus præfectus, tempore Magorum non solum nihil tulit auxilii Persis, sed multa superbe gessit atque contumeliose. Tantam vero ille potentiam habuit ex tribus, quæ huic uni datæ fuere provinciis (Phrygia, Lydia, Jonia), ut *Darius*, rex creatus, *non auderet* ex aperto copias contra eum mittere; sed ut clandestina cæde et astu eum necare Persas juberet (Ibid. III. 126 sqq.). Exemplum vero omnium prægnantissimum, quod habitum nobis præbere totius aulæ, ne dicam orientis, potest, inest in historia *Cyri* minoris, qui Asiæ minoris et copiarum præfectus, *Artaxerxi* fratri et regi, jure an injuria, dissidens, a *Parysatide* matre adjutus, de imperio cum rege contendit, funestissimumque bellum movit, accitis in suum auxilium Græcis. De qua re, ne longiores simus, vide totam *Xenophontis* Anabasin. Cfr. quoque divisionem regni a *Cyro* majore factam. CTES. VIII. 22. 23.

sive cum aliis, quibus idem consilium erat, conspiraverunt; nonnunquam peregrinos in auxilium adsciverunt; talique modo imperii ruinam præparaverunt.

Sicuti vero principes corrumpuntur, ita cum antiqua simplicitate morum virtus bellica in subditis cedit lasciviæ atque insuetis nomadico populo illecebris. Omnes desidia marcescunt, mollitie fluunt, præda fiunt robustiorum (7); qui, quasi divina clementia et voluntate sic constitutum sit, e montibus suis descendunt versus meridiem atque sanguinem corruptum generis istorum mortalium restaurant.

---

(7) In hanc sententiam ipsos laudare eos viros possumus, qui propria experientia edocti hanc rem scire optime potuerunt. *Cyrus*, ubi Asiam occupaverat, atque *Artembares* ipsi proposuerat, *meliorem terram Persis victoribus esse dandam, quam esset ea quam haberent*, sapientissime ipsi respondit : « Faciant hoc, simul vero ita se comparent, *ut qui imperium porro* NON HABITURI *sint, sed* PASSURI. Ita enim, ait, naturam ferre, ut *mollibus in terris molles nascantur homines :* nec enim ejusdem terræ esse, et *eximios fructus* ferre et *fortes bello viros* » (HEROD. IX. 12). *Crœsus* quoque, quum everso regno in potestate *Cyri* esset, Persasque Sardes captas videret diripientes, sic regem allocutus : . . . Persæ natura protervi sunt, iidemque inopes. Quodsi igitur hos passus fueris raptam ingentem pecuniæ vim sibi retinere, hoc tibi ab his credibile est eventurum : ut quisque istorum pluribus opibus fuerit potitus, ita maxime expectare debebis, hunc adversus te insurrecturum ! » (HEROD. I. 89). Gravissimum vero argumentum ultimo loco exhibere libet. *Crœsus* nimirum, ubi Lydi a *Cyro* denuo defecerant, ipsi, ne inposterum idem agerent, hoc consilium suppeditavit : « Missis nuntiis interdicito illis; *ne arma possideant bellica*, et *tunicas* jube eos sub palliis gestare, *cothurnosque* pro calceis induere : denique edic, ut *pueros* suos instituant *citha-*

Quibus ita constitutis, simulac hostes extrinsecus imperium invadebant, seu cultorum populorum, seu nomadum (quorum rationem supra vidimus (8); fieri debuit, ut imperium concussum et omni fulcimento orbatum, uno ictu corrueret (9).

Hos fines ejusmodi imperia habent!!

§ XLVI.

Post hæc omnia mirum est, quomodo tamen stare et perdurare potuerint ejusmodi imperia, et quum omnia licerent regibus, incredibile fere videtur, ea imperia non quovis momento alia facta fuisse; sed potius eadem constanter mansisse ad nostra tempora.

Ut singulare hoc phœnomenon quodam modo intelligamus, inquirendum est, utrum omnino nulla unquam impedimenta fuerint, quibus imperantium voluntas et arbitrium quodammodo compesceretur, atque tanta multitudo hominum contineretur.

---

ram pulsare et *canere* et *mercaturam exercere*, et mox videbis eos *feminas* ex *viris* factos, ut porro non sit, quod verearis, ne a te deficiant (Herod. I. 135).

(8) Vid. § 39 supra.

(9) Exemplum esse *Cyrus* ipse potest, qui *Astyagen*, Mediæ regem, imperio exuit, Medosque Asiæ fere totius potitus, sibi subjugavit. Scytharum variæ incursiones atque ipsa *Alexandri* Macedonici expeditio omnibus notæ sunt (cfr. Herod. I. 46. 75. 127–129).

Revera eorum deprehendimus varia : *Patria instituta*, *Religionem*, *Justitiae sensum* atque *famam hominum*. De singulis paullo uberius dicemus.

Supra monuimus, nationes quaslibet primævas, qualemcunque etiam postea constitutionem nactas, tamen semper antiquas quodammodo consuetudines retinuisse; in quibus reliqua omnia instituta, quasi in firmo quodam fundamento erecta fuerint. Hos mores antiquos neque reges, neque gentes, volentes, abjicere possunt, nisi simul natura quasi sua se exuere velint. Hoc vero velle nemo potest; hoc nemini ne in mentem quidem venit. Scimus autem, hos mores ortos esse natura duce, in vita patriarchali atque ex ea; ibi vero patriarcham fuisse dominum familiæ et sacerdotem; familiam ipsi ad nutum obediisse. Inde sequitur ejusmodi familias, si (qualicunque modo) in magnas nationes excrescant, patrem quoque familias, regem, nancisci, præter numerum et potentiam mutari nihil. Hinc itaque jus illud regnandi; hinc illa parendi voluntas sive potius consuetudo. Rex ejusmodi, qui ex arbitrio regit, regit ex *institutis patriis*, quæ regi, quæ velit, agere licitum esse edicunt — omnino : si vero de singulis rebus sermo est, atque rex ignorat, quid leges patriæ de iis instituissent, consiliarios habet, *judices regios*, a quibus audire potest, quid faciendum, quid non? Sequi potest eos, sive non sequi, atque ex inde oritur judicium et discrimen boni malive regis : nam qui sciens negligit eorum consilia, patrias leges violat (1).

---

(1) Quam sedulo omni occasione data provocassent Persæ ad *Patria*

Altera ex parte multum abest, ut populus ita sit miser, tantamque patiatur injuriam, quanta ea nobis forte Europæis videatur. Est enim in vita, in moribus patriis ut pareat uni, atque ejusmodi populus, de sua existentia nullam certitutinem nactus, vix sentit, se esse servum — omnino : si vero in rebus singulis violatur atque hoc ferre non vult, justitiam ab ipso rege expectare potest.

Egregie etiam fallitur, si quis credat, *populum* esse i. e. multitudinem nationis majorem, quæ inique tractetur : illi po-

---

instituta, HERODOTUS testis est (III. 80, 82). Ea ipsimet *Cambysi* cordi fuisse, ubi animi cupido ad male agendum impulit, apud eundem legere est (III. 31), ubi simul de judicibus regis, perpetuo constitutis, *legum patriarum interpretibus* audimus, atque de lege altera, quæ statuit « licitum esse regi facere, quidquid velit ». Judicum sententia ibidem legitur (c. 14); judex pecunia corruptus, excoriatus (hic quidem *Sisamnes, Otanis pater*), alius ob injuste latam sententiam capite damnatus apud eundem prostat (V. 25. VII. 194). Per deos regios (i. e. patrios) jurare reges solitos reliquosque Persas, ab eodem docemur (III. 65. V. 106). Vel barbaros jura omnibus hominibus sancita agnovisse, *Xerxes* probavit (ib. VII. 136). Leges quasdam singulas Persarum idem HERODOTUS nobis tradidit : « Filius ex pellice natus, ne succedat in regnum » (III. 2); « rex priusquam in bellum proficiscatur, successorem nominare tenetor » (VII. 2); *natu* etiam *maximum* successorem esse debere *Artabazanes* asseruit, *Xerxe* non negante (VII. 3). Et hæc una lex in ejusmodi imperio res maximæ notæ est. Atque tanta erat apud Persas juris æquitas ut si damnatus, ratione inita, reperiretur, plura bene, quam male fecisse, liberaretur (ut exemplum extat in *Sandoce*, ib. VII. 194, coll. I. 137, ubi mores alii ejusmodi plures Persarum memorantur. Vide etiam VI. 30).

tius sunt, qui regi sunt proximi gratiæque ejus participes; quibus plurimum a rege timendum; plurimum vero etiam sperandum est. Neque hoc aliquis sibi persuadeat, regem esse illum, qui maxime populum premat: illi potius sunt, qui regis vices in populo gerunt.

Quo meliori fide rex judices suos interrogat, quo se justiorem in decidendis litibus atque æquiorem comprobat; eo melius apud populum audit. Nemo vero est tam durus tyrannus, quin famam bonam amet, malam fugiat; uno verbo, qui *publicam opinionem* (ut hodie dicunt) non curet (2).

§ XLVII.

Superest, ut de *Religione* verba faciamus, arctissimo societatis humanæ vinculo et summa quasi lege, qua omnes homines inter se constringuntur.

Quemadmodum homo nullus est, qui Ratione plane destitutus sit, ita nemo unquam, præsertim primorum illorum hominum deprehenditur, quin religionis cujusdam sensum habeat. Hæc vero eadem cadunt in totas gentes, in hominum cœtus. Nulla enim gens, ait *Cicero*, neque tam immansueta,

---

(2) Exemplo prægnantiori nos uti non posse videmur, quam *Cambysis* iterum qui sæpissime, quid Persæ, quid alii de ipso loquerentur, percontatus est. Vide HERODOTUM III. 34 coll. I. 37 et DUMBECKII V. C. Clio Dialog. II (De Laudibus Historiæ) Cap. I, de Gloria.

neque tam fera est, quæ, etiamsi ignoret, qualem habere Deum deceat, tamen habendum nesciat (3).

Cavendum tamen est, ne hoc loco, quam nos sic vocamus, religionem cum ea confundamus, quam illi antiqui habuere. Apud eos religio nihil aliud est, nisi Deorum quorumdam qualiumcumque veneratio, certis cæremoniis atque ritibus, ideoque sacris celebrata. Omnis religio illarum gentium non ex absoluto quodam principio ethico manavit, omnibus populis communi, omnibus agnito : sed quot gentes, tot fere *religiones* extiterunt. Ideoque illi, qui religiones scribere populis suis voluerunt, eas instituere ex sensu populi, ex ingenio totius nationis debuerunt : omnes illæ religiones populares fuere et ejusmodi, ut universalitatem quandam necessario excluderent. Populus quisque suos Deos habere voluit, quasi tutelares, aliis Deis infestos, ipsisque longe superiores. Ejusmodi Dei populum continere arctissimis vinculis potuerunt, ipsumque in unitatem quandam popularem conjungere, simulac cæremoniæ multiplices accedebant et sacra communia, templa, festi dies (4).

---

(3) Cfr. P. BOULES Responsio ad Quaest. Theolog. « Num terrarum gentes uno omnes animo et ore *Deum esse* consentiunt? cet. in Annal. Acad. Groning. anni MDCCCXV — MDCCCXVI.

(4) Sic Persis urbs *Pasargadarum* continuo mansit imperii caput et metropolis (HEEREN l. l. p. 270), ubi magnam de Medis victoriam reportaverant (STRABO p. 1062); quam relinquere nullo pacto debuerunt (HEROD. IX. 122), ubi *dei patrii* habitavere; ubi regum sepulcra fuere, ubi sacro ritu reges initiabantur (PLUT. Artax. Op. I. p. 1012); ubi sacra fecere in summis montibus; quo sæpe migraverunt religionis causa (XENOPH. Cyrop. VIII. Op. p. 228. 233. CTESIAS in Pers. c. 19).

Exemplum instar omnium esse nobis potest *Jehova* Hebræorum, cui addendi *Jupiter Ammonius*, *Phtha*, *Osiris* Ægyptiorum, Zeus et Jupiter Græcorum atque Romanorum, *Hercules*, *Bacchus*, *Brahma* Phœnicum atque Indorum, sicuti *Belus*, *Dschemshid*, *Sol* Babyloniorum, Persarum, aliorumque (5).

In civitatibus minoribus, ubi major libertas, ubi singuli in communibus comitiis res suas curant, ubi una urbs, una gens totam nationem constituit; religio non tam necessaria est, quam in civitatibus majoribus, iis præprimis, quæ ex occupationibus unius gentis ortæ, ex variis sibique alienis nationibus conflatæ sunt, ut apud Assyrios, Babylonios, Medos, Lydos, Persas, ipsosque quodammodo Hebræos obtinuit. Illæ enim civitates vi armorum colligi, metu et voluntate unius, a numerosis exercitibus per tempus quidem, neque vero longum per tempus, contineri possunt; eæ itaque non nisi divino auxilio, non nisi religione firmitatem et consistentiam quandam nanciscuntur. In religionibus leges quædam inerant, quibus vel despotæ compescebantur, qui non hominibus, Diis tamen parere volunt, atque hac causa tyrannidis insatiabilia studia et arbitrii crudelitatem quodammodo, nisi angustis, certis tamen limitibus coërcent; quoniam certis formulis adstricti, in iismet ipsis omnipotentiæ terminos vident (6).

---

(5) Cf. MICHAELIS Mosaisch. Recht. Th. I. p. 33. 162. De Hercule Tyrio HEROD. II. 44, qui de reliquis quoque legi meretur.

(6) Medos e. g. tradunt, majorem sibi auctoritatem institutis religiosis, quam metu armorum comparasse (ut vel nos videbimus). CONON

Illo enim tempore nondum religio a legibus, et civilis administratio a religione, res humanæ a divinis distinguebantur, ut hodie. Hæc enim distinctio est fructus cultus altioris, qui eam reverentiam jam ipsis legibus humanis tribuit, quoniam earum necessitatem perspectam habet. Inde leges antiquæ omnino typum quendam divinum impressum habuere, seu potius a Diis latæ, a Diis sancitæ credebantur; quas itaque violare nemo potuit, nisi simul Deos sibi iratos reddere voluit. *Moses* ex monte Sinai, *Menu* ex aquis leges habuit; *Solon* hominum sapientissimus a Dea salutatus est, *Numa* cum Cerere et Nympha consuetudinem habuit, *Muhammedes* cum Deo ipso unico, qui ipsum prophetam elegit. Rex ille optimus credebatur, qui homines in terra ad exemplum Deorum in cœlis rexit.

Populi quoque aliâs ignavi, religione ad res strennue gerendas impellebantur (7); omnino religio quodammodo pro aliis virtutibus civilibus, amore patriæ, legum reverentia, reliquis erat.

Hoc rerum intuitu difficile non est intellectu, quo pacto ubique gentium sacerdotum in res civiles auctoritas tanti momenti

---

p. 424. JUSTINUS XI. 7. Propter religiosa instituta *Cecropem* laudant (vid. ISIDOR. VIII. 11), in quibus magna cum sapientia versatus esse scribitur (PAUSAN. VIII. 2), qui omnium primus Athenis templum condidisse perhibetur ab EUSEBIO in Præpar. Evang. X. 9 coll. MACROB. Sat. I. 10.

(7) Vid. H. A. HAMAKERI V. C. Oratio de religione Mohammedica, magno virtutis bellicæ apud orientales excitamento (in Annal. Acad. Lugd. Bat. anni MDCCCXVII — MDCCCXVIII).

fuerit. Atque in iis nationibus, quæ antiquissimæ rite prædicari possunt, Indis et Aegyptiis proprium genus sacerdotum extitit, omnino dominans, cui vel ipsi reges subacti fuere (8). Ubi populus cultior et liberior factus est, ibi vel hic ordo minus potens deprehenditur (Levitæ Hebræorum); in liberis civitatibus, Græcis et Romana magnam quidem auctoritatem habuere (Haruspices e. gr.) neque proprius ordo fuere. Nationes barbaræ quoque, quæ ejusmodi ordinem habuere in patria nullum, ac deinceps nationes alias subjugaverunt, ubi ille extitit, ejus quidem potestatem valde circumscripsere; attamen eorum legibus paruerunt. Sic *Magi Medorum*, qui antea summa omnia tenuere (9) sub *Persis* multum differebant a sacerdotibus illis Aegypti (1). Attamen vel post magophoniam magnum in illis pondus erat (2); præsertim *absque Mago* non fas erat Persis sacra facere (3). Iis religio publica, privatæ vitæ institutio, aulæ ordinatio, ritus religiosi, civilis administratio demandata erat, quam ex lege *Zoroastrica* curaverunt (4); quæ res adeo valuit, ut leges Medicæ constanter pro Persicis

---

(8) Vid. supra § 36. Reges ipsimet certa sacra fecere; atque apud Athenienses ad usque ERECHTHEI tempora regnum cum sacerdotio conjunctum fuisse tradit APOLLOD. III. p. 198.

(9) Regum somnia interpretabantur, res imperii judicabant et quæ sunt reliqua (HERODOT. I. 107. 120).

(1) HERODOT. I. 140.

(2) HERODOT. VII. 19. 37. 43. 113. 191.

(3) Idem I. 132.

(4) Idem I. 101.

nominarentur, ut ipsum gynæceum, ipse amictus ex more et modo Medorum institueretur (5).

Religio et legislatio in oriente separari nequeunt; ideoque sacerdotes, vi cæremoniarum, vim magnam in reges exercent, quamquam hi ex ipsis legibus capita omnium capitum vocantur et sunt. Nam sunt eodem tempore ipsimet servi ORMUZDI, supremi et optimi Dei, quem imitari debent. Omnia quidem, quæ volunt, agere ipsis licet, eorumque jussa irrevocabilia sunt; sed *Ormuzdum* imitatus nihil *velle*, nihil *jubere* debet, quod non sit bonum (6).

Hoc modo Religio lex princeps et quasi fundamentalis imperiorum orientalium est.

---

(5) *Esther* I, 18. 19. *Daniel* 6. 8, cfr. H. D. KLEUKER Anhang zum Zend-avesta II. III. p. 13. (laud. HEERENIO l. l. p. 429).

(6) *Zend-avesta* I. p. 72.

LIBER TERTIUS.

DE FORMIS IPSISMET RERUM PUBLICARUM VARIIS.

INTRODUCTIO.

§ I.

Ex iis, quæ hucusque a nobis prolata sunt, hoc efficitur, ut videamus, *regnari posse sive ab* UNO *sive a* PLURIBUS. Hæc cadunt quasi in oculos omnium. Inde factum est, ut formas civitatum omnes *sive* MONARCHICAS, *sive* POLYARCHICAS esse autumarent. Quæ quidem levissima rerum distinctio est, (licet auctorem non alium, quam *Aristotelem* habet (1); quoniam

(1) Vid. ARISTOT. De Rep. III. 7; coll. PLATONE de Rep. VIII et de Legg. III. p. 680 sq. CIC. De Rep. et de Legg. III. 7. TACIT. Ann. IV. 33, quos alii, antiqui et recentiores (hi quidem absque consilio) imitati sunt. Sic præsertim satis tenuiter AMPELLIUS c. ult. ait: Rerum publicarum tria genera sunt,

neutiquam naturam interiorem civitatum exhibet, sed in facie et habitu, velut in superficie hæret. Duplex enim forma hæc tam multiplex est circa indolem diversam, ut vix dici queat, ideoque multiplicitas ea ex summaria illa distinctione nullatenus intelligi possit.

Quis enim nescit, *Monarchiam* illam esse posse *Despotismum;* hunc iterum *orientalem* et *occidentalem;* esse illam posse sive *justam,* sive *injustam, absolutam* sive *limitatam, lege concessam* sive *usurpatam?* Quis nescit, summam civium *libertatem* et *juris aequabilitatem* in ea æque existere posse, quam *absolutam servitutem?*

Illa denique *Polyarchia* esse potest sive *omnium civium,* sive *paucorum,* sive *faecis populi,* sive *omnium Optimatium,* sive *selectorum.* Quis vero nescit, popularem formam æque premere posse ac *optimatium;* hos iterum *aequiores* sæpius esse plebe; plebem sæpe regi a *Demagogo;* Senatum non *minus* a *nonnullis capitibus proceribus* pendere?

Denique nemo ignorat, formam omnino nullam eam esse quæ dicatur; formam puram nullibi inveniri, nihil in formis esse posse, nec etiam debere, constans atque plane firmum:

---

regium, optimatium, populare; aut enim sub regum sunt potestate, ut Seleucia Parthorum (!), aut Senatûs, ut Massilia Gallorum; (non erat Senatus hic, sive optimatium imperium, sed *Oligarchia* potius: nam XV viri modo rerum summam tenuere. CÆSAR. B. C. I. 35); aut se ipsi regunt, ut Athenienses solebant. Est et quartum genus, quod Romani commenti sunt (cur?), ut ex tribus unum efficerent; nam regiam potestatem consules habent, et plebes habet suffragiorum potestatem (tertium autem et quartum?).

continuas esse in formis vicissitudines, descendere eas a puro Despotismo ad justam Monarchiam; hanc ad Aristocratiam; hanc deinceps ad Oligarchiam : sive versa vice Democratiam puram altera ex parte descendere in Ochlocratiam, hanc in Demagogiam; eam iterum adscendere ad Tyrannidem, hanc ad justum Regnum (2).

Homo enim, simulac de existentia sua certior factus est, reipublicæ administrationem in *suam* salutem et prosperitatem instituendam postulat; neque vero ad commodum imperantis (3). Ubi itaque illa certitudo sui augetur, crescit quoque hoc studium libertatis et prosperitatis suæ; ubi vero hoc crescit, formarum mutatio et emendatio suapte sponte sequitur; quamquam vel imperantes, qui suis item rebus ampliandis, propria hominis natura ducti, student, ejusmodi mutationibus acriter se opponunt (4).

---

(2) Vide hanc sententiam uberius expositam in DUMBECKII V. C. Κλ. sive de Historia cet. Dialog. p. 103 sqq. coll. Libro II. cap. II. § 18 et 19 nostro atque PLATO Rep. VIII. p. 546. CIC. De Div. II. 2, ARIST. (qui PLATONI adversari *videtur*) Rep. II. 1. 2.

(3) Cfr. BENTHAM V. C. in : Traité de législation T. I. p. 116. Non enim facile aliquis HOBBESIO adstipulabitur, qui in Leviathano suo » Homines, ait, vires omnes principi tradidisse, quibus non ad felicitatem omnium, sed pro lubitu uteretur. HALLERI istius pestifera sententia, quam hodie omnibus populis et principibus propinat, indigna est, quæ nobis, qui nunc vivimus, refutetur. In HUGONE vero GROTIO illo eam deprehendi, mirandum est. Vid. De Jure B. et P. I. 3. § 8, num. 1. 8. 9. 10. 11. 14, § 12. n. 1. II. 5. §. 31. III. 7. §. 1, n. 1. § 3, n. 5. Cap. IV. § 10–12.

(4) Adeo vera est sapientissimi MONTESQUIVII sententia (Esp. d. L. T. III. V.

§ II.

Si igitur hæc divisio sensum præbere nullum potest; si veritatem nullam habet; si discrimen verum formarum non exhibet, videndum est, ex quibus aliis rationibus verum inter formas discrimen efficiatur (5).

Ratio princeps ea est, *quae relationem atque nexum inter principem ac populum definit* ita, ut parum intersit, utrum ab uno, an a pluribus regnetur. Diversitas hujus rationis sola discrimen formarum civitatum sistere potest. Major itaque minorve populi libertas, sive defectus omnis libertatis hanc illius rationis diversitatem exhibet; atque hoc respectu formæ om-

---

L. XI. c. 4): C'est une expérience éternelle, que tout homme, qui a du pouvoir, est porté à en abuser; il va jusqu'à ce qu'il trouve des limites. Cfr. quoque DE LA CROIX Constitution de la Hollande T. II. p. 155. Exemplorum vero nubes prostat in singulis historiæ paginis.

(5) Verus hujus melioris frugis distinctionis auctor est IM. KANTIUS in opere quo *Pacem perpetuam* stabilire concupivit (p. 23 sqq. add. Elementa metaphysices doctrinæ juris P. II. sect. I. § 49, coll. HUBERO De Jure civitatis L. I. sect. 8. c. 5); res ipsa postmodum ab HEERENIO illo nostro luce clarius exposita atque penitus confecta est in: Jdeen cet. Th. I. Abth. I Beilage VI. p. 653 sqq. coll. p. 446 et ejusd. Handbuch d. Gesch. d. Staaten des Alterthums p. 27. ed. II: unde suas res fere descripsit auctor Gallicus in scriptiuncula, ceterum bonæ notæ, cui titulus: De l'influence de la forme des Gouvernemens sur les nations (par L. C. D. R.) Brux. 1817. 8. Attamen post tantum virum nos quoque addere aliquid possumus, quod illi effugit (vid. infra § 3).

nes esse possunt sive *liberae*, sive non *liberae*. Quoniam vero hominum in civitatibus viventium libertas duplex esse potest — *personae* nimirum atque *civis*; ex hac diversitate duæ novæ rationes inter civitatis socios ejusque principem oriuntur. Hoc itaque rerum respectu populus sive *caret omni libertate*, sive libertatem modo *personarum*, sive simul etiam libertatem *civilem* habet. Respectu primæ socii civitatis sunt et vocantur *servi* atque forma civitatis est *despotica*; respectu alterius illi vocantur *subditi*, atque forma inde enata ea est, quæ imperanti totam civitatem soli regendam relinquit et quæ eapropter vocari potest *autocratica*; respectu vero tertiæ denique illi socii vocantur *cives*, quibus eam ob causam rei summæ pars demandata est, unde formæ *liberae* (republicaines) oriuntur.

In omnibus esse possunt imperantes *plures*, seu *unus*, sive *Despota* unicus, seu *ordo* quidam Despotarum: sive *autocrator unus*, seu certa *classis auctocratrix*; sive *Magistratus* quidam *summus*, rex, princeps, imperator, consul, suffes nominandus; sive *ordo magistratuum multorum*, sive *delegati* totius cujusdam populi, *sive omnis populus*, *in comitiis de summis rebus deliberans*.

§ III.

Tali modo nos divisioni Aristotelicæ in *Monarchiam*, *Aristocratiam* et *Democratiam* opponimus novam distributionem in *Despoticam*, *Autocraticam* et *Liberam* constitutionem.

Dum vero hoc facimus, cavendum est, ne ex meliori statu,

quo nunc utimur, despiciamus *Aristotelem*, qui in his rebus præ ceteris omnibus utique maximus existit. Idque eo cautius faciendum est, quoniam non solum tota turba Aristotelicorum hominum, sed ipse *Tullius* ille noster (6) ei adstipulatur. Postquam enim edixit, quid populus sit, quomodo urbes et civitates ortas ipse crederet, sic pergit : omnis populus, qui est talis cœtus multitudinis, qualem exposui; omnis civitas quæ est *constitutio* populi; omnis respublica quæ, ut dixi, *populi res* est, consilio quodam regenda est, ut diuturna sit. Id autem consilium primum *semper ad eam causam referendum est, quae causa genuit civitatem. Deinde aut uni tribuendum est, aut delectis quibusdam, aut suscipiendum est multitudini atque omnibus. Quare cum penes unum est omnium summa rerum,* REGEM *illum unum vocamus et* REGNUM *ejus reipublicae statum. Cum autem est penes delectos, tum illa civitas* OPTIMATIUM *arbitrio regi dicitur. Illa autem est civitas* POPULARIS, *sic enim appellant, in qua in populo sunt omnia.* Ut itaque de iis recte æstimemus, hæc ante omnia tenenda sunt :

I. *Despotismus* et *Autocratia* omnino non vocari possunt formæ civitatum, quoniam omnino in iis civitas non existit, neque respublica. Res publica enim est res populi, ut ait *Cicero*, quæ simulac desinit esse res populi, plane non existit (3). In Despotismo autem reipublicæ socii servi sunt i. e. ne suam quidem voluntatem habent, non propter se existunt, sed

(6) Et hic quidem in proprio opere, de his rebus scripto, De Republica I. c. 26.

(7) Idem l. l. c. 25.

propter despotam, ideoque omnino non existunt. In Autocratia habent quidem voluntatem, personæ sunt; sed non respectu reipublicæ, quæ tota in solo autocratore inest, ideoque respectu subditorum non existit.

Tali igitur ratione habita non nisi *una* forma existit, neque vero tres formæ; quum in Aristotelica divisione hæc forma ad minimum triplex esse possit.

II. *Aristoteles* ipse non adeo a divisione nostra alienus extitit, ut credimus (atque eodem modo vel *Ciceronem* veriora *sensisse*, qui quæ supra ex eo dedimus, paullo adcuratius legerit, nobiscum profitebitur). Posteaquam enim de Civitate et Civibus exposuerat (8), diversasque reipublicæ administrandæ formas exhibuerat; has ipsas formas in *justas* et *non justas* divisit; illas quidem eas nominavit, in quibus imperans communem subditorum utilitatem respiceret; has vero eas, in quibus omnia ad utilitatem imperantis referrentur. Eadem ratione sedulo *Cicero* noster sic pergit : Atque horum trium generum quodvis, *si teneat illud vinculum, quod primum homines inter se reipublicae causa devinxit,* non perfectum quidem illud, neque sententia mea optimum, sed tolerabile tamen et aliud alio possit esse præstantius. Nam vel rex *aequus* ac *sapiens;* vel delecti ac principes cives, vel ipse populus, quamquam id est minime probandum, tamen *nullis interjectis iniquitatibus aut cupiditatibus,* posse videtur aliquo non incerto statu esse. *Sentiebat* itaque vera, neque vero *exprimere* in universum potuit :

(8) Polit. L. III. præcipue cap. 7.

nam exinde illam distinctionem desumsit, ut usum magis et abusum imperantis, ideoque personam ejus respiceret; neque vero id, quod constitutum esset. Forma autem civitatis non suspensa esse debet a *voluntate* imperantis, sed a *constitutione*, qua ille æque ac subditi tenentur.

Duplex insuper argumentum superest, quo demonstrare possumus, eum recte sensisse. Alterum quidem hoc, quod formas *justas* et *non justas* iterum dividit; illa quidem in *Regnum* s. *Principatum unius*, *Aristocratiam* seu *optimatium regimen* et *politiam* s. *imperium populare:* has vero in *Tyrannidem* s. *usurpatam potestatem*, in *Oligarchiam* sive eam, ubi quæ *plurium* esse deberent, ad *paucos* rediissent et *Democratiam* (i. e. *Ochlocratiam*) sive eam, in qua plebes magistra sibi cum detrimento ditiorum indulgeret.

Argumentum alterum duci potest ex judicio, quod ille de *Solonea* legislatione tulit (9), quam *optimam* eapropter nominat « quoniam per eam oligarchia vetus iniqua sublata atque democratia vera restituta, βουλὴ vero Areopagitica vindicata, omnino salutaris quædam inter *oligarchiam* (magistratus), *aristocratiam* (potestatem intermediam et legum custodem) ac *populare imperium* (veram democratiam) *mixtio* instituta fuerit » — quæ sententia certe nihil aliud sibi vult, nisi certam inter populum et imperantes rationem constitutam.

Accedit argumentum tertium, quo probari potest, eum *jus-*

---

(9) Polit. II. 12 ed. SCHNEIDER p. 93.

tas et *nonjustas* illas formas non voluisse suspensas esse a bona voluntate imperantium, sed a *continuo* quodam statu gubernationis. De Carthaginiensium nempe constitutione locutus, eam eapropter laudat, quoniam ea *per longum tempus* neque motibus civilibus, neque usurpatione tyrannorum, mutationes graviores passa esset, unde eam bene constitutam fuisse declarat (1).

III. *Polybius*, *Lockius*, *Macchiavellus*, alii hancce *formae* et *rei* discrepantiam ægre ferentes, æstuant, neque quo se vertant, scire videntur; unde *mixtam* quandam et ex *omnibus compositam* formam statuunt (2) optimam. Iis e sua parte sese opponunt *Hobbesius* (loco laudato) et *Hallerus* (3), qui absurdum esse aiunt, duas sistere potestates *supremas*. Sed non difficile est visu, *illos transitum* variarum formarum pro *mixtione* illarum habere; *hos* vero oblivisci, civitatem esse in civibus, id est, in principe ac subditis simul, ac utrosque nullo pacto a se separari posse, si civitas stare i. e. res publica res populi esse velit; absurdum itaque esse, membra unius corporis separare et tamen velle, ut corpus integrum persistat. Fons alius hujus erroris eo latet, quoniam indepen-

---

(1) Polit. II. 11.

(2) Polybius L. VI. Macchiavellus De Rep. L. I. c. 2. Non minus huc pertinet Tullius noster De Rep. I. 28, ubi sic (posteaquam singularum formarum suarum mala recensuit, pergit): habent hæc genera perniciosa alia vitia: nullum enim est genus earum rerum publicarum, *quod non habeat iter ad finitimum quoddam malum præceps ac lubricum*, cet. Cfr. Platonem quoque De Legg. III. p. 693. Theophylactum Inst. reg. II. 6, ubi eædem querelæ, eæque, ut vidimus, necessariæ.

(3) Cfr. supra L. I. c. I. § 1. in nota 2.

dentiam absolutam civitatis (la souveraineté), quæ solum relationes *cum aliis civitatibus* respicit, pro illimitata potestate principis i. e. *pro independentia illius a civibus*, sumsere.

Nulli vero amplius circa eorum errores dubii esse possumus, si eorum explicationes mixtarum et simplicium formarum audiverimus. Illas enim *simplices* vocant, *in quibus omnes partes rei summae penes* UNAM *sint personam, seu physicam, seu moralem; mixtas* denique illas (compositas, *irregulares!!*), *ubi diversae imperii partes diversis personis aut conciliis attribuantur et unius potestas alterius potestate circumscribatur ita, ut ex tribus sive pluribus con titutionum formis una sit composita.* Apud istos itaque homines omnia *componuntur* et *semper* componuntur, nihil *fit*, nihil *nascitur* ex sanctissima indole et natura *populi*, continuo ulterius progredientis, continuo magis magisque culti! Sunt itaque hæc commenta et theoremata ad lampadem elucubrata ab ejusmodi viris doctis, qui nec historiam, nec mundum, nec populum suum, neque se ipsos cognoscunt, qui aures habent et non audiunt, nasum habent et non odorantur (4).

---

(4) Sit, quæso, venia his verbis, quibus leges mihi a me præscriptas ipse violavi; sed hoc loco difficile est, non irasci. Odi enim omnes constitutionum *fabricas*, quas publico edicto e medio tollendas censeo. Non mihi ejusmodi magister fuit, qui me occæcaret, ut viderem melius, sive mente et ratione me privaret, ut *crederem* facilius!

Si vero majorem nostrâ illi auctoritatem desiderant, patrocinium nobis adest ipsius CICERONIS, qui hæc ferme ait: Naturale esse honestæ societatis desiderium hominibus, cujus semina quædam insita habeant, haud secus, ac naturalis sit virtus: quare reipublicæ frustra quæri COGITATAM *aliquam institutionem*. Vid. De Rep. I. c. 26.

IV. Siquis vero nunc quærit, quo pacto tam male acciderit *Aristoteli* nostro, ut animi sensa non etiam claris verbis expresserit, qui tamen aliâs verborum et sententiarum tam egregius artifex omnia luce clarius explicuisset? Ejusmodi quæsitori, si brevi vult absolvi, aliud responsum dare non possumus, quam hoc : Quoniam adolescens non sentit, neque loquitur, ut vir senex et sapiens. Ne vero hoc responsum aliquem obfendat, rem uberius exponemus (5).

Nascuntur formæ civitatum in et cum civitatibus, ideoque in et cum genere humano. Eas explicandi itaque non est provincia *Philosophiae*, sed *Historiae*. Illa constanter sequitur hanc; anticipare eam non potest; continuo in ea, universali nimirum, non particulari quadam, inest, extra eam esse non potest, quoniam historia ipsa spiritum mundanum, universum, in semet complectitur; quoniam hic spiritus in illa sola se manifestare potest; sive uno verbulo, quia historia ipsamet, hoc sensu accepta, philosophia est. Inde sequitur, philosophos captos esse ipso tempore, quo vivant, atque ex ejus solum atque præteriti temporis ratione philosophari posse.

Nunc autem supra demonstratum est, antiquum mundum fuisse *totalitatem nondum evolutam*, in ea hominem totum nondum in partes singulas fuisse dilapsum, voluntatem singulorum nondum liberam a voluntate universorum, homines

(5) In animum tamen revocata expositione quatuor Regnorum, supra a nobis data (Cap. II. Libri II § 13–17 coll. HEGELII opere ibi laudato § 273 p. 277).

V.

individuos nondum ad certitudinem existentiæ suæ pervenisse; religionem et civitatem, publicas et privatas res nondum a se distinctas; sed hæc omnia in unitate quadam *unius* seu *ordinis unius* absorpta interiisse. Hinc sequitur, illas res nondum ex *indole interiori* sua, sed ex *forma quadam exteriore*, qua sese manifestarunt, æstimari posse; non ex spiritu, sed ex instrumento spiritus; ex corpore, non ex anima in ipso inhabitante.

Inde vero iterum consequens est, in formis civitatum solummodo *numerum* imperantium prodiisse, non *rationem*, qua illi cum populo (qui nondum extitit nostro sensu) continebantur. Igitur *Aristotelem* constitutionum diversitatem ex hoc solo imperantium numero sistere potuisse atque, pro illo tempore, bene egisse. Illi enim homines *a prima congressione maris et feminae, deinde a progenie et cognatione* rem odiri suam *debuere* (6).

Si tamen *Aristoteles* quodammodo præsensisse videtur necessitatem quandam interiorem, eum hoc modo tempus suum recte æstimasse, quin tamen hac re major esset, quam alii, qui hoc non sensissent. Ipse enim ætate Græca vixit, eaque provectiore, ideoque *secunda* ætate mundi historici. Orientalis quidam scriptor non nisi unam formam exhibere potuisset, quia

(6) ARISTOT. De Rep. I. 2. VII. 16, coll. POLYBIO VI. 6. DION. HALICARN. II. 24. D. AUGUSTIN. De Bono Conjug. c. 1, quamquam ejusmodi exordia *Ciceroni, Romano*, parum placerent, qui tamen non minus in ea re inest, licet sui inscius (Vid. De Rep. I. 24).

non nisi *unam* ætatem, orientalem, videre et æstimare valuisset.

Inde vero etiam non mirum est, *Polybium* historicum *Aristotelem* philosophum in his rebus superasse : ille enim ætate jam *tertia* vixit, licet nondum adultà. Si itaque ille mixtionem quandam formarum proposuisset, neque vero, ut *Lockius* ille atque *Montesquivius* de *repraesentativo* civitatis systemate atque *diremtione quadam* summæ potestatis locutus esset; nostrum esse, scire hodie, in *quarta* ætate historica, illum de hac re *nihil scire potuisse* (7).

---

(7) Hoc loco quasi nolentes ducimur ad veram PLATONIS et ARISTOTELIS æstimationem, quos utrosque alium ad vivum resecant, alium laudibus sine fine mactant. PLATO enim disertis verbis (De Rep. IV in fine) perhibet : «*parum reipublicæ et legum interesse, utrum plures an unus dominetur, dummodo is legibus imbutus sit.*» Atque CICERO quoque, Lælii personam agens, *Quid, quæso*, ait, *interest inter unum et plures, si justitia est in omnibus?* (Rep. I. 39).

Sed quemadmodum *Lælius* (i. e. *Cicero*) adsentitur *Scipioni*, qui rem privatam pejus a *pluribus* villicis quam ab *uno* regi adserit, i. e. qui imperium *unius* omnium optimum esse censet; sic quoque *Aristoteles Platoni* adsentiri et tamen discrimen civitatum ex *numero* regnantium ducere potest. Nimis itaque redolet *Academiam recentem*, si VILLEMAINIUS Gallus (qui *Ciceronis* Rempublicam edidit ac *Gallicam* reddidit-Parisiis 1825, II. 8) hæc profert (dans le discours préliminaire p. XXXI-XXXIV) : Platon, comme l'a remarqué Rousseau, avait tracé dans sa république plutôt *un traité d'éducation, qu'un système de gouvernement* etc. (Sic certe sentire *Roussavius* potuit. Si vero ille *Platonis* Rempublicam comparat cum ÆMILIA Roussavii—nimis nativus esse videtur!)..... *Aristote, dont les écrits sont presque toujours* LE CONTRAIRE *de ceux de Platon,*

V. Ex his omnibus colligitur, nos, qui *omnes* civitatum for-

---

par la même cause qui fait qu'un homme d'un génie profond et d'un sens exact est naturellement TENTÉ DE CONTREDIRE OU DE RÉCUSER LE TÉMOIGNAGE D'UN IMPROVISATEUR ÉLÉGANT; *Aristote, fidèle dans sa politique au principe* MÊME *de sa philosophie, n'avait consulté que les faits et l'expérience*, etc. (in qua ultima sententia inest contradictio absoluta : ejusmodi profecto philosophi non sibi systema fabricantur quoddam *suum* philosophiæ *suæ*, atque ea, quæ experientia edocti sciunt, ad ea principia conformant!) In hac tota sententia involucris est utriusque philosophi summa dedignatio : hoc enim philosophorum genus dignius est, quod tollatur de medio, quam ut immortalibus celebretur laudibus.

Omnino in judicando *Platone* ille oblitus esse videtur sententiæ illius : *Quod nunquam fuit, omni tempore fuit!* Vid. hac de re DUMBECKII V. C. Clio supra laud. DIAL. I. c. III. « De Philosophiæ ac Poësis cum Historia concentu. » Ex hac jam nota colligi pótest, quo pacto PLATO (Rep. VIII. p. 545) de quatuor *vitiosis* generibus politiæ scribere possit; quæ vocat τιμοκρατίαν, ὀλιγαρχίαν, δημοκρατίαν, τυραννίδα. Ille enim *improvisator* plura assecutus est *elegantia*, quam alii ad unum omnes *siccis principiis* suis. Licet enim ipse ATHENÆUS XI. 15 *Platonem* rempublicam suam, ut picturam, sibi ad oculorum velut oblectationem confinxisse, autumet, eamque eapropter parum aptam esse censeat (cfr. POLYB. VI. 47), *quod ei nulla gens apud se locum concesserit* (*Plotinum* quoque Rempublicam *Platonis* in Campania instituere frustra voluisse, testatur etiam PORPHYRIUS in vita ejus) : tamen Platonis De Republica et De Legibus libri hanc præbent, eamque summam utilitatem, ut exhibeant id, quod maxime necessarium est, *Summum* nempe, quod attinere omnes respublicæ summo studio *conari* debeant, etiamsi nullo pacto id reapse obtenturæ sint. Juvat enim, ut irretorto oculo id intueatur homo, quod maximum est et optimum, ut ad id consequendum constanter innitatur, eoque utatur duce et magistro, quo ad meliora promoveatur. Scripsit enim *Plato* non de republica quadam, quæ introduci apud gentes debeat, seu possit etiam, sed quæ omnibus viam

mas animo complectimur, duce historia, non philosophia hoc agere debere, ideoque sequi illam divisionem, quam *Aristoteles* auctor constituerat, ita tamen, ut simulac res in qualicunque forma nostram ætatem tetigerit, continuo, juxta eam, eaque relicta, rem ex interiori natura civitatum exponamus.

Ordiemur itaque ab initio, a fundamento, a *forma* et *facie* rerum et cum tempore adscendemus ad *apicem* constitutionum, ad *rem* ipsam et *spiritum* rei exprimendum. Unde speramus fore, ut æqui scriptoris historici munus rite consequamur — *vivo* corpore *civitatis exhibendo.*

---

munïat ad optimam quamque, quam pro re nata populus quispiam attinere possit. Cfr. quæ supra diximus in Procem. § 5 sqq. et infra dicemus L. III. c. III. § 16.

CAPUT PRIMUM.

DE PRINCIPATU UNIUS SIVE DE MONARCHIA.

§ IV.

DE DESPOTISMO ORIENTALI.

Despotismus orientalis ea est forma imperii, in qua voluntas universalis nationis totius, in totalitate sua absoluta, in una unius imperantis voluntate interit.

In eo itaque imperans jus absolutum dominii habet personarum et bonorum subditorum suorum; ubi ejus voluntas sola est, et præter eam nulla alia aliorum hominum; ubi non solum potestas legum jubendarum, earumque exequendarum, totaque jurisdictio et civitatis repræsentatio penes unum dominum est, atque voluntas universorum propter salutem civitatis adest; sed ubi vel præter hanc salutem publicam voluntas privata singulorum illi uni ejusque arbitrio plane subjecta deprehenditur ita, ut ratio hominum unius imperii alia

non sit, quam ratio *domini* atque *servorum*; nomen vero *civium* atque *libertatis* ne audiatur, ne cogitetur quidem.

In his itaque imperiis limites nulli alii sunt, quam ii, quos imperans ipse sibi, ejusque conscientia, quam de necessitate existentiæ et salutis servorum habet, ponit (1).

Religio quidem et mores patrii multum valent; sed imperantem *non jure* coërcent : porro neque religio, neque instituta patria impedimenta esse possunt arbitrii principis, quoniam non extrinsecus, non voluntate populi, non lege quadam constitutionis, sed intrinsecus, ipsa vitæ consuetudine, struuntur — eodem plane modo eademque ratione, qua homo infans non capite, sed pedibus ire conatur atque manducat, quia fame ad manducandum compellitur, patrive obtemperat, non quoniam vult, sed quoniam ipsi non in mentem venit, se non velle posse (2).

Attamen ex origine horum imperiorum (3) aliisque causis fieri potest, ut non omnino omnes subditi eadem voluntatis suæ privatione premantur, sed ut certa eorum pars plus minus libera existat atque sui juris, licet de *libertate civili* neutiquam in iis sermo esse possit. Inde jam in hac simplicis-

---

(1) Vid. supra Libri I, c. III, præs. § 13.

(2) Vid. L. II. c. III. § 39 et 46 sq.

(3) Vid. L. II. c. III. § 38. *Barbari* (i. e. non Græci) natura dicuntur esse *servi* ab Euripid. Iph. 1402. Aristot. Rep. I. 2. III. 14.

sima forma magna esse varietas potest, indole licet propria penitus servata.

Criterium itaque despotismi orientalis in eo consistit, quod imperans subditis suis non ut personis, sed rebus, ad arbitrium uti potest; in quo usu nemo ipsum impedire valet, neque etiam quasi divinitus constitutum atque sancitum dominum ex possessione sua deturbandi animum habet, sed potius hunc statum agnoscit atque consuetudini obtemperans quasi probat tacito consensu.

Quum vero homo hoc Despotismo *jure humano* privatur, variæ de ea re quæstiones a viris doctis in lucem editæ sunt. Hominem enim, aiunt, ad cultum humanum, ad perfectionem esse destinatum; ad eam autem pervenire neminem posse, qui libertate sua privatus sit; imperii constitutionem, quæ eum hac libertate privet, omnino justam adpellari non posse, quoniam nefas sit, impedire hominem, quominus homo esse possit (4).

Sapientissimorum virorum gratià dictum esto, nos penitus negare, *hominem singulum* ad eam *Perfectibilitatem* esse destinatum, quæ *toti* solum *generi* hominum, omni tempore et in omnibus locis sese manifestanti, data esse nobis videtur. Scimus autem, historia Asiæ totius edocti, vel *singulos* homines non adeo miseros esse in oriente, quam nobis videantur; miseriores vero illos ipsosmet, qui propria libertate, certa hominum classis, privilegiis ditata, usi fuerint, semper fuisse

(4) Heeren V. C. l. l. p. 659.

reliquis omnibus. Totum vero populum a Despota rectum parum sentire eam libertatis privationem, neque magis, quam infans sentiat patris dominationem; Orientem denique totum in historia universa iufantiam generis humani sistere, quæ ibi continuo reparetur et renascatur, quemadmodum in unaquaque familia filioli, pueri, puellæ juxta adolescentes et viros existant seseque reparent. Quamdiu vero populus quidam eum despotismum nondum sentiat, tamdiu ad majorem libertatem eum non esse idoneum, quam simulac senseri, proprio motu sibi expostulaturus sit atque vindicaturus, etiamsi sexcenti Despotæ ipsum in ea re impedire voluerint; Despotas denique ipsos suapte sponte et inscios ad liberiorem constitutionem duci debere, simulac in populo ipso sensus libertatis adolescere cœperit. Ceterum vel illis nationibus præclusam non esse viam, qua ad majorem cultum pervenirent, quum eas iteratis vicibus e patria migrantes, alias sedes occupatum exire videamus, ubi in novis terris, sub alio cœlo vires suas cum libertatis sensu et studio explicare non nequeunt.

Hinc sequitur, ejusmodi imperium omnino *formae constitutionis* nomen mereri, quoniam cum ingenio illius populi quadrat, quamquam Europæi ab eo abhorrere omni jure possint. Nam hæ res ex *historia*, non ex ethica, neque ex politica sapientia nostra judicandæ sunt. Atque eapropter errasse nobis videtur *Joannes Muellerus*, qui « Despotismum, ait, in pejus degeneratam Monarchiam esse (5). » Ubi monarchia, eo sensu,

(5) Sic enim ille propriis verbis suis (XXIV Buecher allg. Gesch. Einl. p. 15) : « Der *Despotismus*, der von keinem Gesetz weiss, als von der Willkuehr eines Einzigen, ist eine Ausartung der Monarchie. »

quo vir clarissimus eam usurpavit, nondum existit, ibi degenerare non potest. Despotismus enim ante (ejusmodi) Monarchiam (justam nimirum) aderat. Videmus itaque, ipsum solummodo de monarchia (absoluta?) occidentali esse locutum, de orientali (vera nimirum) non cogitasse.

Omnes etiam criminationes, quibus *Otanes* ille Persa hunc despotismum condemnavit, non a multitudine nationis, sed a solis illis Persis jure fieri atque sentiri queunt, qui majori libertate ipsis concessa meliora sperare atque expetere possunt (6). Alia vitia, Despostismo a recentioribus æque ac antiquis scriptoribus adscripta, Despotismo alius plane generis tribuantur necesse est, de quo postea loquemur.

§ V.

DE THEOCRATIA.

Theocratia ea est forma regiminis, in qua imperans non homo, sed ipsum numen supremum est; cujus vices certus hominum Ordo gerit, qui huic numini sacra facit atque medium tenet inter ipsum et subditos — sacerdotalis.

Hoc imperium, absque omni dubio *primum, proprie ex st atu patriarchali* natum est (7), postea crescente hominum copia ordinatum.

(6) Vide supra L. II. c. III. § 41.

(7) Vide supra L. I. c. II. § 9.

Licet itaque vel hoc imperium sit *Despoticum*, Despota tamen ipse *extra* subditorum conspectum existit, ivisibilis, ab omnibus vitiis, cupidinibus, animique perturbationibus humanis liber, sanctissimus; atque ii, qui ejus locum inter homines tenent, non propria, sed divina auctoritate, cui ipsi obnoxii sunt, rem gubernant.

Ex hoc imperantis et subditorum nexu maximum oritur inter hanc et despoticam formam discrimen atque alia plane subditorum et magistratuum, vices gerentium, ratio.

Despota igitur *pater* est, optimo vocabuli sensu; subditi ejus sunt *familia*. Pater benignus est, non durus dominator, licet severus in eos, qui jussus ejus non sequuntur. Timor et amor et pietas mutuis vinculis utrosque conjungunt; clementia domini sine fine est, sed ira quoque, licet non implacabilis, tamen non nisi summis sacrificiis et absoluta obedientia placari potest.

Jussus illius domini non ab *ipso* præscribuntur subditis, sed instrumento sanctorum virorum electorum cum iis communicantur : sed iterum non hi moderatores sunt legumlatores et arbitri, sed medium, quo ad suos loquitur dominus; nisi amet oraculorum responsis voluntatem suam manifestare subditis (e. g. oraculo Ammonii Jovis, Herculis, Hori, Apollinis, Bubastidis, Martis, Minervæ, Latonæ apud Ægyptios) (8).

---

(8) Vid. Herodot. II. 83. 154.

Inde sequuntur hæc :

I. Electos illos viros, qui arctiori vinculo cum ipso numine continentur, nobilissimos esse omnis nationis et eos, qui ipsi familiarum numerosarum capita jam pridem extiterunt; ideoque hereditarios in hac dignitate æque ac illa gentis nobilitate. Eos misceri cum minorum gentium subditis non posse, magnis privilegiis gavisos, aliis omnibus et auctoritate et opibus longe præstantiores — classem quandam hominum dominatricem (9).

II. Eos regere imperium legibus a Deo acceptis, ideoque religionibus, quarum illi moderatores, custodes, possessores sint atque executores.

---

(9) Quævis civitas suos Deos et sua templa; quodvis templum suos sacerdotes habuit: hi hereditarii quidem fuere eo magis, quia agri, ex quibus sustentabantur, ad cultum certi numinis, ad certum templum pertinuerunt, circa quod reliqua populi multitudo habitavit. Hinc omnia consistentiam quandam obtinuerunt, quæ iterum novum impedimentum dominationis universalis evadebat. Sacerdotes omnes templi unius, juxta officia sua ordinati et divisi, et quisque in suo munere hereditarii fuere, omnes moderabatur Archipresbyter, eodem jure heredis constitutus, summa auctoritate gavisus. Hi sacerdotes non solum religionem curarunt et sacra fecerunt, doctores, artifices, astronomi, historici, medici fuere; sed etiam magistratus rempublicam administravere, jus dixere exclusivo jure. Ipsi, præter milites et regem (hi tamen certis legibus) soli fuere agrorum possessores (optimo nimirum tempore), quia tota terra domini erat, id est, numinis, ex qua thesaurus (non regis, sed) templi seponebatur, cui sacerdotes erant præfecti (Vide HERODOT. II. 28. 36. 37. 42. 143. DIODOR. I. 84. coll. Genes. 41, 45. 47, 18–26). De Sacerdotibus Æthiopibus supra exemplum dedimus L. II. c. III. § 36.

III. Hoc modo ipsos quidem esse potentiores et liberiores aliis; sed æquales inter se atque coram lege illa divina, eorum judice, æquales cum omnibus.

IV. Ideoque elementum majoris libertatis humanæ jam hac ipsa in forma inesse, arbitrium autem premens plane excludi. Illos in dignitate et auctoritate sua agnosci ab omnibus, non quidem ex voluntate singulorum, neque ex optione eorum, sed jussu *divino.*

V. Vinculum religionis certiorem et firmiorem reipublicæ statum efficere atque coërcere impiorum conatus, atque hac ope impedire civitatis perturbationes, singulorum arrogantiam, summæ rei usurpationes. Religiones enim illæ solis, sed multis, cæremoniis constabant, quas sequi omnes debuerunt. Quo vero plures cæremoniæ, eo plures quoque termini existunt absolutæ potestatis.

VI. Splendorem illum et magnificentiam Asiaticam regum despotarum, artes et machinationes aulicas mulierculårum et eunuchorum atque totam nubem malorum inde redundantium, bellorum studia, subditorum exactiones, Satrapum novas res et innumerorum tyrannorum minusculorum suppressiones et exactiones, tumultus, conversiones et quæ sunt reliqua, in his imperiis sive omnino non, sive rarissime deprehendi.

VII. Vitam privatam tranquilliorem, justiorem atque incorruptam manere; sed simul etiam morti, quam vitæ similiorem; vires humanas minus excitari et exerceri, quam in illis

civitatibus despoticis; omnino vitam *civilem* non magis in illis, quam hisce oriri posse.

VIII. Præterea absolutus ille dominatus unius circumscribebatur aliis insuper rebus. Notum enim est, nationes ejusmodi constitisse non ex singulis hominibus, qui sui omnes ad unum juris fuerunt; sed cœtibus hominum, seu familiis, seu stemmatibus frequentioribus ita, ut quot stemmata, tot fere essent popelli, quos nullum aliud vinculum complectebatur, quam religio et qui eandem ob causam a se independentes (i. e. quisque suo capiti solum subjecti) fuere in reliquis omnibus vitæ negotiis.

Deinde apud omnes populos antiquos, seu plurimos saltem, pluralitas Deorum extitit; igitur non minus pluralitas religionis, ideoque varietas cæremoniarum atque sacerdotum; quæ res impedivit, quominus omnis natio sub unius dominationem veniret absolutam, sed subjecta solum esset religioni atque Diis, eorumque sacerdotibus, qui inter se independentes quidem, tamen a summo quodam Deo et a supremo ejus Sacerdote regebantur.

Tum vero etiam illæ respublicæ plurimam partem origines cœpere suas ex coloniis aliarum; unde factum est, ut hæ coloniæ a semet invicem plane liberæ, non nisi summis quibusdam institutis ac legibus, præsertim iterum religiosis, in unam nationem coalescerent.

Quæ cum ita sint, unusquisque videt, multum differre a Despotismo illo puro, et multum præstare quoad libertatem

majorem hasce respublicas theocraticas. Sunt tamen præterea alia momenta, quæ nobis historia earum exhibet et quæ nunc duce et exemplo historiæ Ægyptiacæ et Hebræorum exponere in animo est.

Quæ adhuc diximus, de Theocratia in genere valent, absque respectu situs locorum cœlique aliarumque rerum. Sed theocratia multo majoribus vicissitudinibus obnoxia est, quam despotismus, jam eapropter, quoniam liberior est illo. Ad has mutationes quodammodo exponendas non in universum disputandum est, sed theocratia ipsa in diversis populis *historice* demonstranda.

Ægyptus ab initio a feris nomadibus habitata (1), forte Æthiopibus : ad hos pervenere, temporum lapsu stemmata alia, nobiliora, quæ in Nili convallibus consederunt, urbium, templorum, agriculturæ, civitatum auctores. Hæc nomades illos *non vi armorum*, sed *cultu erectiori ac religione* superaverunt; quæ res primum in superiori Ægypto, in Thebaide, obtinuit (2).

Hinc statim colligitur : *Eos, qui non armis subjugati sint, etiam nòn armis teneri posse, ideoque eorum regimen non premere ad modum despotismi, eorumque servitutem plane*

(1) Diodor. Sicul. II. p. 52 (facta hæc et locos auctorum ab Heerenio collectos, in nostros usus convertimus. Vide illius opus laud. Th. II. Abth. II).

(2) Herodotus II. 15.

aliam esse. Porro civitatem ibi non statim unam fuisse per Ægyptum universam, sed ortas esse, per tempus, juxta se, plures easque minores; has iterum progrediente cultu varias; qua re despotismo illi orientali locus esse nequibat.

Illi vero civitatum conditores ex Æthiopia venerant (3), ubi religio origo commerciorum, templa initia urbium et meditullia civitatum, sacerdotes utrarumque rectores fuere. Hæc igitur omnia etiam in Ægypto denuo inveniuntur. Civitates nempe complures, quævis cum ambitu suo, omnes a se independentes, postea in *nomis* superstites (4). Sed nulla terra tam variam naturam ostendit, quam Ægyptus; ideoque nomi illi varii esse ex hac soli natura debuerunt. Ubi terra agriculturæ apta erat, ibi agricolæ; ubi Nili fluvii abundantia pascua opima procreavit, ibi pastores fuere; idem fluvius, qui quotannis Ægyptum fere totam in mare convertit, nautas creavit.

Sine agricultura stare civitas nequibat, atque religio ipsa eam jussit; *inde agricolae reliquis fuere nobiliores, majora habuere jura, majorem libertatem; reliqui tolerabantur; unde alterum post sacerdotes hominum genus* (5).

Porro Ægyptus erat circumdata *a bellicosis nomadibus, qui plus una vice eam occupavere ac devastaverunt — Libyes,*

---

(3) Diodor. Sic. I. p. 60, 175 sq.

(4) Idem I. p. 64. Strabo p. 1154. Plin. V. 9.

(5) Vid. Genes. 46, 34. 43, 32. Herod. II. 47.

Æthiopes illi, Arabes (6). Inde bella innumera, longæva; mox victoria et nomadum expulsio, *inita tamen pactione.* Neque vero sacerdotes, nec agricolæ, nec pastores bella gerunt, neque victores, qui illos suppressos tenent, ejiciunt. Auxilia aliunde venere, sæpe ex Æthiopia. Non autem ea est Arabibus ratio, ut semel victi, in omne tempus vindictæ et occupationum studio valedicant; sed potius, ut usque revertantur. Ne hoc fieret, et illud fieri posset, opus erat vel in Ægypto *bellatoribus*, qui æque ac sacerdotes agros possiderent atque in civitate aliquid essent. Libertas itaque et auctoritas ipsis tanta concessa est, quanta in ipsis ad patriam defendendam vis inerat; unde *Ordo militaris proprius, non subjectus plane sacerdotibus*, sed certis juribus gavisus : quæ iterum res non favet Despotismo orientis (7).

Ejusmodi vero bellatores principe seu duce carere nequeunt, quem itaque obtinuerunt, nomine regis; cui licet non tanta, quanta sacerdotibus, attamen magna potestas fuit. Altera ex parte, quum educatione et religione coërceretur, vel ipse Despota fieri nequibat; dum vel sacerdos, quum illi et pote-

---

(6) JOSEPHUS contr. Apion. Opp. p. 1336, coll. HEROD. II. 144.

(7) HERODOTUS (II. 155. 166 col. DIOD. l. l.) stemmata eorum duo nominat, iisque certos *nomos* concessos refert, quibus ut stipendiis utebantur et ad patriam magis adstringebantur. Hi sive Æthiopes erant, sive statim ab initio ex indigenis, iis forte, qui latronibus proximi habitantes, bellis jam pridem exercitati erant, assumebantur, semper custodes patriæ contra exteros.

stas esset et vis armorum, ab ipso valde limitabatur (8). Adhæc accedit, legislativam et judiciariam potestatem nunquam in una imperantis persona conjunctam fuisse, qua re omnis Despotismus excluditur. Præterea, ut exinde sequitur, *leges* aderant certæ, octo libris comprehensæ, ex quibus rex judicare debuit : summum quoque tribunal extitit XXX virorum ex urbibus Thebaidos, Memphidos et Heliopolis electorum, qui cum summa severitate ad verba legis judicavere. Libertas personarum, jurisjurandi sacramentum, matrimoniorum religio, leges de usuris latæ et æqualitas servorum liberorumque coram judice plus satis probant, theocratiam hanc Ægyptiorum proxime accessisse ad liberæ civitatis formam (9).

Hæc forma, ut videmus, jam adeo exculta est, ut in Ægypto et oriente esse unquam potest : sed hanc ipsam ob causam subjecta quoque est mutationibus et conversionibus, quarum semina in ipsa hac pulcra ordinatione ejus insunt. Momenta commutationum earum hæc fere sunt :

I. Simulac religio illa et instituta non amplius eam vim vel in nobiliores ordines sacerdotum et militum exercent, hæc ipsa nobilitatis duplicitas binomiam in civitate creat; quoniam uterque ordo, suis rebus studens, vel potestatem suam cum dispendio alterius augere cupit. Hinc

---

(8) Rex ex casta militari sumtus, sed a sacerdotibus innumeris ritibus et cæremonialibus legibus constrictus (Diod. I. 81 sq.).

(9) Diodor. I. p. 90, præsertim p. 86.

II. Sive sacerdotes in genere male habent milites, sive hi, viribus confisi suis, illis obedientiam lege monitam negant: sive sacerdos unus (princeps ordinis Numinis majoris) ipse arrogat potestatem sibi, quam lex *Regi* concessit. Exemplum prægnans est *Sethon*, Vulcani summus sacerdos, qui regiam cum sacerdotio in uno se uniit, talique modo totam constitntionem conquassavit (1) atque despectis militibus patriam ad incitas redegit. Inde itaque

III. *Despotismus sacerdotalis oriebatur.*

IV. Quum vero milites eum ferre nollent, virium illi suarum memores jugum sacerdotis excutiebant; sed simul, Despotismum unius veriti, *Duodecim reges*, ex *suo medio* sumtos — Dodecarchiam — instituerunt. Inde

V. *Imperium Duodecim tyrannorum ortum est.*

VI. Ejusmodi autem imperium neutiquam quadrat cum ingenio Ægyptiorum, atque nunc duplex fieri potuit. Sive enim illi summo Sacerdoti cuidam, id est Numini, obtemperare, ideoque constitutionem quodammodo reparare potuerunt; sive unus ex Duodecim *solus* sibi arrogare potuit omnem potentatum. Re in pejus versa illud fieri nequibat; alterum fieri facillime potuit atque *Psammetichus*, cui Sais contigerat, adscitis in Ægyptum Græcis eorumque auxilio, reliquis devictis, ipse se *Monarcham* instituit. Inde

---

(1) Herodot. II. 141 sq.

VII. *Monarchia absoluta ad exemplum orientis orta est*, qua nihil pejus accidere Ægypto potuit.

VIII. Absque peregrinis hæc stare nequibat; *cum* antiqua constitutione persistere non potuit; igitur *Graeci, alienissimi*, et Cares *mercenarii* et Phœnices illi *cosmopolitae* in media Ægypto mores suos cum indigenis communicaverunt, atque ex illis neque *Graecos* formaverunt, neque eos Ægyptios esse passi sunt. In locum militum Ægyptiorum milites peregrini substituti sunt (2).

Ex hoc tempore Ægyptus non amplius extitit. Nunc bellatores injuriam et ignominiam passi, patria decedebant (3), summas res Græci tenuerunt.

IX. Ejusmodi rex non *ubique* tutus est sed ibi solum, ubi peregrinis proximus est : ideoque *Sais* sedes regni facta et Ægyptus tota, ante pluribus civitatibus juxta se liberis consistens, nunc ab illa una urbe pendebat. Si rex ordinem sacerdotum non plane neglexit, hoc eapropter fecit, quoniam ipsos timuit, ut vel orientales facere assolent. Hac causa *Memphis* regni caput dicebatur (4).

X. Porro ejusmodi rex, qui jam animi studiis indulgere, vi potentiæ suæ, potest, illis nulla frena injicit ; qui peregrinos

(2) Herodot. II. 152. 154. Diod. I. p. 77.

(3) Idem II. 30. Diod. I. p. 78.

(4) Idem II. 152 sq. 163. 175 sq.

milites habet, iis uti vult et debet. Inde *Psammetichus* et omnes ejus successores bellorum adeo studiosi fuere, ut hæc ipsis propria negotia esse viderentur. Sed bellis in Ægypto non locus est; bellator *occupator* fit, nationes vicinas adgreditur, donec sive illas subjugat, sive ab illis subjugatur ipse. Sic Ægyptus Persis subacta est (5).

XI. Priusquam vero adeo res perducitur, vel aliis usurpatoribus eadem via patet. Sic *Amasis*, belli dux, a rege defecit, *auxilio indigenarum; unde simul bellum cum mercenariis ortum*, quo nihil optabilius contingere hostibus potuit (6). Inde efficitur hoc:

XII. Populum qualemcumque eum modo esse posse, quem natura propria esse voluerit; cadere eum debere, simulac naturam suam abjecerit: Ægyptum *sub theocratia* felicem fuisse; aliam omnem formam ipsi fuisse pestiferam (7).

Theocratia eadem apud nationes varias deprehensa, varia ipsa erit: simplicior apud *Indos*, inter quos proprie originem cœpit; purior apud *Æthiopes*, apud quos *in Africa* primum erat; cultior apud Ægyptios, quibuscum ea ab illis communicata est et ad naturam cœli conformata. Eadem vero ex Ægypto educta et in *Asiam* transplantata atque nunc non

---

(5) Herodot. II. 157, 159. L. Reg. 27, 29. Jerem. 46.

(6) Idem. II. 169. III. 11, 13.

(7) Quod ita factum esse in Ægyptiis testatur Dumbeckius V. C. in Tabb. Ethnogr. Period. Synchron. p. 9. a.

orta, sed a Mose de novo *instituta* multum differe ab Ægyptiaca debuit.

Populus Hebræorum, licet satis numerosus, tamen *exiguus* erat, cum aliis comparatus : in *novam* terram ducebatur, ab *aliis* nationibus habitatam : hanc terram *occupare* armis debuit. Qui occupavere, omnes antea nomades, nunc *omnes* quoque, *aequali jure*, socii civitatis fiebant; non itaque *casta dominans* sacerdotum, sed *sacerdotes singuli*, per omnem terram *dispersi*; non illi quidem soli agrorum possessores, *sed soli ab hac possessione exclusi*, ex decumis viventes : non *ordo bellatorum* extitit, prærogativis gavisus, sed *omnes, qui arma ferre potuerunt, cives milites fuere*; ideoque hi quoque *omnes* (per familias tamen) agros possedere : non itaque *rex*, caput ordinis proprii, sed *dux* civium ad belli negotia. Porro non plures inter Hebræos civitates, sed *una*, non plures Dei, sed *Unus Jehova*; non homo seu rex seu casta quædam leges tulerunt, sed ille unus tulit in omne tempus. Eas custodiverunt sacerdotes, judices, capite Summo Pontifice; executio legis apud Duces (Schophetim) erat. Non collegium erat legum custos et moderator, sed in concionem vel omnes patres familias coiverunt, et quisque spiritu Jehovæ perfusus, coram populo dicere potuit.

Hæ optimæ leges quidem; sed parum adaptatæ ejusmodi populo juveni, in illa terra, inter illas nationes, in illis rebus et temporibus. Inde vel hæc theocratia mox in eandem *hierarchiam*, sive in *tyrannidem* (sub *Abimelech*, *Thola*, *Jairo*, *Heli*) degeneravit; in justam monarchiam mutari cœpta, in Despotismum orientalem delapsa est (jam sub *Saulo*, *Davide*, *Salo-*

mone, aliis); vel regni divisiones, invidia, occupationis studia, interitus eodem circulo redierunt (8).

§ VI.

DE AUTOCRATIA MONARCHICA.

Autocratia monarchica ea est imperii forma, in qua summa Reipublicae penes unum imperantem est, jure tamen humano subditis concesso.

In his itaque *imperans solus* voluntatem universorum et *exprimit* et *simul exsequitur;* populus rerum non particeps est: imperii socii non *cives*, neque vero etiam *servi*, sed *subditi* sunt, id est, *jura personarum*, neque vero *civitatis* habent. Imperans legislator est, ex arbitrio; sed legibus a se latis ipse obedit, quamdiu non aliis eas abrogat.

In his itaque civitatibus major rerum consistentia, major subditorum securitas, major existentiæ certitudo. Nemo a possessione agrorum excluditur, patet campus viribus humanis exercitandis, cultus *fieri potest* inter omnes. Necessarium non est, ut certi ordines, militum, sacerdotum, nobilium, soli omnia possideant, sed juxta eos *existere* vel alii possunt. Si quæ tamen sunt certis ordinibus prærogativa, ea æque sus-

---

(8) Vide totum Pentateuchum et cfr. MICHAELIS Mosaisches Recht et WARNEKROS Hebræische Alterthuemer passim.

pensa sunt ab imperante, atque dari vel aliis possunt; omnino subditi coram lege magis sibi sunt æquales.

Autocratia itaque a Despotismo orientali multum differt eo, quod in hoc voluntas universalis non solum *propter civitatem* in voluntate imperantis confluit; sed hic simul præter eas res, quæ totius civitatis sunt, etiam voluntatem *privatorum* sibi obnoxiam facit: quæ ulterior in Autocratia plane libera est et independens ab arbitrio principis.

Autocratia, quatenus revera hoc nomen meretur, omnino *forma justa* est, principio etiam *occidentali* civitatum neutiquam contraria; in *oriente* esse non potest (9).

Attamen varia est juxta originem suam. Proprie illa jam est

(9) Veræ Autocratiæ sensum Græci atque Romani habere non potuerunt: is enim iis datus non fuit et abhorrebat plane ab eorum ingenio. Inde etiam Despotismi et Autocratiæ et Monarchiæ justæ discrimen habuere nullum; sed de omnibus et singulis ut de *regibus* loquebantur et tota distinctio, quam fecere, erat regis *boni*, sive *mali* regis. Inde factum est, ut Græci præsertim vetustiores, *tyrannos* ipsos *regum* nomine vocitarent et vicissim eos vocarent tyrannos, qui ex æquo imperabant. Uno verbo, ut cum CICERONE loquamur, *Reges vocitaverunt, qui in populos* PERPETUAM *potestatem haberent.* Vide De Republ. II. 27, coll. SUIDA v. Τύραννος et Βασιλεύς; CORN. NEP. Vit. I. c. 8; X. 1, 7. XX. 1; XVI. 5. Hinc continuo de *justo* rege loquuntur (CICERO l. I. c. 28), regisque auctoritatem *scriptis legibus* circumscribendam monuerunt (PLATO Polit. p. 301). Nos recte sentire, testes duo adsunt, PLATO (Rep. II. p. 366) qui «ὁ πρῶτος, ait, εἰς δύναμιν ἐλθών, πρῶτος ἀδικεῖ,» et CICERO (De Rep. III. 10) « Qui in populum vitæ necisque potestatem habent, Tyranni! »

formæ quædam perfectio et primus ad libertatem civilem gradus. Quemadmodum vagina gentium oriens est, eo modo vagina Autocratiæ est Asia et parens ejus Despotismus, qui eam quidem genuit, sed cum matre peregrina et, ut ita dicam, Europæa. Quid itaque mirum, si hæc proles patris æque ac matris ingenium simul ostendit? Neque vero minus alienum esse videtur, eam mox patri esse similiorem posse, mox etiam matri; continuo vero civitatem ejusmodi non solum ex natura interiori sua, sed etiam ex elementis nationum, quibus constat, compositam esse ex partibus *Europaeo-Asiaticis,* sive versa vice *Asiatico-Europaeis :* porro, quemadmodum forma illa ipsa sit quasi transitus Despotismi in libertatem, ita vel nationes, hac forma rectas, etiam situ geographico transitum ex Asia in Europam tenere, altero pede in Asia, altero in Europa constitutas.

Eapropter universa historia non nisi *duas* ejusmodi civitates novit, quæ iterum vel duplicitatem illam, a nobis expressam, egregie manifestant — *Russorum* et *Ottomannorum.*

Apud *Russos* religio et mores Europæi, ideoque principium Europæum (occidentale) prævalent; quoniam Russia in Europa origines cœpit, deinceps in Asiam promota.

Apud *Ottomannos* religio et mores Asiatici, ideoque principium Asiaticum (orientale) prævalent; quoniam Turcia ex Asia in Europam se movit.

Inde Russia Autocratia est omnino *pura*, Turcia *despotismo*

proxima (1). Russia magnis continuo gressibus promovetur, quoniam in ea elementum illud continuo crescit, augetur, excolitur; quoniam Autocratores ipsimet, eorumque ministri, reliquique rerum curatores, maximam certe partem, Europæi sunt et *consulto* Europæa instituta in suum usum convertunt. Hoc modo fieri potest, ut Russorum imperium, si proficit, in *Monarchiam liberam* transire possit, licet, quamdiu elementum orientis in eo inerit, forte nunquam plane Europæum evadere posse videatur. Ukasæ enim Autocratoris, ex rebus et temporibus datæ, in dies augentur et quoniam e momento, id est ex necessitatibus imperii prodeunt, semper rebus et populo adaptatæ erunt, talique modo cum populi cultu simul et

---

(1) Si quis vero in Turcia hodierna Despotismum plane orientalem conspicere atque imperium Ottomannicum cum imperio *Cyri* atque Persarum penitus idem esse credit; ille sine omni dubio fallitur pessime, oblitus, Ottomannos ipso politico systemate Europæo cum Europa arctissime esse connexos atque, inconsulto, multa ab Europæis obtinuisse, quæ cum rebus Asiaticis mixta, non Europæam quidem, sed etiam non Asiaticam civitatem sistant. Inde etiam non difficile est intellectu, quomodo factum sit, ut Turcia hodierna non subito oriretur, ut regnum *Cyri*; non continuo occupatrix exsisteret, ut Asia omnis; neque subito interiret, ut *Cyri* imperium. Non minus intelligendum est, non ita facile fieri posse, ut illud imperium evertatur hodie « *quod* (ut verbis utar DUMBECKII V. C. in Historiæ Univ. Tabulis Ethnogr. Period. Synchronisticis–Berolini 1820. f.–p. 53. *f.*) *debilitatum licet et inanibus vocibus sæpe eversum, tamen persistit vel post pacem Bukarestiæ initam atque usque persistet—necessario, nisi graviores ex ipso oriente subvenerint tempestates.*» Vide egregiam commentationem auctoris anonymi, sed sagacissimi (in: Nemesis von LUDEN B. V. p. 524) quæ sic inscribitur : Duerfen wir das Altpersische Reich mit dem Tuerkischen, unter den Osmanen, vergleichen ?

una progredientur. Ex iis legibus singulis (ut ex edictis prætoriis apud Romanos) successu temporum oriuntur legum codices, et ex iis certa et *firma quaedam legislatio*, qua ipsi Autocratores arbitrium suum circumscribunt.

Non vero eadem ratio est Ottomannorum, qui constanter in moribus patriis inhærentes ipsi Asiâ oriundi sunt et ministros semper Asianos sibi assumunt, talique modo parum ab Europæis acquirunt. Leges eorum *jussus* sunt, nunquam in certam legislationem transeunt; unde illi eatenus solum coluntur, quatenus relationibus Europæis, ideoque solum politicis, ad hunc cultum *inviti* adducuntur.

Justa autem eapropter Autocratia est, quoniam *nascitur* ex ipso populo, quoniam jam est emendatio despotismi, et quia meliorem ferre ejusmodi populi nondum posse videntur. Nemo enim injustum vocabit id quod, naturâ procreatum, naturæ eapropter consentaneum est.

Attamen vel in media Europa Autocratiæ existunt (e. g. in *Dania*) ubi itaque parum quadrare cum rebus populi videntur. Illæ vero eatenus solum Autocratiæ vocari possunt, quatenus justæ sunt (injustis aliud nomen dabimus infra). Sed quomodo eæ justæ esse possunt, quum non ab origine justæ sint? Esse possunt, *si populus ipse eas agnoscit* (e. g. iterum in Dania) si ipsi civium ordines regi hanc auctoritatem consulto tribuunt. Quisque enim populus scire potest, quæ ipsi forma conducat, quæ noceat; et situs terræ est, qui sæpe, ejusmodi juribus civilibus singulorum in unam regis personam tralatis, cogere subditos potest, ut *homo* juribus civitatis valedicat.

24.

Etiamsi hæc translatio non apertis verbis pronuncietur, tamen non difficile est audire vel tacentem populum. Vox populi sese manifestat *in vita populi*, non in clamoribus singulorum, sive in adpetitu quorumdam procerum, sive in tumultu turbæ forensis.

§ VII.

DE DESPOTISMO OCCIDENTALI.

Omne imperium, ab *uno* seu *pluribus* USURPATUM, Despotismus occidentalis vocari potest. Hac nota distinctiva *usurpationis* toto cœlo a despotismo orientali differt, qui *natus*, non *usurpatus* est, qui eapropter *justus* vocari potest, dum alter continuo *injustus* manet.

Utrum Despota *dirus exactor* sit an *hominum optimus*, non interest : quod enim crimen committit, est *crimen majestatis populi totius*, et crimen contra *humanitatem* simul commissum, cujus pretiosissimum emolumentum est *libertas*, conditio omnis cultus civilis et humani.

Inde sequitur, hunc despotismum solummodo oriri posse in populo, *antea libero*; existere tamen non minus in populo, qui quamquam liber non sit, ad libertatem vero justam atque cum ingenio populari congruam profectus, eam ab imperante non obtineat.

Deinde hunc despotismum et *gradu* et *tempore* diversum esse sola indole populi æstimari posse.

Sive enim Despota solum, contra leges constitutionis, *supremum* magistratum, sive *omnem* usurpat, salva ceterum *constitutione;* sive cum *magistratu* et *judiciaria potestate* vel *legislationem* sibi *vindicat, demto* itaque *jure civium, salva* tamen *persona singulorum;* sive hanc ipsammet suæ voluntati *subjicit.*

Hinc oriuntur totidem hujus Despotismi species: *Tyrannis, Dictatura, Imperium absolutum, Monarchia pura, Despotismus proprie dictus* (2).

De præcipuis videamus paucissimus:

A.

DE TYRANNIDE ET DICTATURA.

Tyrannis non solum *nomen,* sed *res* Græca est, atque Græcis « et habebantur et dicebantur *Tyranni* omnes, qui potestate erant *perpetua* in ea civitate, quæ *libertate usa* fuerat » teste *Cornelio Nepote* (3), qui *Miltiadem* expressis verbis *justum* tyrannum vocat, quoniam ille *dominationem perpetuam*

(2) De trium reipublicæ generum commutationibus vid. POLYB. VI. 3, 7 coll. CICER. Rep. I. 44.

(3) In Miltiad. c. 8; conf. XENOPH. Memor. Socr. IV. 6, 12. ÆLIAN. VII. 20 et ad eum *Perizonius,* col. JO. LYDO de Magistratibus Romanis I. 3, v. 14. Romani quoque hoc sensu *tyrannidem* sumserunt, neque multum intererat, utrum aliquis assequeretur imperium, modo *sectaretur.*

(Chersonesi) non *vi* consecutus esset, sed *suorum voluntate*, atque addit, quod vel nobis prægnans est: « eam potestatem illum *bonitate* retinuisse. » Ut Græcos ipsos audiamus, τὸ τυραννικὸν, ii explicant « ἐν ᾧ ἐστὶ τὸ πλέον οἴεσθαι ἁπάντων ἔχειν » atque jam de *Achille* illud dixere:

Jura negat sibi nata, nihil non arrogat armis.

Ejusmodi tyranni, legibus a *Solone* vix scriptis, Athenis fuere *Pisistratus* ejusque filii, qui eloquentia et opibus aliisque artibus demagogicis acropolin urbis occuparunt, seseque ipsi *reges* instituerunt (4), quin tamen constitutionem turbarent. Expressis enim verbis *Herodotus* hæc de *Pisistrato* perhibet (5): ἔνθα δὴ ὁ Πεισίστρατος ἦρχε Ἀθηναίων, οὔτε τίμας τὰς ἐούσας συνταράξας, οὔτε θέσμια μεταλλάξας· ἐπί τε τοῖσι κατεστεῶσι ἔνεμε τὴν πόλιν, κοσμέων καλῶς τε καὶ εὖ. Omnis populus (præter factionem Megacleam) eum dilexit, nemo de urbe et Græcis omnino tam bene meruit, quam ipse et filii ejus; nemo ipso justior erat vel tum, ubi punire debuit (6). Nemo unquam rex

---

Atque ita ipsis tyranni dicti sunt, non *dictatores*, qui se *perpetuos* reddiderunt, neque *populares* illi viri *Demagogi;* sed ii, qui ex optimatibus nati, res novas in civitate i. e. contra optimates, moliebantur sive populo et demagogis adversabantur; quod quidem ipsi illi *Scipioni* accidit. Vid. CICERO Rep. I. 26. PLUT. Reg. Apoph. VI. p. 760. Idem in Æm. 38, coll. CICER. Acad. IV. 5. Fam. I. 9. VIII. 16. Attic. I. 18. 20. II. 3, 5, 15. VIII. 3. X. 9; ad Qu. fr. I. 1. et pro Sext. 9.

(4) HERODOT. I. 59, 60, 61-63. HERACLID. PONTIC. ed. *Koehler* p. 4 coll. DIOGENE LAERTIO I.

(5) HERODOT. I. 59.

(6) HERODOT. VI. 103. coll. 35.

eo erat major qui, modo lege sancitam habuisset potestatem, cum optimis quibusque historiæ principibus, cum *Marco Aurelio* Romano aliisque rite comparari potuisset (7).

Attamen ardentissime oderunt eum et successores ejus Athenienses, qui eos, data opportunitate, urbe expulerunt. Omnino Græcis tyranno nihil detestabilius erat ita, ut nomen tyranni *crudelissimum* vocaretur *C. Nepoti* (8), Græcisque velut in proverbio esset : ἡ τυραννὶς πάντοθεν (et quasi οἰκόθεν) τοξεύεται; unde facillime intelligitur horror eorum atque invidia, qua magnos viros timebant atque proprio ostracismi instituto in exilium egerunt. Eorum enim proprie erat : τοῦ τε εὐτυχέειν φθονέουσι, καὶ τὸ κρέσσον στυγέουσι (9).

Triginta denique tyrannorum Athenis a Lacedæmoniis victoribus institutorum, atque *Dionysiorum* Syracusarum vix est, cur meminerimus. Omnino illi ipsosmet jure constitutos *Reges* eo nomine adpellarunt atque ab illis non minus abhorrebant, quam Romani a nomine *Regis*. Hac via perventum est ad *Dictaturam*. Hæc, sicuti Tyrannis proprie Græca fuit, ita plane Romana est.

---

(7) Quamquam enim THUCYDIDES (I. 17) tyrannos bene pingit, tamen aliâs de *his* tyrannis summa cum laude loquitur.

(8) Vita Dionis c. 1.

(9). HERODOT. VII. 236 coll. C. NEPOTE in omnibus ejus Græcorum vitis. Eodem modo vel Romanos sese habuisse in suos CICERO testatur De Rep. I. 3; pro Domo 52. AUR. VICTOR 64. VAL. MAX. V. 3. PLIN. VII. 34. CIC. p. Flac. 31. Cat. I. 2. ad Quir. 3. pro Sext. 67. Planc. 28. sq. Orat. III. 2.

Dictator a *dictando* (jubendo, imperando, Græcis αὐτοκράτορ) dictus, *summam unus totius reipublicae potestatem* habuit; sed *jussu populi* ELECTUS *a summo quodam magistratu, tempore* æque ac *loco* circumscriptus, post abdicationem *rationi populo reddendae obnoxius*. Hæc justa quidem dictatura, de qua non sermo nobis est. Si quis vero *Dictatorem* se *perpetuo* dicit; *perpetuo* jubet, ideoque neque umquam imperio se abdicat, neque potestatem hanc intra certum spatium exercet; neque actionum suarum rationem reddit; sed omni momento IPSE *se* de novo Dictatorem i. e. nunc *imperatorem absolutum* facit. Hæc vero Dictatura justa non potest esse et multo est injustior ipsâ tyrannide. Tyrannus enim in libera civitate se vi et artibus reipublicæ magistrum facit: Dictator vero commissa primum sibi, justo titulo, a populo, potestate *mala fide abutitur*. Hac itaque diversitate Græcus a Romano plurimum differt, eâque varia utriusque populi indoles significanter se exprimit. Tyrannus auxilio demagogiæ ad dominatum adscendit; Dictator perpetuus ope imperii justi ad imperium absolutum. In unoquoque Demagogo involucris est tyrannus, qui nondum sese evolvit (*Pericles* (1) certe non minus tyrannus erat, quam *Pisistratus*); in dictatore justo justa jam expressa est dominatio, certis tamen regulis ac conditionibus circumscripta. Tyrannum amare et probare populus potest, Dictatorem perpetuum non potest.

---

(1) Hoc vel antiquos sensisse, testis est CICERO De Rep. I. 16, qui, *Periclem*, ait, et auctoritate et eloquentia et consilio *principem* civitatis suæ fuisse. Idem πάντων τελεώτατος PLATONI dicitur in Phædr. p. 269. E. Circa eum THUCYDIDES, II. 65, « verbo, ait, Athenas liberas, reapse vero principem et moderatorem civitatis ipsum extitisse *Periclem*. »

Tyrannus in cives sæviens oculos aperit omnibus, quoniam omnis ejus actio illegitima est : Dictator omnes comprimit, quoniam in ipso ejus nomine inest omnipotentia. Tyrannus cum aliqua specie voluntatis leges civitatis tueri potest, Dictator vero omnibus legibus ipso nomine solutus est. In Tyrannide vita est; in Dictatura mors civitatis. Hoc modo facile intelligitur, quomodo *Sullae* proscriptiones et *Julii Caesaris* clementia eodem terrore Romanos adficere possent; quomodo *Pompejus, unicus* Consul, vel optimatibus, a quorum partibus ille stetit, eundem timorem incutere posset ac Dictator ipse (2).

Hic itaque duplex est antiqui mundi Despotismus occidentalis, quem, alio modo, vel recentior ætas vidit

B.

DE MONARCHIA PURA ET DESPOTISMO PROPRIE DICTO.

Monarchia pura nobis est neque Asiatica illa dominatio, ne-

---

(2) De *C. Graccho* vid. Cic. De Amic. 12. Livii Epit. 59. Mirari itaque non subit, cum tyrannos hos atque dictatores *Hipparchi* et *Julii* sortem pati videmus, simulac populus sive depressus, sive somno consepultus, sui compos deque viribus suis certior evadit, ut exemplum est in *Phalaride,* Agrigentinorum tyranno (in quod alludit Cicero Offic. II. 7), qui impetu universæ Agrigentinorum multitudinis oppressus est, posteaquam illis ipse viam monstraverat similitudine columbarum globi ab accipitro agitati (Vid. not. Angeli Maji ad Cicer. De Rep. editionem L. I. c. 28 init.).

que vero etiam Autocratia illa Asiatico - Europæa, neque denique Autocratia plane Europæa, quam supra sistebamus; quoniam nullas illarum notas habet.

Hinc sequitur, nullo eam pacto justam esse posse, licet eapropter non dira esse necessario debeat in subditos. Est itaque nobis ea imperii (si ita eam adpellare volumus) forma, in qua dominatus omnis ad unum principem refertur, *citra populi voluntatem* : quæ nisi publico pacto, tamen sive *ipsa natura* (ut in Despotismo orientali et Autocratia pura) sive tacito consensu (ut in Autocratia Europæa) in illis formis deprehenditur. Differt ea a *Tyrannide* Græca et *Dictatura perpetua* Romana solum *tempore*, quod magni in his rebus momenti esse supra expressis verbis demonstravimus. Quæ enim antiquis quodammodo *tolerari* potuit, recentioribus nullo pacto ferenda est; neque unquam longum per tempus duravit.

Ejusmodi rerum status sive *vi*, sive longo abusu, sive clandestinis machinationibus oritur, atque simulac firmitatem quandam obtinuit, quasi *jure optimo* a principe *publice* pronunciatur, indies magis magisque in pejus ruit, subditos etiam jure humano privat et cum crudelitate sævit ita, ut qui antea juris consensu *constituti* fuerant, nunc eo jure pedetentim privati atque minuti, in servitutem, ab orientali longe diversam et eâ multo acerbiorem, dilabantur.

Ex hisce ultimis momentis monarchia pura in eum reipublicæ statum transit, quem Europæi *Despotismum proprie* et omni jure nominant. Harum rerum exempla sunt in *Unione Calmariensi* regnorum borealium, ex qua *Suecia* prima se vin-

dicavit; deinde in Despotismo *Jacobi I* et *Carolorum* Angliæ quondam regum, unde *Cromwelliana* conversio secuta; denique in Monarchia absoluta *Ludovici XIV* Francorum regis, cura *Richelii* parata, a nefariis viris ac mulierculis promota; unde causæ conversionis Gallicæ petendæ (3).

§ VIII.

DE MONARCHIA JUSTA ET ÆQUIS LEGIBUS CONSTITUTA (4).

Antequam de hac ipsa monarchia verba faciamus; de reliquis primum judicemus necesse est. Hac enim via ad istam revertemur.

Scriptores fere omnes, quotquot de rerum publicarum constitutionibus egerunt, tam antiqui, quam præsertim recentiores, hoc proprie agere voluisse videntur, ut quasi certatim in criminationes omnium formarum ruerent atque hanc posticam imaginis partem sedulo exprimerent; interea vero parti anticæ, sive constitutionum laudibus veræque ipsarum explicationi exiguam curam haberent.

---

(3) Vide J. W. VON ARCHENHOLZ Gesch. *Gustav Wasa's* 1801. II Voll. RUEHS Gesch. v. Schweden, 1803. II Voll. Maximes d'Etat ou testament politique du *Card. de* RICHELIEU Paris 1764. II Voll. 8. The history of the rebellion and civil wars in England from 1649 to 1660, by EDW. HYDE of CLARENDON, Oxf. 1667. III Voll. f.

(4) Cfr. FRIDERICI II regis: Essai sur les formes de gouvernement et sur les devoirs des souverains. Opp. T. VI. p. 52 sqq.

De antiquis illis non mirandum est, neque eos reprehendimus; recentiores vero, illos serviliter imitati, reprehendi revera merentur. Quum vero singulare hoc studium causam suam habere debeat, videamus ante omnia, *qua* causa ducti hoc fecissent; tali enim modo eo rectius ipsimet judicabimus et de formis et de censoribus illis.

Cur antiquis scriptoribus hoc idem condonemus, quod vituperamus in recentioribus, uno verbulo dicere possumus. Argumentum judicii nostri *tempus* est et quæcunque a tempore pendent; in quo fundamento dimidia disputatio nostra innixa est; quam rem hoc consilio tantis curis et tot argumentis, ab initio et per totum opusculum nostrum, præparavimus et plus una vice pronunciavimus. Quatenus hæc sententia *huc* faciat, ex sequentibus sine dubio adparebit.

Notum est nimirum, antiquos formarum reipublicæ discrimen ex solo *numero regnantium* desumsisse, unde sive *Monarchias* seu *Polyarchias* obtinuerunt. Quum vero hoc agerent, discrimen nullum inter Monarchias ipsasmet invenire potuerunt atque *Monarcha* ipsis erat despota orientalis et occidentalis, autocrator et tyrannus et usurpator qualiscumque, sive justus sive injustus. Inde factum est, ut res tota civitatis a solo regis ingenio, ideoque a temeritate fortunæ penderet, quæ bonum et justum seu crudelem dare regem potuit; sive ut rex bonus et justus alio tempore, alio autem simul injustissimus esset; omnis denique rex, etiam optimus quisque, timendus esset, quoniam justus æque ac injustus esse ex libito potuit. Hinc vero iterum consequens est, antiquos reges omnes odisse et promiscue monarchiam laudare et con-

demnare potuisse: cadebant enim in unum regem omnia, quoniam discrimen legitimum in regia potestate neque temporis, nec loci, nec populorum habere potuerunt. Ex eadem causa ab injusto rege non alio modo, quam *summa injuria* se liberare potuerunt; unde funesta super hac re principia etiam sanctissimi homines sanxiverunt. Cicero ille (5): « *In conservanda civium libertate esse privatum neminem* » apertis verbis probat; quam sententiam immanem etiam pronunciat ad *Brutum*, *Caesaris* percussorem (6): « *Nullo publico* (ait) *consilio rem publicam liberasti, quo etiam est res illa major et clarior.* » Extitit autem ipsa lex *Publicolae, qua cautum erat* « *ut qui tyrannidem adfectaret, is indicta causa a quovis necaretur* (7). »

Ex hoc capite, velut ex fonte perenni et uberrimo tota reliqua errorum turba eorum fluxit; et ex hac solum ratione illa vituperia æstimanda sunt. Hinc illæ curæ, quibus eam rem publicam munire conabantur, *quae posset esse diuturna* (8); hinc illæ ipsius *Aristotelis* laudes (de quibus supra diximus) earum rerum publicarum, quæ longum per tempus

---

(5) In L. II De Rep. c. 25.

(6) Cicero ad Fam. XI. 7.

(7) Plutarch. in Publicola 12, coll. Cicerone in Tusc. Qu. IV. 23, ubi de *Nasica*, qui Gracchum sine publica auctoritate interemit, *nunquam privatum*, ait, *esse sapientem*. Exempla plura ipse protulit in Catilinaria illa, ubi Catilinæ socios sine judicio interimendos censuit, exemplorum vetustorum auctoritate innixus.

(8) Cicero De Rep. III. 3. Plato De Legg. IV. p. 714

immutatae stetissent; hinc studium illud *institutorum* et *morum patriorum* (9); hinc illud desiderium *multitudinis virorum excellentium* (1); hinc illæ quæstiones *de justitia, prima hominibus publicis virtute* (2) atque de omnis justitiæ fonte, *jure summo* seu naturali (3).

Hæc causa est pessimæ opinionis, quam antiqui de regibus habuerunt, atque erroris immensi, quo ducti illos reges custodire, finibus certis circumscribere, et formarum constitutionis MIXTIONEM illam instituere amabant. De hac re ipse *Cicero* nobis interpretis loco esse potest (4):

« Sunt (ait) omnes, *qui in populum vitae necisque potestatem habent, tyranni;* sed se Jovis optimi nomine malunt *reges* vocari. Cum autem certi propter divitias aut genus, aut alias opes rempublicam teneant, est factio; sed vocantur illi *optimates*. Si vero populus plurimum potest, omniaque ejus arbitrio reguntur, dicitur illa *libertas;* est vero licentia. Sed

---

(9) In quo totum CICERONIS consilium operis, de Republica scripti, innititur. Vid. I. 21. III. 19 coll. De Amic. 12. POLYB. in Procem. GELLIUS IV. 20. V. 19. VELLEJ. PATERC. II. 1. PLIN. XXX. 11. AUGUSTIN. De Civ. Dei I. 30. II. 18, 21.

(1) CICERO l. l. coll. AUGUSTINO De Civ. Dei L. XVIII.

(2) CIC. l. l. PLATO De Rep. I. p. 336, 351. LACTANT. Inst. V. 17. VI. 2. et Epit. 55 coll. CIC. l. l. II. 41.

(3) CIC. l. l. III. 8, præs. De Legg. I. 15 sqq.

(4) De Republ. III. c. 10.

cum alius alium *timet*, et homo hominem et *ordo ordinem*; tum quia sibi nemo confidit, *quasi pactio fit inter populum et potentes* (5); ex quo existit id, quod Scipio laudabat CONJUNCTUM *civitatis genus*. Etenim *justitiae non natura, nec voluntas, sed imbecillitas mater est*. Nam cum de tribus *unum* esset optandum, aut *facere injuriam, nec accipere*; aut *et facere et accipere*; aut *neutrum*: optimum est, *facere impune, si possis* (6); secundum, nec facere, nec pati; miserrimum, DIGLADIARI *semper tum faciendis, tum accipiendis in- injuriis* (7). »

Quam definitionem *tyranni* hoc loco *Cicero* nobis exhibet, neutiquam tyranni est, sed *Despotae orientalis*, de quo supra egimus. Qui vero *potestatem* habet, is eam habere *rite* seu consensu subditorum videtur, ideoque *injustus* esse non potest. Tyrannus autem, sensu *Ciceronis*, quem supra descripsimus, non *injustus* esse necessario, neque etiam jus vitæ et necis habere debet, neque habuit utique; ideoque vel hic tyrannus non proprie hoc nomen meretur, sed potius nomen usurpatoris et monarchæ absoluti, sive *Despotae occidentalis*. Qui vero ejusmodi est, eum nemo populus certis legibus circumscribere potest: nam si hoc populus fecerit, iisdem le-

---

(5) Cfr. LACTANT. Epit. c. 59. laud. ANGELO MAJO ad CIC. l. l.

(6) Si huic sententiæ contradicit PLATO (Rep. VII. p. 335), facit ut philosophus, quamquam de re non aliter sentiat.

(7) PLATO Rep. II. p. 358 coll. *Epicuri* sententia (apud LACTANTIUM, ab *A. Majo* laud., Instit. III. 17) qui « sapientis est, ait, male facere, si et utile sit et tutum. »

gibus scriptis publice profiteretur, ipsum *probare* ejusmodi tyrannum, certis tamen conditionibus. His vero ipsis conditionibus, si tyrannus ille eas patitur, jus obtinet principatûs, et hoc obtento jure *rex* legitimus evadit, ideoque tyrannus esse desinit.

Hinc sequitur, despotam orientalem et autocratorem in hanc criminationem cadere non posse; tyrannum verum (Græco sensu) legibus non circumscribi; ideoque solum regem, qui de *rege* (i. e. justo s. legitimo) *dominus* (i. e. illegitimus) factus fuerit, his criminibus accusari ab antiquis potuisse. Hæc vero regum genera illi nullo modo distinxerunt, ideoque veri et injusti regis notitiam non habuerunt: qui ipse fons est illorum errorum (8).

---

(8) Videamus, utrum has res testimoniis ipsis antiquorum aliis illustrare possimus. Quatenus illi monarchiarum genera inter se miscuissent, eaque a solo imperantis ingenio suspensa habuissent, et nullam publicæ personæ, quam monarcha agere in civitate debet, notionem habuissent; inde patet, quod CICERO (De Rep. I. 27) *Cyrum,* Persarum regem (i. e. Despotam) *justissimum sapientissimumque* vocat, atque *moderationem dominationis illius,* nulla rerum ratione habita, quibus eam is commonstraret, admiratur (ad Qu. fr. I. 1, 8.); cum quo vel PLATO (De Legg. III. 694) consentit, cui Persæ sub CYRO quodammodo (hoc tamen « *quodammodo* » prægnans est) liberi videbantur propter ejus regis moderatum imperium. Quod enim garrit Scholiastes ad Odyss. II. 47 de Antiquorum distinctione inter reges facta (*οἱ ἀρχαῖοι τὴν βασιλείαν ἐμέριζον εἰς τρία ἐπίθετα· τὸν μὲν πρᾶον βασιλέα, ὠνόμαζον πατέρα· τὸν ἀπηνὴ καὶ θυμώδη, δεσπότην· τὸν φειδωλὸν καὶ φιλόχρυσον, κάπηλον*); hoc Græculus ille omnia miscens ex *Herodoto* (supra a nobis laudato) pessime intellecto, descripsit: tota enim res spectat ad Persas solos, *illius* temporis.

Hoc modo perventum est ad alterum errorem eorum. Quem-

Exinde etiam non mirum videbitur, si eos, quum a solo regis privato ingenio pendere omnia crederent, sic de iis censere audimus (interprete Cicerone ad Fam. I. 9) « Erant hæc animadvertenda in civitate, quæ sunt apud *Platonem* nostrum scripta divinitus; quales in republica principes essent, tales reliquos solere esse cives. » Quæ sententia adeo in illis inveterata fuit, ut Cassiodorius quoque (Var. III. 12 coll. X. 31. Cic. De Rep. I. 31. De Legg. III. 2, 5, 13, 14. Xenoph. Cyrop. VIII. 8, 3.) diceret : « facilius est (si dicere fas est) errare naturam, quam dissimilem sui princeps possit formare rempublicam. » — Attamen historia recentior (eapropter, quoniam est recentior) totam hanc sententiam falsam esse utique testatur. Hæc condonare illis possumus : si vero principem politicorum recentiorum eodem modo loqui legimus, certe hoc nefas esse ducimus. Montesquivius autem ille nihilominus in comparatione monarchiæ cum despotismo sic scribit (Espr. d. L. III. 10) : «Quoique la manière d'obéir soit différente dans ces deux gouvernemens, le pouvoir est pourtant le même; de quelque côté que le monarque se tourne, il emporte et précipite la balance et est obéi.» Si hoc verum esset, certe in eodem gradu nostræ civitates essent, in quo antiquæ fuere, sive nostri principes omnes ii nunc sint oporteat, quos Cicero, ut sint, vehementer cupit (Rep. I. 34) : «cum is, qui imperat aliis, servit ipse nulli cupiditati; cum quas ad res cives instituit et vocat, eas omnes complexus est ipse; nec leges imponit populo, quibus ipse non pareat; sed suam vitam ut legem præfert suis civibus. » Sed in hac ipsa re differt antiqua ætas ab recentiori, ubi reges *qualescunque* non amplius legibus soluti sunt, ubi non amplius necesse est, ut populus is sit, qui rex esse velit. Summa itaque est in illo effato *Alexandri*, Romanorum imperatoris, humanitas, qui sic scripsit (in Cod. Just. VI. xxiii. 3 : « Licet *lex imperii solemnibus juris imperatorem* SOLVERIT (in hoc verbo discrimen illud inest, atque imperator optimus ipse nos certiores facit, fuisse *Autocratorem,* ex prima *Augusti usurpatione,* quæ *Autocratia* plus una vice in *Despotismum absolutum, volente* modo principe, transiit), nihil

admodum enim nesciebant veram regis notitiam, eo modo etiam medio fallebantur pessime, quo eum coërcere et custodire concupiverunt. CONJUNCTUM enim excogitaverunt civitatis genus, quod pactione inter populum et potentes efficere conabantur.

Ubi autem pax fit et pacificatio, ibi (*Cicero* ipse hoc asserit) antea inter paciscentes bellum erat. Paciscentes vero hi non propter pacem et justitiam, non ex voluntate et propter utilitatem communem se uniunt (ut idem *Cicero* profitetur); sed quoniam bello illo superiores esse nequeunt. Qui vero hoc animo pacem pangit, eam simul eo init consilio, ut eam rum-

---

tamen magis proprium imperii est, *quam legibus vivere.* » (Vid. PLIN. Paneg. c. 45). Hæc igitur in illis regibus *laus* erat, in nostris *justitia* est et *lex.* Sic enim ipse TACITUS (Annal. III. 26) : Præcipuum, ait, *Servium Tullium* sanctorem legum fuisse, quîs *etiam Reges* obtemperarent; atque JUSTINUS (III. 2.) *Lycurgum*, refert, nihil lege ulla in alias sanxisse, cujus non ipse primus in se documenta daret (coll. CASSIODORIO Var. I. 12. V. 18. IX. 18). PLINIUS l. l. c. 2 eapropter Trajanum laudat, atque de eo prædicat : « Non de tyranno, sed de cive; non de domino, sed de parente loquimur » atque c. 45 « diversa natura esse, ait, dominationem et principatum. » Hæc opinio adeo invaluit, ut imperatores optimi, *Trajanus, Antoninus Pius, Marcus Aurelius,* DOMINI nomen sine invidia admitterent; quod *Augustus* adsumere nondum audebat : maluit enim hic *princeps senatûs* vocari. Ex eadem sententia antiquis malus rex malam quoque facere rempublicam debuit; inde Romani *Tarquinium, quoniam nec suos mores regere potuisset, nec suorum libidines,* ejecerunt (CIC. De Finib. III. 22 coll. De Rep. II. 25). Si quis vero tyrannum adprime pictum desiderat, is legat TACIT. in Annal. II. 42 et CIC. De Amic. 15 coll. AUGUSTINO De Civ. D. V. 12.

pat, quantocius sine proprio incommodo hoc agere poterit (quæ eadem *Ciceronis* est sententia).

Hinc sequitur, pacem nullam esse veram posse in ejusmodi civitate; ideoque bellum continuum, mox palam, mox clanculum gestum, esse debere. Ordo itaque ordinem odit, optimates regem et populum; populus utrosque, rex proceres et populum. Hinc consequens est, constitutionem ita mixtam omnium malorum pessimum esse; ideoque morbi medicinam magis pestiferam morbo ipso. *Mixtum* itaque genus illud nihil aliud est, quam separatio lege sancita civium ipsorum, partes hostiles sibi oppositæ, civitates variis civitatibus mutuo sibi offensis compositæ; quæ est civitatum ipsarum ruina, civium, seu regum, seu procerum servitus, constitutionis interitus, conversionum innumerarum semen, civitatis legitima perturbatio. Hanc imaginem revera civitates antiquæ habent (9).

---

(9) Eodem modo nunc nobis percensendi sunt loci auctorum veterum de *mixto* reipublicæ statu. In rebus publicis, ubi omnia conficiuntur judicio regis (ut Romæ erat ante S. Tullium -- DIONYS. HALIC. IV. 25), reliqui, simulac sentiunt, se non ad servitutem, sed ad libertatem natos esse, invidi sunt regi omnipotenti, ejusque potestatem et res summas cum ipso partiri volunt. ARISTOTELES quoque indefinitam regis potestatem improbat De Rep. III. 17 ac CICERO De Rep. I. 31 ne obscuram quidem et dubiam in regno, ait, esse servitutem. Idem nullam regni sanctam societatem, nec fidem esse, ex *Ennio* repetit (l. l. c. 32. De Offic. I. 8.); nullam nobis societatem cum tyrannis, sed potius summam esse distractionem (ib. III. 6); LIVIUS quoque (I. 14.). infidam esse societatem regni, ait: denique hæc quoque LUCANUS (Phars. I. 92) canit: Nulla fides regni sociis! (in qua re velimus animadverti confusionem notionis *Regni, Tyrannidis, Despotismi*, de qua

Ex his omnibus rebus suapte sponte sequitur, antiquos *re-*

---

jam supra diximus). Primi quidem, qui hoc concupiscunt, optimates sunt, qui aliis ditiores et opulentiores sensum quoque libertatis primi nanciscuntur. Quoniam vero rex illis de loco cedere, atque suæ potestatis partem volens mittere nequit, quum omnia in ipsum usu et consuetudine et jure quasi Quiritium collata sunt; Proceres illi, rege invito, proprium velut ordinem constituunt, regi oppositum; atque nunc hi quoque de suo quodam jure, de jure Quiritium, loquuntur, simulac de rebus et negotiis gravioribus sermo est; quæ pessima est civitatis ratio (unde nudum jus Quiritium tollendum jussit lex Justiniani, Cod. VII. xxv. 1.). Interea vel populus reliquus colitur at libertatis suæ sibi partem flagitat. (« Nam *optimates* quidem quis ferat, qui non populi concessu, sed suis comitiis hoc sibi nomen arrogaverunt? » Cic. Rep. I. 33), cui unitis nunc viribus principes illi resistit, donec iis debellatis vel populus ordinem suum sistit atque quæ in eo sunt, ad miscendam rempublicam facit, mox uni, mox alteri adstipulans, sive ipe ab uno alterove adjutus. Atque nunc triplex elementum adest, cujus pars quævis imperare, obedire nulla vult, quoniam ipsa obedientia jurium suorum periculum facere veretur. Deest enim id, quod Cicero *æquabilitatem* vocat (Rep. I. 27), altera justitiæ pars, voluntas, se cum cæteris coæquandi (ut ait Lactant. Inst. V. 14). Attamen justum est, ut unusquisque, seu omnes partes de re patria agant, eique consulant: quamquam hoc nullarum studium est, quia omnes *suis* rebus student; quoniam nihil est difficilius, quam ut totus quidam populus æquabilitatem illam recte intelligat, quæ ea tantum sit necesse est, quantum esse *pro re nata* potest. Accedunt nunc ad ægrotam civitatem medici politici, quos legumlatores vocant, et primum morbi causas sanciunt, inque iis ipsismet innixi, variis mediis adhibitis salutem reipublicæ restituerentur; inde ipsâ curâ incurabilem (ut ita dicamus) reddunt in omne tempus. Sic itaque quidquid in omnibus formis mali inest, colligunt et ex his elementis civitatem conficiunt. Utrum hoc faciant reges an optimates an populares viri, non interest. De hac scissione queritur Cicero De Rep. I. 19 coll. Vellej. Paterc. II. 13 et Aristot. Rep. V. 9. Plut. in Graccho c. 9,

ges hereditarios, qui nostrarum rerum firmissimum fundamentum sunt, velle nullo pacto potuisse.

---

in Æmil. c. 38. Cic. Acad. IV. 5. Sit quoque optime excogitata illa *mixtio*, erit tamen continuo *facta* et extrinsecus *addita, non intrinsecus, a populo concepta;* ideoque continuis vicissitudinibus obnoxia, ita ut pura esse ne unum quidem diem possit. « Ut imperium evertant, libertatem præferunt; si perverterint, libertatem ipsam aggredientur. » (Tacit. Ann. XVI. 22 Plato Rep. VIII. p. 546.) Ut tamen optimæ ejusdem mixtionis exemplum suppeditemus, laudare volumus Stobæum (Serm. XLI. p. 267), qui docet: Laconicam rempublicam sic fuisse temperatam, ut regibus essent oppositi Ephori, his Senatores; medii autem essent illi, qui *Hippagretæ* et *Cori* dicebantur, quique in quamlibet partem imperium vergeret, ad contrariam sese adjunxissent. Sed nemo est qui nesciat quo pretio hæc mixtio Spartanis constitisset, atque unusquisque in ea videt elementum hostile reliquis. Mixtionem vero illam laudant Cicero (Rep. I. 29 præs. c. 45.) ex sententia Polybii (VI. 3. 4) et Aristoteles (Pol. II. 6. 9. 12. III. 11) qui ejusmodi constitutiones Cretæ, Spartæ, Carthagine et Athenis per Solonem fuisse narrat (ib. c. 9-12); Archytas (ap. Stob. Serm. XLI) et præsertim Plato (Polit. p. 302) qui mixtum genus aliis præfert tanquam Deum hominibus. Romanam civitatem ita ordinatam fuisse ait Dion. Halic. (II. 8 coll. 12. VIII. 5), Plut. Solon. 17 sqq. *Cato* ap. Serv. Æn. IV. 682. Strabo V. 439, qui idem in rep. Rom. ejecto Tarquinio fuisse dicit. Omnino antiquis hæc de *optimo* reipublicæ statu quæstio cordi fuit, ut in Platone De Legg. IV. p. 712, Cic. Rep. I. 29, Dionys. Halic. II. 3 et in ipsismet Persarum proceribus videmus ap. Herod. III. 80-82. Quemadmodum vero Dionysius Romulum fingit hanc quæstionem movisse, sic quoque *Agrippam* illum ac *Mæcenatem* idem egisse legitur ap. Dionem L. LII. Res omnino hæc tam delicata erat, ut ipse *Tiberius* supremum sibi imperium Senatus suasionibus confirmari passus sit (Tacit. Ann. I. 11 sqq.). Quis enim amat Tyrannus vocari? Sed idcirco mirum non est, cur Tacitus ille (in Agr. 3) miretur *Nervam* « quod res dissociabiles miscuisset,

Nam in regno hereditario tyrannidem immortalem conspicere debuerunt. Altera vero ex parte in regno electili omnium vicissitudinum et conversionum semen et causa erat. Nam non solum rege uno mortuo ex electione novi regis plures exsistere debuerunt, qui hanc dignitatem et potestatem ambierunt, ideoque inter se de principatu litigare omnibus viribus adhibitis debuerunt, et in duas partes populum scindere; unde non una vice, atque eodem plane modo, ac in Polonia recentiori (ut tamen apud illos nemo civium ordo, nec proceres, nec populus aliquam utilitatem diuturnam inde caperet), civitate in medio relicta, ejus salus in periculo versabatur: sed etiam hi regiæ dignitatis adpetitores ex omnibus ordinibus, pessimi æque ac optimi esse potuerunt, quoniam successionis nullæ leges in civitatibus compluribus exstiterunt. Neque etiam soli indigenæ, sed peregrini æque ac illi populares, moribus patriis plane adversarii, portam apertam habuere ita, ut sæpius invidia popularium factum sit, ut peregrini potiores haberentur indigenis.

---

principatum et libertatem. » Quam studiose sectarentur justum in civitatibus ordinem et æquam libertatem, nemo nobis melius dicere potest quam CICERO ipse (Rep. I. 31); atque hæc causa est, cur, cum eam in nulla forma civitatis invenirent, mixtum illud genus componerent. Aderat iis ejus rei necessitas, sed nondum eam efficiendi copia: unde ne ipse quidem PLATO ille sibi constat. TACITO vero (Annal. IV. 33) « mixtam reipublicæ formam laudari facilius, quam evenire; vel si evenerit, haud diuturnam esse posse » videtur; atque ipse CICERO fatetur (De Rep. II. 33): « vincit ipsa rerum publicarum natura sæpe rationem. » Vid. DION. HALIC. V. 64.

Tali modo de *patria* salute nemo rex sollicitus erat, quoniam victoriam, quam de competitoribus reportavit, suam dicere revera potuit; unde factum est, ut indefinita illa potestas non solum inveterasceret, sed etiam latius indies serperet. Porro ejusmodi victori non solum hostes enascebantur ex aliis omnibus, qui simul cum eo idem expetiverunt; sed is ipse hostis omnium eorum simul factus est; unde ille impediebatur, quominus patriæ curam haberet; alii vero ipsi se continuo opponerent; uterque vero cum disparibus civitatis ordinibus, quantum potuit fieri, se uniret, populique separationem perpetuam redderet atque urgente necessitate patriæ uterque deesset (1).

---

(1) « Quomodo adsequi potuit Lacedæmon illa tum, eum præstare putabatur disciplina reipublicæ, ut bonis uteretur justisque regibus, *cum esset habendus rex, quicunque genere regio natus esset?* » CICERO interrogat De Rep. I. 33, cumque eo facit ARISTOT. Rep. II. 9. Utrum laudet an vituperet ISOCRATES, in variis locis, dubius hæret; laudat vero XENOPHON De Regno Lacon. Lege PLUTARCH. Apoph. Lac. VI. p. 856. PLINIUS Paneg. c. 7 de hac re sic : Summæ potestatis heredem tantum intra domum tuam quæras? Non per totam civitatem circumferas oculos? Imperaturus omnibus eligi debet ex omnibus! — *Scipio* (ap. CIC. De Rep. II. 12), *Canulejus* tribunus (apud LIVIUM IV. 3) et RUTILIUS (in Itiner. I. 14) idem loquuntur. Omnino hæc quæstio multum ab antiquis agitata est. Quum enim nollent *hereditarium*, velle debuerunt *eligendum* regem. Sed hæc iterum crux philosophorum facta est. Novæ curæ : *Quis* eligendus? EX *quibus?* et *a quibus?* et QUOMODO? Verebantur *populares*, noluerunt *regios*, horrebant *Optimates* : timebant artes et machinationes *demagogicas* non minus. Audiamus TULLIUM nostrum (De Rep. I. 35) : in primo genere occurrit nomen quasi patrium *regis*, ut ex se natis ita consu-

Ubi itaque rex exstitit, libertas æqua esse non potuit; ubi non erat, agendi celeritas defuit (2). Hinc civitates, quibus reges habere non placuit, qui tamen regis necessitatem sentiebant, necessitate temporum ductæ hoc egerunt ut, abdica-

---

lentis suis civibus et eos conservantis studiosius, quam redigentis in servitutem : ut sane utilius sit facultatibus et mente exiguos sustentari unius optimi et summi viri diligentia. Adsunt *Optimates*, qui se melius hoc idem facere profiteantur; plusque fore dicant in *pluribus* consilii quam in uno et eandem tamen æquitatem et fidem. Ecce autem maxima voce clamat *populus*, neque se *uni*, neque *paucis* velle parere; libertate ne feris quidem quicquam esse dulcius; hac omnes carere, sive regi, sive optimatibus serviant. Ita *caritate* nos capiunt reges, *consilio* optimates, *libertate* populi : *ut in comparando difficile ad eligendum sit, quod maxime velis*. Vid. ARISTOT. Rep. III. Hinc regis electionem *sorti* et *fortunæ* mandaverunt. Hunc modum graviter vituperat CICERO De Rep. I. 34. ARISTOT. Rep. II. 9. 10. PHILO περὶ καταστάσεως ἄρχοντος. Electio libera suas æque difficultates habuit : meminerunt enim tibicinis a populo in regem electi (VARRO ap. *Augustin*. De Quant. anim. XIX. 33). Ideoque *optimum quemque* eligendum esse statuerunt (Vid. ARISTOT. Rep. III. 17. PLATO De Legg. III. p. 690. CICERO l. l. DIONYS. HALIC. in procem. Hist. SALLUST. Cat. 2 coll. ARIST. Rep. II. 12 et PHILO in libro laud.). Hoc vero dictu quam factu facilius est. Quis enim est *optimus?* Novæ quæstiones: Vid. PLATO De Legg. IV. p. 708. CIC. l. l. col. c. 34. et De Legg. III. 3 JUVEN. VIII. 20 cfr. DIONEM LII. 15, CASSIDORIUM Var. I. 12. III. 11. 12. Non itaque defuere philosophi, qui boni regis officia præciperent. CIC. l. l. 35. POLYB. V. 11. CASSIODOR. Ep. IX. 9.

(2) Huc pertinere videntur, quæ de Monarchiarum lapsu et interitu uberrime exposuit ARISTOT. Rep. L. V. De Dictatore vid DIONYS. HAL. Ant. Rom. V. p. 340.

tis reliquis magistratibus, ad tempus, omnem potestatem conferrent in unum, qui Romanis *dictator* vocabatur. Nam ex sententia *Taciti* sæpe melius est, habere regem *malum*, quam *nullum*.

Sed ejusmodi dictator, pro natura sua, absoluta potestate erat, quamdiu potestas ipsi illa mansit: atque nunc eadem miseria eodem in circulo rediit. Si enim ipsi placuit, non deponere concessam potestatem, vim habuit, qua vel invitis civibus eam retineret, et ex dictatore, si non vir bonus esset, usurpator et despota fieri potuit et sæpe factus est (3).

Atque nunc nulli dubitamus, quin unusquisque penitus intelligat, eas formas mixtas, illasque leges omnes nullius notæ fuisse. Sic itaque, confecto circulo, redierunt ad illud HOMERI

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω.

Quæ disertissima vel *Platonis* sententia est et *Isocratis*, qui in Nicocle monarchiam cæteris politiæ generibus præstare

---

(3) Vide de hac re jus Romanum a QUINCTIL. allatum Decl. 348 coll. SALLUST. Cat. 29. LIV. III. 4. CÆS. B. C. I. 4; PLATO quoque idem de Atheniensibus profert (De Legg. III. p. 698. POLYB. VI. 44. CIC. Rep. I. 19. 40. De Legg. III. 5. Finib. III. 22. De Nat. Deor. I. 4. Quibus add. AUGUSTIN. De Civ. D. V. 12. LONGUS p. 2234. TACITUS Annal. I. 9 « non aliud, ait, interdum discordantis patriæ remedium esse, quam ut ab *uno* regatur. »

contendit; *Plutarchi* etiam, qui hoc propria scriptione *de unius in republica dominatione* asserit (4).

Conficiamus vero reliqua paucis. Commoda et incommoda monarchiæ in locis classicorum allatis plurimam partem exhibita sunt. Forma monarchica, ut prima, ita simplicissima fuit, atque ab initio satis æqua et moderata (5); tum ex more patriarchali, tum ex regnorum tenuitate, tum ex patriis institutis atque religione. De tyrannide et dictatura illa perpetua ac despotismo proprie sic dicto occidentali sermo esse non potest; sunt enim illæ injustæ ab origine; inest mali plurimum; bonum si quod est, injuria originis fœtidum.

In despostimo orientali, quoniam rex et rerum summæ et terræ totius et capitum civium dominus est, ideoque libertas deest in subditis, *amor patriae* esse non potest; nulla etiam in illa defendenda cura, nulla animi fortitudo, nihil civilium virtutum (6). Deest omnis etiam cultus humanus; nulla indus-

---

(4) PLATO in Politico p. 302, qui vero monarcham optimis legibus circumscribendum jubet. Vid. CICER. De Rep. I. 45. STOBÆUS in toto sermone XIV. Rationes, quibus ducti homines primi hanc formam monarchicam haberent potiorem, ARISTOT. (Pol. III. 15) recenset (cfr. ejusd. c. 18).

(5) DIONYS. HALIC. II. p. 86. Genes. c. 34. v. 20 sqq. coll. HOMER. Il. VIII. 4. II. 51. ARISTOT. De Mor. III. 5. TAC. Mor. Germ. p. 439 Plantin.

(6) Quæ res quanti sit, a CICERONE docemur, Rep. I. 3. 4. 7. Tusc. I. 48. De Finib. II. 30. Offic. I. 17. PLATO Rep. IX. p. 575. JUVEN. X. 120. LUCAN. II. 382. LACTANT. Inst. II. 3. VI. 18. AUGUSTIN. Ep. 40, 91, 103 ne dicam de sexcentis aliis locis.

tria, nullæ artes. In hanc enim unam rem omnes consentiunt, quo magis libertas vigeat in populo, seu, quod idem est, quo major habeatur singulorum et universorum commodi ratio (7), eo magis proficere artes et cultum et industriam. Hominum commercia ne oriri quidem, ne dicam, florere, ex eadem causa, possunt. Fundamentum enim illa habent in hominum industria, hæc in libertate, quæ iterum in libera et certa quadam possessione innititur. Exinde tributorum copia; ex hac imperii vis et firmitas pendet (8).

---

(7) Cfr. MONTESQUIVIUS l. l. XVIII. 2: Les pays ne sont pas cultivés en raison de leur fertilité, mais en raison de leur liberté; et si l'on divise la terre par la pensée, on sera étonné de voir la plupart du temps des déserts dans ses parties les plus fertiles, et des grands peuples dans celles où le terrain semble tout refuser. Exemplum hujus rei prægnantius laudari non potest, quam si quis Belgium septentrionale, quale primum fuit et hodie est, cum omnibus partibus imperii Ottomannici comparaverit; sive si quis Græciæ antiquæ hominum frequentiam cum hodierna contulerit; sive etiam Palæstinam bono tempore Hebræorum cum hodierna.

(8) Cfr. MONTESQ. XIII. 11. Règle générale. On peut lever des tributs plus forts à la proportion de la liberté des sujets; l'on est forcé de les modérer à mesure que la servitude augmente. Cela a toujours été et cela sera toujours. C'est une règle tirée de la nature, qui ne varie point; on la trouve par tous les pays, en Angleterre, en Hollande et dans tous les états où la liberté va se dégradant, jusqu'en Turquie. Si quis solummodo discrimen civitatum, in quibus servitus rusticorum glebæ adstrictorum sublata est, tributorumque et divitiarum, quæ dederunt tum et quas possederunt, ponderaverit et ad res hodiernas exegerit; ille de hac sententia nullus dubitabit. Hûc itaque animum advertant illi, qui de progressibus generis humani dubitant; non obliti, Hispaniam vel tum fuisse pauperrimam, ubi aurum totius Americæ in illam solam affluxit!

De mala principum illorum educatione, deque servitute illorum, quæ ex arbitrio mulierum, eunuchorum, despotarumque minorum nascitur, supra egimus: atque addere possumus, ipsam rerum constantiam, quæ in imperio unius esse solet, in illis pestiferam fieri, ubi omnia a decretis inertis ac indolentis despotæ suspensa sunt, consilioque sapientum locus esse nullus potest (9). Eodem modo hereditas imperii nocifera apud illos est, quoniam vix unquam boni principes malum sequuntur. Hæc mala insuper augentur imperii extensione, occupationis studio et ipsa cœli temperie.

Omnino in monarchiis, de quibus adhuc dictum est, plu-

---

(9) Sic in iis deest, quam tantis laudibus veteres politici efferunt, virorum sapientum copia. CIC. Rep. III. 2. 5. De Legg. I. 5. LACTANT. Inst. I. 1. CELSUS in proœm. AUGUSTIN. Civ. D. L. XVIII coll. CIC. De Off. III. 4. Nat. Deor. II. 66. Tusc. IV. 3. LACTANT. l. l. III. 14. VI. 6. Epit. 30, 40. De Op. D. c. 1. PLAT. Polit. p. 258. 293. Præsertim ponderanda est disputatio, utrum sapienti gerenda sit respublica (ARISTOT. Rep. VII. 2. PLATO Rep. L. VI. CIC. Att. II. 16. Finib. V. 4. Divin. II. 1. Acad. IV. 36. Rep. I. 5). Huc pertinet (neque vero ad *omnes* omnino alias Monarchias, quas misere confundere solent scriptores) funestissimum illud novum vitium, quo ab *ejusmodi* monarchis res civitatis ad nobiles transit, qui in *his* monarchiis nullam seu parvulam rerum peritiam habere solent, et omnibus rebus ad sua commoda utuntur (vid. MONTESQ. Esp. d. L. II. 4), qui amicitiis et inimicitiis et pecunia ducti, virtute et republica neglecta, aliis favent, alios deprimunt; ex quibus ejusmodi homines efficiuntur, de quibus loquitur BACO ille *Verulamius* (De Dign. et Augm. Scc. VIII. 3) « Miri artifices, qui tantum abest, ut rempublicam anplificare possint, ut potius a natura comparati videantur ad statum reipublicæ beatum et florentem labefactandum et evertendum. »

rima pendent ab ingenio et virtute imperantis; atque licet in iis major rei constantia sit, tamen altera ex parte non minus verum est, civitatis statum sub unoquoque alium fieri debere; quoniam raro plures et æque boni principes se subsequuntur, rarissime etiam mali complures. Pessimum quoque coërcet sensus ille ethicus, sensus publicus (quam opinionem publicam vocant (1); ipsa vivendi et sentiendi consuetudo, cui omnis homo obnoxius est; ætas quoque, qua vivit; ingenium populare, quo vel ipse captus est; religio, gloriæ bene faciendi et honoris studium, quod avide sectantur vel ipsi Nerones, atque altera ex parte metus ille, a quo nemo tyrannus plane liber est; et fama posterorum, quem omnes timent. Nemo enim tam est omni natura humana, ad meliora tendente, destitutus, ut non, etiam nolens, quodammodo ad bona trahatur studia.

Hæc vero jam meliora tempora redolent, ad quæ nunc perventum est, ubi monarchiæ æquis legibus constitutæ sunt.

Quantopere enim antiqui abhorrebant a principatu unius, tantopere ætas hodierna hanc gubernii formam probat, quoniam etiam in ea libertas eaque purissima esse non solum potest; sed quæ ipsa æquabilitatis fundamentum, ne dicamus,

---

(1) Montesquivius *honorem* vocat, Gallico plane verbo (*l'honneur*), qui vero apud solos Gallos eam vim et significationem habuit. Omnino Ille adeo inest in populari sensu illius nationis, ut ex hac causa nonnulla minus bene perspiciat, quam potuisset, si magis se a Gallicismo illo liberasset; apud alias enim nationes *virtus* est, et *fides* et *probitas* innata et *justitiæ* studium.

conditio est. Atque hoc loco nobis, Belgis, contingit tam felicibus, ut ipsis sacratissimis Regis nostri Augustissimi verbis rem auspicari sanctissimam possimus. ILLE enim, æquitatis et justitiæ sensu perfusus eodem, ac alius princeps *Arausionensis* (GUILIELMUS III, Angliæ rex, qui quamdiu vixit, Europam moderabatur justissime) per legatos suos Vindobonæ principibus augustis, ubi ipsos certiores fecit, se regiam dignitatem in se recepisse, solenniter declaravit (2) : QU'UNE LIBERTÉ SAGE ET MODÉRÉE EST PARFAITEMENT COMPATIBLE AVEC LES FORMES MONARCHIQUES. Non secus idem Princeps Clementissimus Amstelædami a. MDCCCXV publice edixit: QU'IL EUT ACCEPTÉ LA SOUVERAINETÉ SOUS LA CONDITION EXPRESSE QU'UNE LOI FONDAMENTALE GARANTÎT SUFFISAMMENT LA LIBERTÉ DES PERSONNES, LA SURETÉ DES PROPRIÉTÉS; EN UN MOT, TOUS LES DROITS CIVILS QUI CARACTÉRISENT UN PEUPLE RÉELLEMENT LIBRE (3).

His præmissis difficile esse non potest definire, quæ sit monarchia hæc. *Monarchia justa, libera, aequis legibus constituta, est ea forma regiminis, in qua revera respublica est res populi* (4), *imperans vero* LEX *est; subditi* CIVES *sunt.*

---

(2) Dat. Vindob. d. 28 Martii 1815. Vid. KLUEBERS Acten des Wiener Congresses Heft I. IV. p. 68.

(3) Vid. Rapport présenté au Roi par la commission chargée de la révision de la loi fondamentale, à la Haye le 13 Juillet 1815.

(4) Vid. CIC. De Rep. I. 25 coll. AUGUSTIN. De. Civ. D. V. 18, XIX. 21 et 24. ISIDOR. Orig. IX. 4, cum quibus conjunge LIV. I. 8.

Populus hic non est, neque in *principe* solo, nec in *multitudine, neque in selectis utriusque viris*. Princeps *cum* populo rempublicam i. e. *civitatem* (quæ sola hoc nomine digna est (5) constituit. Omnes *uni* parent, non æquali, sed summæ potestati, quæ universos continet, coram qua omnes æquales sunt, cui nemo obedientiam negare, ne velle quidem, potest, *Legi* (6). Hæc lex summa est, emanatio voluntatis universorum, certis terminis, ad naturam rerum et tempestatum expressa, cum voluntate, non singulorum et privatorum, sed omnium congrua. Legislatio hæc i. e. expressio voluntatis universorum, ad communem omnium utilitatem directa (7), penes *Cives* est (non apud multitudinem, non apud ordines quosdam, non apud principem quemdam). Terminos vero illos i. e. sumsumtiones sub legem illam summam (leges positivas) statuere potest sive princeps, si hæc ipsi potestas data est, sive electi ordines, sive comitia populi universi possunt: justæ erunt, si cum lege summa, quatenus ea ad locum et tempus, ad res et necessitates populi, ad cultum animorum adhiberi unoquoque momento potest, quadrant. Hinc itaque *leges* mutari possunt; *lex* non potest. *Lex* omnis muta est, nisi pronunciata i. e. sine *legibus:* leges inertes sunt, nisi vitam a

---

(5) « Non enim illam mihi civitatem dicere videbare, quam muralis aliquis gyrus coërcet; nec illam, quam philosophorum tractatus mundanam memorans communem omnibus profitetur.» NECTARIUS ait ap. AUGUSTIN. Ep. C III. 2. coll. CIC. de Rep. I. 13.

(6) CIC. Rep. I. 31. coll. DIONE LII. 4. PLATO De Legg. IV. p. 712 sqq.

(7) CIC. Rep. I. 26. 31. De Off. I. 25. III. 6, coll. ARISTOT. Rep. I. 1, 2. III. 9. IV. 4. DIONE LII. 6. SYMMACH. Ep. X. 61.

magistratibus obtinent, magistratus homines sunt, ideoque studiis hominum obnoxii; injusti, si eam vitam legibus non impertiuntur ex sensu legis summæ. Ne hoc fieret, LEGUM *Custodes* (non magistratuum, non principis) esse debent, quos Parliamenta, Ordines, Senatum vocant. Lex illa *unitatem* civitatis vult, ideoque unitatem legum cum Lege, quam efficere *princeps* debet, unde civitatis *Administratio summa* in principe est. Actiones singulæ singulorum ex *legibus judicantur,* unde judiciorum magistratus atque *judiciaria* potestas; quæ itaque non principis est; sed ordinis judicum, quos tamen *ex illa unitate* princeps moderatur, quoniam ejus est provincia, ut efficiat, ut leges quadrent cum lege summa: inde *Potestas principis* illa enascitur, qua tota civitas regitur interior, repræsentatur extrinsecus.

Hoc modo semper viva existet civitas et æquabilis. Non elementa itaque sunt sibi hostilia in civitate, ut apud veteres (8); non rex omnia concupiscens et de suis solum rebus sollicitus; non ordines regi invidi, qui solum eapropter adesse videantur, ut regi struant impedimenta potestatis; non multitudo popelli, quæ omnes timens, omnes adgreditur atque suos quoque ipsis limites ex suo arbitrio struere conetur; sed una civitas, unita, uno consilio recta, ut omnia conducant omnibus; in qua princeps sine civibus, hi sine principe stare non possunt. Non itaque ibi est violenta et inimica potestatis *sepa-*

---

(8) Huc itaque non cadunt querelæ veterum, quæ ab ISOCRATE emittuntur in Areop. orat. c. 19 coll. MEURSIO de Areop. c. 9 et CIC. Rep. I. 27,

ratio et *distractio*, sed *diremtio* involuntaria, in cujus partibus singulis *tota vita* inest, quemadmodum in una anima facultates *variae*, non *diversae*, quæ anima habitat in corpore civitatis. Hic itaque apex est æquæ libertatis.

Quum princeps in hac civitate totus inest, studia habere civitati contraria nequit, atque inde oritur singularis illa adparitio recentiorum temporum, qua *principes* sunt *immortales* (*principes* dico; non *homines*, qui sic vocantur) i. e in potestate sua *hereditarii*, sine qua hereditate felix esse civitas *hodie* nulla potest. Interest enim principis, ut stet civitas hæc inconcussa, quoniam etiam privatæ ejus res cum ea persistunt; atque civitatis interest, ut certo ordine principes sequantur unus alterum, ne ille ordo ab æmulis coronæ turbetur.

Terminemus hoc loco hanc disquisitionem, in quam inferius nobis redeundum erit. Hæc enim summa potestas, quoniam æqua est et justa, cum omnibus simul formis conjungi, cumque iis congruere potest.

CAPUT SECUNDUM.

DE PRINCIPATU MULTORUM SIVE DE POLYARCHIA.

§ IX.

PRÆPARATIO.

Polyarchiæ antiquis dicebantur eæ formæ regiminis, in quibus non *penes unum*, sed *penes multos* summa res erat. Quoniam monarchias illi non probarunt propter servitutem, quam in iis inesse necessario credebant; Polyarchiis studebant maxime, in quibus solis libertatem exsistere et tutam esse posse opinabantur; eamque eo majorem et æquiorem, quo major numerus imperantium esset. Inde factum est, ut pedetentim dominatus ille a *multis* transiret ad *omnes* (1). Vox

(1) Vocabulum *multi* nonnunquam significare *omnes*, Augustinus

multi autem tam incertam significationem habet in his rebus, ut necessario ex hac incertitudine notionis nasci apud illos deberet incertitudo rei. *Multi* aliis erant, simulac plures essent uno; aliis certum ordinem hominum, eumque integrum; aliis ex hoc ordine electos viros; aliis populum liberum; aliis electas ex eo partes; aliis omnino omnes significarunt. Varia hæc interpretatio, quemadmodum ab optimatibus, a populo, a plebe, a Demagogis fiebat, maximas civitatum vicissitudines et turbas, diversasque rei gerendæ formas pro diversis omnium ordinum studiis, progeneravit (2); quæ sola res plus satis commonstrat, ejusmodi formarum notionem veritate carere; atque idcirco necessario ad *moderatum illud et permixtum genus ex omnibus* ducere debere.

Cur vero oderunt illi monarchiam? et qui populi? Qua causa illi ad Polyarchiæ studia impellebantur? Ad has quæstiones, quas præterire non possumus, primum respondendum est, quam ad ipsas describendas et judicandas accedamus. Hoc vero uno verbulo possumus post ea, quæ hucusque a nobis collecta et parata sunt. Populi illi *Graeci* sunt atque *Romani*; recentiores quidam huc non pertinent.

---

docet contr. Julian. VI. 80; De Civ. D. XX. 23. Matth. XXVI. 28. Dan. XII. 2 -- ut docte A. MAJUS notat ad CIC. De Rep. I. 36, qui locus idem testatur.

(2) Hinc jam PLATO in Polit. p. 302 et POLYBIUS VI. 4 ex tribus illis solennibus reipublicæ generibus, subdivisione instituta, *sex* effecere, hisque *septimum* illud mixtum addiderunt, quod est CICERONIS (Rep. I. 29) *quartum*. Qui vero *sex* genera constituerunt, ut distributio eorum firma quodammodo maneret, *tria* PER ABUSUM orta esse asserebant.

Illi itaque ante oculos habebant despotismum orientalem et autocratiam et quæ ex illis orta sunt, *regnum* et *tyrannidem*. Illa genera ingenerata sunt orienti et cum occidentalibus rebus non quadrant; altera in occidente occurrere possunt, sed ibi *injusta* sunt. In oriente omnia fuere in *totalitate* quadam concepta; in occidente, præsertim in Græcia, personarum *individualitas* primum se pronunciavit, cumque ea singulorum quoque libertas. Hæc individualitas, quo magis juvenis erat, eo magis invidere debuit illi totalitati; et quoniam eam ipsam ob causam necessitatem harmoniæ et unitatis non sentiebat, atque totalitatis simul et individualitatis coëxistentiam capere nondum potuit, sese illi omnibus viribus opposuit adeo, ut civitatis socii omnes plus minus æqua jura cum omnibus partiri vellent, et hoc studio compellerentur eo, ut crederent, præter servitutem et licentiam tertium esse non posse (3).

Prima hujus discriminis ratio adparet in *religione*, quæ apud Græcos, quamquam ex Ægypto et Asia accepta, alia plane fiebat, quam fuit antea. In oriente enim (ad quem hoc intuitu vel Ægyptus pertinet) religio adstricta erat ad naturam ejusque phœnomena *extera*, juxta vim, quam exercebant in homines, ad solem nimirum, lunam, tellurem, astra, flumina terrarum majora, montes, maria: apud Græcos hæ res excolebantur adeo, ut numina illa non amplius ut vires modo naturæ adparerent, sed ut in personas abirent, indole *ethica* (morali) præditas, agentes, ad locum certum adstrictas, certis rationibus inter se copulatas et distinctas, individuas, Græcis

---

(3) Vide supra L. II. Cap. II.

solum proprias, quasi *Homericas* (4); quæ nunc non amplius *totalitatem naturae;* sed *proprietatem Graecorum* expresserunt (5).

Inde effectum est, ut apud Græcos et Romanos sacerdotes non amplius proprius ordo essent, totum complexi; sed privati homines, ad civitatem pertinentes; unde iterum religiones illæ plane *politicae* factæ sunt, ut eas veteres nominant (6).

§ X.

DE ARISTOCRATIA OMNINO EJUSQUE VICISSITUDINIBUS.

Aristocratia ea est forma gubernii, in qua res summa apud

---

(4) Loci primarii apud HERODOT. II. 42. 50. 52. 53.

(5) Instar omnium HEERENIUS (Ideen Th. III. Abth. I. Abschn. III, Religion der Griechen, p. 67 sqq.).

(6) De *politico* et quasi ab hominibus *facto* religionis genere loquuntur *Scævola* et *Varro* ap. AUGUSTIN. De Civ. D. IV. 27, 31. VI. 5 coll. SERV. ad Æn. III. 80. CIC. Rep. I. 2. Hinc illa legumlatorum *a Jove* petita exordia. PLATO De Legg. IV. p. 712. Tim. p. 27, 48. Phæd. p. 237. Rep. VIII. p. 545. CIC. De Rep. I. 36. De Legg. II. 3. ARATUS Phœnom. V. 1 coll. SERV. ad Æn. VII. 259. SYMMACH. Ep. III. 44. Inde apud Græcos atque Romanos omnia *auspicato* fiebant. Vid. PLUT. in *Cic.* 36; in Marcell. 4. 5. STRABO XVII. p. 1168. PLIN. X. 21. (coll. XXVIII. 2. DION. HAL. II. 6. ARNOB. II. p. 91) præs. CIC. De Legg. III. 3. De Divin. I. 2. Rep. II. 9. XENOPH. De Rep. Lac. 8. PLUT. Lyc. 29. DION. HAL. II. 61. LIV. IV. 4. X. 6.

gentes nobiles est, sive eas, quae ab illis hac nobilitate donatae, in Ordinem imperantium familiarum suffectae sunt (7).

Hæc forma, ut unusquisque videt, sive despotica, sive autocratica, sive libera esse potest; quatenus illi optimates (optimi, boni, οἱ ἀγαθοὶ, οἱ ἀριστοί) sive jura civitatis et humanitatis, seu sola jura civitatis regundæ sibi reservant, sive hæc ulteriora cum populo quodammodo partiuntur (8).

Quum vero sive *omnes* gentes nobiles, sive ex earum me-

---

(7) Egregium exemplum novorum hominum in Senatum adscitorum exstat in Antt. Romanis. Rex enim Romanus quidam (utrum is L. Tarquinius fuerit juxta CIC. De Rep. II. 20. LIV. I. 35. DIONYS. HAL. III. 67. AUR. VICTOR c. 6; an Brutus ille juxta TAC. Annal. XI. 25; an Tull. Hostilius, juxta P. VICTOR. Region. II; an denique S. Tullius juxta SERV. Æn. I. 426, *hoc loco* non interest) numerum antiquorum Patrum duplicavit, minoribus gentibus in Senatum accitis. Hoc vero non nisi *rex* agere potuit, murmurantibus licet Patribus, ut suam auctoritatem contra patrum adpetitus muniret; qui, ut jam non nescimus, regum mos fuit et esse debuit. Servium vero Tullium hunc regem fuisse, exinde patet, quod ei patres infensi maxime fuerunt, unde se patribus non commisit, teste CIC. De Rep. II. 21.

(8) Hanc formam cum ipsa *Autocratia* conjunctam esse posse, exemplum reipublicæ Venetiarum testatur: etiam a *monarchia* illam non abhorrere, *Respublica et Regnum* Poloniæ testis est. De Aristocratia sub regibus Romanis vix est cur moneamus, atque jejunus ille STRABO (V. p. 439) certe non ineptit (ut volunt nonnulli) cum dicit, Romanos ejecto Tarquinio rempublicam constituisse regiam atque optimatium administratione temperatam. Nam populi revera nulla tum fuit potestas.

dio *electae* solum regnare possunt (9); quum denique illa nobilitas sive ex solo *genere*, sive ex rerum possessione, sive ex meritis in rempublicam sibi acquisitis, sive ex auctoritate, qua in rebus divinis, in defendenda patria, aliisque faciundis pollent, æstimari potest; ex hac diversa interpretatione variæ iterum formæ exteræ personæ imperantis oriri possunt : *aristocratia sensu latissimo*, *aristocratia angustiori sensu* usurpata, *timocratia*, *aristocratia militaris* (aristocratia *feudalis* ignota nemini esse potest) et *theocratica* (de hac jam supra dictum est) vocatæ.

Origo aristocratiæ *propriae* ad antiquissima tempora recedit atque ex potestate patriarchali repetenda est (ut supra satis demonstratum est), ideoque ante ipsum imperium *unius* valuit et huic necessitate urgente dedit initia. *Cicero* itaque nobis nimis philosophari videtur, ubi in universum hæc de ea perhibet (1) : « Difficultas ineundi consilii rem a rege ad plures... transtulit. Sic inter infirmitatem unius, temeritatemque multorum medium Optimates possederunt locum, quo nihil potest esse moderatius : quibus rempublicam

---

(9) Per delectos et principes cives summa justitia regnari posse, testis est Cic. Rep. I. 27. Hæc optimatium potestas apud Massiliensis præsertim diu viguisse dicitur ab Aristot. De Rep. V. 6. VI. 7 coll. Cic. pro Flac. 26. Hanc eorum regiminis formam describit Strabo IV. p. 271. Summa enim res gerebatur a DC optimatibus, perpetuo electis, qui τιμοῦχοι dicti sunt; ex quibus præerant XV viri, qui res quotidianas curarunt; atque ex his iterum III viri supremam potestatem habuere.

(1) De Rep. I. 34 med. coll. Platone in Polit. p. 302 sq. et Aristot. Rep. III. 7.

tuentibus, beatissimos esse populos necesse est, vacuos omni cura et cogitatione (utrum hæc sit populorum beatitudo, non satis videmus!). » Nullo pacto negligendum est hoc loco meminisse, *Ciceronem* omni tempore *favere* optimatibus (2). Ipse vero scire potuit, aristocratiam illam sub ipsis regibus viguisse, atque Græcus ille (3) male eam a *Bruti* solum temporibus repetit; quamquam nulli negamus, ejusmodi translationem alio tempore et apud multos populos, de instituto, factam fuisse.

Hoc itaque ante omnia tenendum; aristocratias illas ab initio sponte sua ortas fuisse, sive aliis potius formis locum non fuisse; quoniam præter *optimos* illos alii cives non extiterunt. *Patricii* enim Romani (ut hoc exemplo utamur) primum *soli* fuere cives, soli *populum* constituerunt, et Clientes illi nunqam censebantur; fuere quasi glebæ adstricti, servi patriciorum, non ordo quidam liber: patricii vero illi non a *Romulo* instituebantur, sed ipsi erant, qui a *Romulo*, ipsis gente æquali, regi passi sunt — eodem modo, quo vel in Ægypto soli sacerdotes (ab initio) populum confecerunt.

Hanc formam stare longum tempus non posse inconcussam,

---

(2) Ad Fam. I. 9. VIII. 16, ad Att. I. 18. 20. II. 3. 5. 15. VIII. 3. X. 9, ad Qu. fr. I. 1. pro Sext. c. 9. Acad. IV. 40. QUINTUS de petit. consul. ad fratr. c. 1. Argumentum hujus assertionis maximum peti potest ex ejusd. CIC. judicio De Legg. XII. Tabul. (Vid De Orat. I. 44.)

(3) DIONYS. HALIC. VI. 6.

sed plurimis obnoxiam esse vicissitudinibus, facile intelligitur (4). Insunt tamen, inter mala multa, bona nonnulla, et inter ea optimum constantia principiorum summæ rei gerundæ: in familiis enim imperantibus facile omnia hereditaria fiunt (ut Carthago et Roma testantur), quam a patribus acceptam hereditatem nonnunquam filii et nepotes augere student. « Quorum enim patres aut majores aliqua gloria præstiterunt, ait CICERO (5), ii student plerumque eodem in genere laudis excellere: ut Q. Mucius P. F. in jure civili, Paulli filius Africanus in re militari. Quidam autem ad eas laudes, quas a patribus acceperunt, addunt aliquam suam, ut idem ille Africanus. » Sed quantum sit damnum in hoc formarum macrobiotismo, præsertim politici *viri decident.* Reliqua vitia ipsimet nos infra proferemus.

§ XI.

DE TIMOCRATIA.

Quum hæc vox a nonnullis sensu nimis angusto usurpata sit (6), primum de ejus significatione pauca dicamus. Descen-

(4) Sic Athenis factum esse refert CIC. II. 1, atque neminem tædebit legere de hac re POLYB. VI. 44. PAUSAN. I. 3. LAERT. in Demetrio. PLIN. VII. 56. GELL. XI. 18. POLLUC. L. VIII. SUIDAM v. ἡγεμονία. CORSIN. Fast. Attic. Diss. I. MEURS. Antt. Attic.

(5) CICERO De Off. I. 32 coll. De Rep. I. 22.

(6) Jo. MUELLERUS l. l. p. 15 Timocratiam vocat partem Aristocratiæ,

dit autem vox a τιμή, *pretium*, *aestimatio*, atque secunda significatione, inde petita, *honor*, *dignitas*. Inde τιμοκρατία (sive τιμαρχία apud *Platonem*) in rebus politicis duplicem habere sensum potest. *Platoni* enim est civitas, cujus principium et fundamentum sit *honor*; *Aristoteli* vero (7) civitas, in qua juxta *censum*, seu *bonorum*, *opum*, *divitarum aestimationem* summa potestas tribuatur (8).

Hinc sequitur, Timocratiam esse illam gubernii formam, in qua res summa penes certum ordinem nobilium sit, quorum vero nobilitas non æstimetur ex solo *genere nobili*, sed etiam sive ex rebus et factis, quibus viri boni de patria bene meruerunt; sive ex opibus, quibus patriam sustentare possunt atque ex jussu legum debent (9).

Hinc itaque oriebatur nobilitas nova meritorum atque bonorum possessorum; quæ jam nunc multum facit ad æquiorem quandam libertatem consequendam. Nam non amplius

---

ex qua legibus constitutum sit, quantum quis possidere debeat, ut summis in civitate honoribus haberi dignus possit. Vid. CICERO, qui (Rep. I. 31,32) «de *familiarum vetustatibus* AUT *pecuniis*» loquitur, coll. ARISTOT. Rep. II. 10. 12. DIOD. SIC. XI. 72. POLLUX VIII. X. 130. DIO CASS. LII. 11. 9.

(7) In Ethic. VIII. 12.

(8) Vid. Lexic. Græc. auctore RIEMERO s. vv.

(9) Rationem hujus Timocratiæ exhibet *Paullus* ap. GELL. XVI. 10: «Quoniam res pecuniaque familiaris obsidis vicem pignorisque esse apud rempublicam videtur.» Ex eadem causa obærati rempublicam gerere vetabantur. Vid. CIC. Phil. II. 2. SUID. v. ἔνδειξις.

illa libertas a generis et fortunæ temeritate pendebat, sed ad eam aditus patuit unicuique, nobili an ignobili loco nato, modo ipse sive certam sibi industria sua opulentiam paraverit, sive bonis actionibus, vera virtute, in cives et patriam eam sibi acquisiverit. Hoc modo duo illi Arpinates, *Marius* et *Marcus Tullius Cicero*, NOVI quidem homines fuere, sed nobiles non minus, sive potius (ut rem adcuratius dicamus) *illustres* (1).

Omnis Aristocratia pura necessario in Timocratiam transit, quoniam necessario homo in dies colitur resque ejus cum cultu emendantur. Pauper quoque mediocris, dives, ditior et ditissimus fieri potest, modo ipsi copia fit, vires explicandi suas. Hominum infimus quoque bonis virtutibus præditus esse potest, bene dicere ad populum, patriam juvare bonis consiliis, simulac ejusmodi virtutes ab omnibus agnoscuntur (2).

Vestigia ejusmodi Census instituti sunt in ipsa Ægypto, rege et moderatore *Amaside;* unde eum forsan *Solon* ipse obtinuit, cujus tota legislatio in hoc fundamento innititur; et a quo habere census sui rationem *Servius Tullius* videtur, qui eum non multo post inter Romanos instituit: ex quo tempore summa potestas ex Curiis ad Comitia Centuriata translata

---

(1) Cato nomen suum Tusculi ignobile, Romæ nobilissimum reddidit. VAL. MAX. III. IV. 6. *Cicero,* qui omnia incrementa sua sibi debuit; *vir novitatis nobilissimæ* prædicatur a VELL. PATERC. II. 24.

(2) Cfr. PLATO Menex. p. 238.

est (3). Eadem res apud Carthaginienses, plus quam fas erat, invaluit. Porro timocraticum elementum hodienum in omnibus fere, seu in melioribus saltem, civitatibus, cujuscunque formæ, deprehenditur (e. g. in Belgio, in Anglia, aliâs).

§ XII.

DE OLIGARCHIA ARISTOCRATICA.

Hanc formam nonnulli plane ex serie constitutionum ejiciunt, eamque formam esse aliquam omnino negant. Certe vel nos de ea non essemus locuti (est enim index et complexio omnium vitiorum, Aristocratiæ et Timocratiæ) nisi persuasum nobis esset, eam *non semper*, ex abusu ortam, degenerationem fuisse bonarum formarum; sed sæpissime *justam* penitus; ut paucis demonstrabimus.

Oligarchia ea est imperii forma, ubi pauci regnant.

---

(3) De Censu Romano vid. Cic. De Rep. II ab inde c. 22. Dionys. Hal. IV. 13. 27 (coll. 20. 21, ubi egregie ineptit Græcus ille), Liv. I. 42. Gell. XVI. 10. XIX. 8. Plaut. Amph. I. 1. 14. Voluit enim rex, ut is valeret in suffragio plurimum, cujus plurimum interesset. Eodem modo *Flaminius* ille, ubi Thessalorum rempublicam ordinavit, *a censu maximo* Senatum et judices legit. Liv. XXXIV. 51. Aristot. Rep. IV. 12. Ad res Athenienses vid. Meursium in Solone (Gronov. Thes. Antt. Gr.) et S. Petitum De Legg. Atticis. De constitutione denique Carthaginiensium præ ceteris omnibus, Heerenium (Ideen Th. II, Abth. I. p. 115-148).

Quomodocunque vero constituta sit civitas; utrum a Proceribus, an a multitudine summa res geratur; verum semper est, *magistratus* esse debere, a quibus gubernetur ex legibus. Utrum hi Reges, Suffetes, Consules vocentur, non interest.

Inde consequens est, *Oligarchiam* paratam esse et quasi involucrem in formis omnibus. Eam tamen *Oligarchiam* vocare non solent. Altera ex parte, tametsi in constitutione non sit, ut illa potestas in manibus Paucorum ex ipsa lege existat, ut fuerat apud Massilienses (4); tamen nonnunquam necessitas temporis et tempestatum efficit, ut summa res tota ad tempus paucioribus confidatur; cujus rei exempla prostant in *Decemviris* legibus scribundis Romanorum et in *Dictatoribus* rite creatis ac in *Triumviris* reipublicæ constituendæ, *Octavio*, *Antonio* et *Lepido*. Hi enim plebiscito et Senatus consulto, ideoque rite, constituti fuere. Igitur dominatus paucorum, i. e. *Oligarchia* Justa existere potuit atque revera exstitit.

Hæc itaque est, de qua nos proprie locuti sumus. Sed hæc quoque antiquis non hoc nomine dicebatur, sed illis nominibus, quæ apud singulos adtulimus.

Potius veteres nomine Oligarchiæ potestatem injuria usurpatam designaverunt; ideoque de ea nunc nobis quoque dicendum est. Eam autem tum ortam esse dicunt, quum *summa*

---

(4) *Ephori* illi et *Cosmi* ejusmodi fuere. Vid. Aristot. Rep. II. 9. 10. Strabo X. p. 738.

potestas a multitudine ad PAUCOS *translata esset* (5). Quae cum ita sint, videndum est, *qui* vocarentur *Pauci?* Ut hoc expiscemur, primum quaerendum est, *qui* vocarentur *multi? Multi* vocabantur sive omnes ii, qui *populum;* sive ii, qui *multitudinem;* sive ii, qui *Optimates* effecerunt. Si itaque *lege* constitutum esset, ut δῆμος, sive ὄχλος, sive εὐπατρίδαι omnes sive denique ex his omnibus electi — τιμοῦχοι — regnarent; tota vero res ad *alios*, quam ad *hos*, eosque *pauciores*, qualicumque causa, neque vero populi consensu, seu legis jussu, perveniret; *hi* vocabantur *Pauci;* atque non intererat, utrum *sexcenti* an *duo* essent. Eodem jure eos vel *tyrannos* vocare possemus; neque desunt exempla XXX tyrannorum Atheniensium (6), Centumvirorum Carthaginiensium, Triumvirorum Romanorum (III viratus nimirum — male sic dicti — *Caesaris*, *Pompeji* et *Crassi*).

Quanto molestius est, pluribus obedire tyrannis, quam uni; tanto magis vel veteres hos ipsos oderunt, et tamen verissimum est, eos ab hisce nunquam fere fuisse liberos : quae res in ipsa natura Polyarchiae ingenerata est. Ubi enim quo quis est *nobilior*, *opulentior*, *honoratior*, eo etiam plus in civitate valet, quam reliqui; ibi etiam *nobilissimi*, *opulentissimi*, *summisque honoribus cumulatissimi* reliquis omnibus antecellunt. Quum vero horum numerus semper minimus est ; etiam pauci continuo super multis illis seu omnibus regnant. Quum denique inter paucos iterum unus omnes superare potest ve-

(5) Vid. CIC. Rep. I. 34, coll. ARISTOT. Rep. III, 14. 15. 16.

(6) De iis loquitur CIC. Rep. III. 22. SENECA De Tranq. An. c. 3.

tustate generis, opibus, honore; vel hic unus facile se dominum universorum facere, etiam nolentium, potest.

Suffecerit, hæc cuncta unico exemplo historiæ Poenorum illustrare. Ubi itaque *multi* regnant, non omnes æque magni sunt; nonnulli excellunt atque præpotentiam quandam nanciscuntur; oritur oligarchia aristocratica et factiones sibi oppositæ exinde nascuntur (ut ex gente Magonum (7); dantur non solum imperia sed etiam continuantur (8); magistratus plures in *unam familiam*, plures in *unam personam* transeunt (9); familiæ reliquæ, aliis oppositæ, idem moliuntur (1); sive si non obtinent, quod volunt, se in sinum plebis conjiciunt (ut *Asdrubal* (2). Si his auxiliis aliis evadunt potentiores; tum sive stare non amplius possunt sine plebe (ut domus *Barcina*); sive oriuntur inimicitiæ sempiternæ, quæ ex partibus politicis odium privatum pariunt (ut in Barcinis et Hannonibus erat (3); quo odio ita abripiuntur omnes, ut propter res privatas obliviscantur civitatis ipsius (4). Nunc, qui patriæ consulere de-

---

(7) JUSTINUS XIX. 1.

(8) CIC. Rep. 1. 44; — « donec ad potestatem regiam illi perveniant » ait AUGUSTIN. de Romanis optimatibus loquens. De Civ. D. I. 31.

(9) ARISTOT. Opp. II. p. 280.

(1) APPIAN. I. p. 106 et 348. POLYB. I. p. 182. 184. 204.

(2) DIODOR. SIC. II. p. 567.

(3) APPIAN. I. p. 205.

(4) Idem l. l. p. 229.

beant, cum peregrinis se uniunt (ut *Asdrubal* (5) atque se a patria independentes faciunt (ut idem et gens ejus (6); qua re sæpe temeraria audent, patriæque ruinam præparant (7); sive saltem in varias partes scindunt et varia studia excitant (8): alii etiam tyrannidem usurpant (9). Sed totam historiam Romanam et Atheniensium in exemplum adhibere possemus!

Prægnans de hac re sententia est *Darii*, qui ita de Oligarchia censuit (1) : « Quum plures sint virtutem in commune exercentes, *validae privatim inimicitiae exsistere amant:* etenim dum quisque cupit esse princeps, vultque, ut sua sententia vincat, in magnas incidunt inimicitias : tum ex inimicitiis exsistunt

---

(5) Diodor. Sic. I. p. 511. Polyb. III. p. 208.

(6) Polyb. I. p. 403.

(7) Ex hac præsertim ratione *Hannibal* belli Romani auctor extitit. Appian. I. p. 109. Ejusmodi discordiis præsertim hostes utuntur, ut civitatem, a qua male habiti fuerant, opprimant. Sic Romani in Carthaginienses, et gentes Romam circumjacentes in Romam, agere solebant. Vid. Dionys. Hal. VI. p. 359 et 369. Hæc vero simul tangunt Ochlocratiam, reliquasque Polyarchias, simulac nulli extrinsecus hostes timendi sunt. Vid. Polyb. VI. 44.

(8) Sic *Barcini* eapropter bellum voluere, quoniam *Hannonibus* pax cordi erat (ut recentiori tempore Whigiorum ac Toryorum partes Anglicæ). Vid. Polyb. III. p. 502 coll. 144. Liv. XXIII. 12. Appian. I. p. 345.

(9) Aristot. Opp. II. p. 311. Polyb. I. p. 77. Justin. XLIII. 5. (ubi de *Hannone* et *Bomilcare* tyrannis sermo est, quibus addi potest *Malchus* quidam). Vid. de hac tota re Heeren. l. l.

(1) Apud Herod. III. 82.

seditiones, ex seditionibus cædes, et ex cædibus ad unius imperium res redit. »

Videmus itaque, justitiam et sapientiam et patriæ salutem non semper esse, quæ eos ad dominationem compellat; sed sæpe *immensam possessionem* (2) et *foetidam avaritiam* (3)et *impuram gloriae cupiditatem* (4). Facile quoque intelligitur sententia illa scriptorum: « in Optimatium dominatu vix quemquam participem esse libertatis (5), » quum *opulentissimi* OPTIMI *putentur* (6). Igitur nos quoque toti pedibus imus in sententiam *Ciceronis* (7) qui « illam, ait, quæ tota sit in factionis potestate, non posse vere dici rempublicam. »

---

(2) Vid. CIC. Rep. I. 17. PLATO De Legg. V. p. 742.

(3) CIC. Off. II. 22. MAXIM. in Aug. Sermon. LXXXII. 2.

(4) AUGUSTIN. Civ. D. XIX. 19. De veræ gloriæ studio vid. PLAT. Rep. I. p. 347.

(5) CIC. Rep. I. 27. TACIT. Ann. VI. 42.

(6) CIC. l. l. c. 34. DIONYS. HAL. IV. 19. OVID. Fast. I. 217. JUVEN. I. 112. HORAT. Sat. II. III. 95.

(7) De Rep. III. 22. Quæ fuerit et sit plurimam partem Optimatium in reliquum populum sententia, *Appius* ille *Claudius* satis expressit ap. DIONYS. HALIC. Ant. Rom. V. p. 331. Cum qua re consentiunt XENOPHON in Athen. Rep. ab init. et MONTESQ. III. 3, qui ita : Les nobles y forment un corps, qui par sa prérogative et pour son intérêt particulier réprime le peuple. Attamen hac ipsa suppressione multo durior est fastus ille, quo Optimates se aliam esse hominum speciem credunt, quam reliquum populum; quæ superbia in totis XII Tabular. Legibus Romanis inest (Vid. CIC.

§ XIII.

DE DEMOCRATIA.

Populi antiqui ad unum omnes adeo erant incensi studio Democratiæ, ut hoc studium fere totam illorum vitam publicam consumeret: populus etiam quivis nactus continuo est viros, qui hoc studium sive probarent, sive etiam augerent. Solum philosophi non ita fuere et sunt propensi in istas laudes, atque dubitare videntur, an hæc omnino forma esse justa et sanæ mentis possit (8). Hoc nobis officium imponit, ut adcuratius eam rem versemur. Primum illi non distinguebant formam democraticam ab aliis ei similibus. Ut enim bona bonis miscere amabant, ut inde optimum quoddam conficerent; sic altera ex parte bona quoque malis miscebant, atque formas *exteriori habitu* sibi quodammodo similes, etiam spiritu plane æquales putaverunt. Inde factum est, ut Democratiam pessimam et teterrimam civitatis formam esse autumarent, ut postea videbimus.

De vera Democratia nos quidem plane illis dissentimus, atque *populi hujus* ardori antiquos et vero etiam nos, qui

---

Or. in Verr. 70. 71 coll. ÆLIAN. V. H. XIV. 36) et qua utuntur ad suas res augendas, populi res diminuendas. Vid. MACCHIAVEL. I. 37. Quomodo hoc assequantur, MONTESQ. docet E. d. L. V. 8.

(8) CICERO genus vitiosissimum reipublicæ vocat De Rep. III. 24.

nunc sumus, plurimum debere credimus : omnino denique populare imperium æque justum ac æquabile esse posse contendimus, quam optimatium. Democratia enim nobis esse videtur cultus et libertatis profectio, quæ eodem modo ex Timocratia nata sit, quam hæc ex Aristocratia pura. Simulac enim totus populus eum cultum nactus est, ut non solum nobiles et divites et sapientiores rerum et existentiæ suarum certitudinem obtinuerint, sed etiam reliqui cives, pauperes, indoctiores, ignobiles : vel hi æque participes esse summaram rerum volunt, quam illi. Nam quæstiones illæ tres, quas *Sieyesius* nuper Gallis explicuit :

I. Qu'est-ce que le Tiers-État? — Tout!
II. Qu'a-t-il été jusqu'à présent? — Rien!
III. Que demande-t-il? — A être quelque chose!...

in omni ejusmodi populo expergefacto oriri debent; oriebantur autem clarius apud veteres, quam apud recentiores, et apud illos certe majori jure, quam apud nos : nam civitatum illarum ambitus et publica res et juvenis humanitas aliæ plane fuere, quam quæ sunt hodie: ubi *illae* democratiæ oriebantur, jus nullum erat, et leges nullæ; sed arbitrium civitatis et rerum et personarum penes tyrannos et nobiles : quidquid itaque *illi* populi expostularunt, id totum eo comprehendebatur, ut *scriptas* leges et pronuntiata jura, ideoque *certum ordinem* vellent, quoniam *incerta* omnia fuere; qui non idem apud Gallos fuerat status publicus.

Videamus, si quo exemplo historico hæc probare possimus. *Servius Tullius*, regum Romanorum justissimus et sapientis-

simus (9), quum Censum institueret, noluit quidem, *ut plurimum valerent plurimi* (1), sed voluit, ut locupletissimus quisque, *quoniam is prae ceteris* OPTIMUS *esse potuit* (2) valeret plurimum in suffragiis. Atque hoc effecit eo, ut classi *primae* (ditissimorum) majorem numerum centuriarum daret, quam reliquis omnibus simul. Sed id quoque fecit, ut vel ultimis et pauperrimis copiam suffragiorum concederet, *ut nemo excluderetur suffragiis* (3); in qua re tanta ipsi religio fuit, ut centuriam constitueret, in qua liceret ei suffragium ferre, *qui non tulisset in sua* « *ne quis civis suffragii jure privaretur* (4); » atque ut in ipsis *nominandis* centuriis adcuratissime ageret (5). Hoc certe non eapropter fecit, *ut comitia e democraticis* (!) *faceret aristocratica* (6); sed ut daret unicuique suum. Neminem enim prohibuit, quominus e pauperrimo ditior fieret, ideoque in classem superiorem veniret : sustulit autem prærogativa nobilium, quæ ex sola generis vetustate

---

(9) Eam enim ob causam de eo prædicari potest, quod nos cum antiquis in eo laudamus; « imperatoribus enim egregiis *modus libertatis* placet » ut ait TACIT. Hist. IV. 8. Vid. etiam MONTESQ. E. d. L. III. 3.

(1) Ut ait CIC. Rep. II. 22.

(2) Vid. ARISTOT. IV. 12.

(3) CIC. l. l. LIV. I. 43.

(4) Sunt verba FESTI.

(5) CIC. l. l. et Top. 2. GELL. XVI. 10. XIX. 8. PLAUT. Amph. I. 114.

(6) Sic enim nemo nisi Græculus opinari potuit (DIONYS. HALIC. IV. 20. 21.

petebantur; omnesque cives, coram civitate, æquales reddidit. Cujus rei primum argumentum eo dedit, ut *minorum gentium patres* institueret. Nonne itaque hic ipse rex regum veram libertatem, veram Democratiam instituit, seu *populare* imperium? Nonne hic ex re Optimatium *rem populi* fecit? Postea, ubi hic populus magis adoleverat, factum est ut, *Val. Poblicola* auctore, lex ferretur *de provocatione ad populum;* atque idem ille *statim secures de fascibus demi juberet....* nam vir fuit, *qui modica libertate populo data,* facilius *tenuit auctoritatem principum* (7). Voluit itaque, ni fallimur, ut populus non tyrannos videret et dominos, ubi magistratus tantum esse debuerunt: voluit, ut quicunque dignus esset, ad summas res perveniret atque is, qui licet summo loco natus, Senator et Eques, ni bene egerit, e Senatu et Ordine, a Censore, eodem jure moveretur, quam ignobilis, modo bene se gesserit, in Senatum et Ordinem et ad magistratus summos vocaretur. Quid itaque æquabilius esse potest, quam hic δῆμος ab illo rege constitutus? Redeunt hoc loco in memoriam *Titi Quinctii* verba, quibus Græcos adlocutus est, ubi ipsis libertatem restituit (8): « Libertate *modice* utantur: *temperatam* eam salubrem et singulis et civitatibus esse; *nimiam* et aliis gravem et ipsis, qui habeant, effrenatam et præcipitem esse. »

---

(7) Cic. l. l. II. 31. Liv. II. 1. Dionys. Halic. V. 19. Similem Democratiam Athenis constituisse *Antipatrum,* narratur.

(8) L. XXXIV. 49. Ex his colligi potest, nobis Democratiam non eamdem esse, ac Aristoteli, Pol. VI. 2. p. 521. A et p. 522 A, eam nimirum, in qua nulla habeatur ratio dignitatis; ideoque nobis quoque non ea occurrere posse ejus incommoda, quam illi, l. l.

Qualem igitur nos democratiam velimus, nemo non videt; eam nimirum, in qua res summa penes universum populum i. e. penes omnes cives veros et ingenuos sit absque ullo discrimine generis et opum aliorumque privilegiorum; qui itaque, licet non ad unum omnes res quotidianas curent, tamen, quomodo eæ curandæ sint, summis legibus describant, atque eos, qui eas curare ex voluntate populi debeant, e suo medio eligant, et eligi *ipsi possint*; in Comitiis populi de vita et nece civium, de bello et pace aliisque rebus ipsi agant, pecuniasque publicas curent, tributa et vectigalia ipsi jubeant, imperia, honores et reliqua donent; hæc tamen omnia certis legibus et conditionibus, quibus ab unoquoque obtemperandum sit, efficiant.

Hoc loco occurrendum est objectionibus clarissimi *Heerenii* (9) qui parum favere Democratiæ videtur. Sint tamen hæc cum pace summi viri dicta, quem, instar omnium, et fere unicum historiarum anquisitorem, qua decet, æstimatione et observantiâ amplectimur. Sic enim ille (formis despoticis, autocraticis et liberis in universum delineatis) pergit: « Quæritur, qua ratione se habeat cum illis formis *Democratia*? Sed in hoc vocabulo inest ambiguitas, quam nemo bene exposuit. Si quis enim Democratias (ut fieri solet) eas civitates nominat, ubi legislativa potestas penes conciones populi, sive universi, sive partis ejus certe maximæ est; tum clarum est, Democratiam non *formam gubernii*, sed *genus constitutionis* significare atque ad classem liberarum civitatum pertinere (ut supra demonstratum est). Si quis vero eam civitatem

(9) Ideen Th. I. Abth. I. Beilage VI. p. 661 sq.

intelligit esse, ubi executiva potestas in manibus populi sit; tum ea *forma* quidem *gubernii* vocari possit, sed simul nonens sit oporteat, quoniam ejusmodi civitas nullo pacto existere potest (quia nimirum, ut ait in nota, populus res suas non ipse, sed per *magistratus* regere queat) ». Nos vero non satis videmus, quo pacto hæc solum in Democratiam cadere possint, neque eodem jure in alias omnes formas simul?

Aristocratia eodem modo sive ex *omnibus* Optimatibus, sive ex delectis solum familiis consistere potest; ideoque sive illi, sive hi in *Comitiis* qualibuscunque res suas curant; atque legislativa potestas solum, sive etiam simul executiva potestas in manibus omnium esse potest; et hi omnes iterum res suas non alio modo quam auxilio *magistratuum* regere queunt; cujus rei exemplum luculentissimum Romani ediderunt optimates ante Centuriata comitia, in Curiatis, atque magis insuper in ipsis Centuriatis; denique, quod magis incredibile videtur, in ipsis *Tributis* comitiis. Ipsæ etiam monarchicæ formæ, omnis nominis, idem passæ sunt; et tamen extiterunt et existunt hodienum! Omnino antiqui Græci et Romani, quibus Democratia quasi propria est, nondum distinguebant *formas civitatum* et *genera constitutionum* tam adcurate, ut nos facimus; neque potuerunt distinguere, quoniam tota vita, publica et privata, legislatio et administratio et ipsa religio magis in totalitate sua convolutæ erant, ex qua sese vindicare per Democratiam omni nisu et quasi interiori impulsu coacti, conabantur (1). Quod vero pluris est, ne *Ochlocratiam* quidem illi, paucis exceptis, a Democratia separarunt.

---

(1) Vide supra Libri I. c. II. Præsertim delectus ille dignitatis maxime

Hæc vero insuper majorem lucem obtinebunt ex ipsa significatione vocis δῆμος. Hæc enim vox significationem habet *loci* et *habitationis* certæ, *pagi* forsan seu *urbis* seu *communitatis* cujusdam. Quicunque itaque in hoc loco cohabitaverunt, δῆμος vocabantur ipsi, id est, *in unum locum acciti*, sive *cives*, et communio civium dicebatur *civitas*: qui in hoc loco non habitaverunt i. e. ad δῆμον non pertinuere, etiam non *cives* fuere; ideoque res civitatis curare non potuerunt.

Ejusmodi civitates erant, ex natura sua, *exiguae* ac pedetentim ambitum auxere suum; quin tamen illi, qui hoc modo cum ambitu illo subacti fuerant, in illam civitatem reciperentur, quæ continuo *clausa* mansit omnibus (2). Sic ortum est discrimen inter *cives*, qui proprie δῆμος erant, et eos, qui civitatem *circumhabitaverunt* — περιοικοί. Inde factum est, ut soli *cives* i. e. pauciores illi et optimo jure sic vocati, *omnes* in concionem venire et rempublicam administrare possent. Qui vero minus liberi, sive in ipsa urbe habitaverunt postea, sive circa urbem, ii nominabantur *plebes*, *vulgus*, *multitudo*, *turba forensis*, ὄχλος, atque *militiam* agere, *leviorem* quidem illam, *tributa* pendere, civibus obedire debuerunt, uno verbulo, habuere jus personarum et rerum suarum, neque vero civitatis.

---

salutaris est; eo enim *omnes* cives ad magni aliquid efficiendum impelluntur. Dum enim cuivis spes est emendandi statum vitæ suæ, intendit, quidquid habet virium, ut id assequatur. In quibus vero civitatibus omnium vires ita sunt intentæ, eas florere necesse est; cum qua re egregie consentit DION. HALIC. Ant. Rom. III. p. 148.

(2) Vide supra L. II. c. III. § 30–37. Nemo enim unquam hanc rem melius explicuit ipso HEERENIO V. C.

Nunc difficile esse non potest ad demonstrandum, cuinam populo Democratia convenire possit. Populo nimirum parvulo, qui ab illa origine urbis et prima institutione et morum simplicitate, atque illa virtute, quæ in tam paucis modo hominibus solis vigere potest, nondum recesserunt; quibus civitas quasi domus est et familia. Simulac vero illis rebus valedicunt, civitatem nimis augent, in magnos populos excrescunt; hæc eadem Democratia non amplius stare potest: quæ in Atheniensibus, Persarum victoribus; in Romanis, terræ dominis et populo Gallico phantasma est, (3) ea optime quadrat cum exiguis pagis Helvetiorum. Fatemur itaque lubentissime, hanc formam maxime lubricam esse et præcipitem in omnes vicissitudines proximas; sed hoc quoque credimus, eam diutius stare non debere, quam stare sponte sua possit.

Quæ cum ita sint, *Platonem* nostrum perspectum habemus totum, qui in nova civitate constituenda, seu corrupta quadam restituenda, primum eam purgandam jubet civibus improbis; deinde agros et sedes inter cives æquo jure dividendos; tum

---

(3) Vid. Dumbeckii V. C. Tabul. Ethn. period. synchr. p. 49. A. Eapropter parum nobis probatur Baco Verul. VIII. 3, num. 6; probatur omnino Montesquivius, qui hæc perhibet (IX. 8): Toute grandeur, toute force, toute puissance est relative. Il faut bien prendre garde, qu'en cherchant à augmenter la grandeur réelle, on ne diminue la grandeur relatife (cfr. IX. 6 sqq. et c. 9). Majus periculum imminet civitatibus bellis studiosis (Baco De Augm. Scc. VIII. 3, num. 8. Mably principes des Lois III. T. II. p. 81. Montesq. VIII. 16. 26. IX. 2, coll. Vaderlandsche hist. ten vervolge van Wagenaars hist. T. XXV. p. 8.

civium numerum definiendum. Non enim ille *plus quinque millibus colonorum et praeterea quadraginta* admittit, atque *hanc civitatem augendam vetat* (4). Non dissentit *Aristoteles*, qui civitatem, ait (5), neque ex *decem* hominibus, neque ex *centum* millibus posse constare; cumque eo conspirat *Hippodamus* quidam, ab eo laudatus (6), qui civitatem vult *decem hominum millia* habere.

§ XIV.

DE OCHLOCRATIA.

Ochlocratiam nemo formam gubernii nominabit : *est enim ea rerum publicarum perturbatio, qua res summa a populo ad furorem turbae forensis transiit* (7). *Ea itaque est, in quam cadunt* omni jure illæ criminationes qualescunque, eæque acerbissimæ, quibus scriptores, sine omni distinctione, certatim Democratiam condemnarunt. Nos quoque de

---

(4) Plato De Legg. L. V. p. 737, 740, coll. 746, 771.

(5) In Nicom. X. 10 coll. De Rep. VII. 4. Vid. Cic. De Rep. II. 30.

(6) Aristot. De Rep. II. 8.

(7) Omni jure *genus vitiosissimum rei publicæ* dicta a Cic. De Rep. III. 52 sq. Hoc enim Polybio distincte ὀχλοκρατία vocatur atque vehementer improbatur (VI. vii. 57; coll. Xenoph. in Athen. politia passim).

ea non locuti essemus, nisi voluissemus adcurate exponere quantum discrimin issit inter justam Democratiam et Ochlocratiam, quam plurimi eodem nomine dixerant, talique modo rem populi sanctissimam omnibus vitiis inquinaverunt. Est itaque hæc reapse per abusum orta.

Quomodo orta sit, quomodo oriri debuerit ex Democratia, in præcedente paragrapho indigitavimus. Simulac nimirum justus ille, ingenuus et verus δῆμος, cujus tota existentia in exiguitate loci et parvo numero civium et simplicitate et quasi paupertate eorum et virtute illa vere populari inest, extra limites a natura definitos exit, ditior evadit, atque ii, qui antea bonorum possessione et jure sibi æquales fuerant, nunc temporum lapsu corruptisque moribus, rebusque alienis, quibus se immiscuerunt, avaritia singulorum, mortibus familiarum et auctibus reliquarum sibi ita dissimiles fiunt, ut etiam infima plebs, ὄχλος ille et peregrini ex eadem se cum pessimis civibus mensura æstimare possunt, seseque cum illis miscent, cumque iis iidem evadunt; tota quoque res interior et jura civitatis et leges et constitutio mutari debet; etiamsi *forma* ipsa constitutionis eadem manere, quæ antea fuit, videatur. Hæc causa erat, cur sapientissimæ leges *Solonis*, quoniam in illo fundamento æqualitatis et æquabilitatis, quæ non diu persistere potest, innitebatur; simulac gloria bellica et divitiæ Persicæ, ideoque inæqualitas rerum extera accedebat, exitum haberent nullum — eodem modo, quo contraria plane ratione respublica Spartanorum, quoniam totum ejus fundamentum paupertas et vitæ miseria erat, longum per tempus, licet non inconsussa (quassata nimirum *Pausaniae* aliorumque studiis) staret.

31.

Hoc tantum modo δῆμος et ὄχλος idem factus est, et *cives* et plebes et opulentissimi et pauperrimi, et fæx teterrima multitudinis et boni civitatis socii in unam concionem confluxerunt et reapse multitudo, quoniam in ea vis corporis inerat, uno verbo, plurimi plurimum valuere (8). Hoc modo Democratia non-ens et phantasma fiebat, quoniam in iisdem formis, quæ antea habitus et corpus quasi bonorum et paucorum fuere, nunc multitudo levis et devia, quam nullum studium æquabile, nullus patriæ amor, nullum commune bonum connexit, sese movit, tota animi perturbationibus maxime variis commota et indulgens; cui patriæ amor et communis utilitas ultimum negotium erat, quoniam quisque suis tantum rebus, cum dispendio salutis publicæ, studebat; quia « *procax libertas civitatem miscuit* (9); » quia ex libertate *licentia* facta est (1). Nemo enim nunc se indignum imperio existimat; dominari volunt omnes, obedire nemo (2); atque egregie CICERO : « Cum enim, ait (3), par habetur honos summis et infimis, qui sint in *omni* populo, necesse est ipsa æquitas iniquisima sit. » Voces illæ Gallicæ, alio solum idiomate, *Liberté! Egalité! Fraternité!* » jam antiquis nihil aliud significaverunt, quam ut pauperes se in locum ditiorum substituerent, ut di-

---

(8) CIC. l. l. III. 23. Sæpe etiam, qui vult bonum, tamen propter ignorantiam non videt populus. POLYB. VI. 44.

(9) Ut apud PHÆDRUM est Fab. I. 2.

(1) Exemplum apud PLATON. De Legg. III. p. 700.

(2) Vid. DIO CASS. LII. 4. XENOPH. Resp. Athen. I. 8.

(3) De Rep. I. 34 coll. ISOCRAT. in Nicocl. p. 36 ed. *Lang.*

riperent bona omnium et communi necessitate *fratres* facerent omnes (4).

Ubi hi reipublicæ fluctus tam turbidi sunt; non desunt, qui non nesciant «*e turbis capere commodum esse;*» qui igitur in turbido piscari amant. Quoniam vero hic rei exitus esse solet, de eo paucis disseremus.

§ XV.

DE DEMAGOGIA.

Piscatores illi politici *Demagogi* vocantur et hi pessimorum fructuum, pessimi ipsimet, tamen optimi sunt.

Audiamus autem de his et Ochlocratia disputantem *Darium* illum, qui egregie rem expressit (5). Sic enim censet : « Impe-

---

(4) Vide Cic. De Rep. I. 40. Polyb. apud *Suidam*. v. ἰσολογεῖ. Meminerint Belgæ hujus sententiæ : *Faciamus ex divitibus pauperes, et erunt fratres omnes !*

(5) Apud Herodotum III. 82 coll. Dionys. Hal. X. p. 657. Audiamus de hac re Batavum scriptorem (Vaderlandsche historie ten onmiddelyken vervolge van Wagenaars Vad. hist. Vol. XXV. p. 14): dat het bederf der gemeenebesten een heilloos uiteynde heeft, den overgang naamlyk van ongebondenheyd tot slaverny, en dat zy ten laatsten voor altoos vervallen in den rang dier te ondergebragte volken, weir bederf geen eindpaal meer heeft. Cfr. Wysgeerige en staatkundige geschiedenis der beide Indien, I deel. II stuk, bl. 314 sqq.

rante plebe fieri non potest, quin pravitas se insinuet : pravitate vero in republica gliscente, inimicitiæ quidem inter pravos non existunt; sed validæ amicitiæ: nam qui reipublicæ male faciunt, conspirantes id agunt : atque hoc ità succedit, *usque dum existat aliquis populi patronus, qui hisce finem imponat. Eo fit igitur, ut hunc talem miretur populus; et mox eidem, quem miratur populus, summa imperii defertur.* »

Quantuscunque enim sit furor multitudinis, exæquatur tamen levitate et inconstantia, quæ propria indoles est inculti popelli et rapacis; quam itaque significanter *auram popularem* dicunt. Huic plebeculæ pro pecunia et licentia omnia sunt venalia et dantur absque consilio plurimum offerenti et primo cuique, qui sese populi patronum ejus generis sistit, populo nimirum gratificans et aliena et sua (6). Ingeniosissimus quisque adulator (ut *Pericles*), eloquentissimus et pulcherrimus nequam (*Alcibiades*), ditissimus et loquacissimus (*Cleon*), liberalissimus (*Caesar*), calidissimus (*Augustus*) semper erit rector popelli. Rarissime tamen hac copia aliquis utitur propter commune bonum omnium, sed ad proprias cupiditates suas satiandas; unde unusquisque Demagogus tyrannidem usurpat, si potest; semper tamen est tyrannus clandestinus, cui nihil deest præter nomen. Insuper, quum ejusmodi populus non minus invidus sit atque potestati suæ timens,

---

(6) Ut ait Cic. De Rep. I. 44. coll. præs. circa res Gracchanas ejusd. De Off. II. 21. Tusc. Qu. III. 20. Tribuni plebis enim Romanorum, si optimos quosque exceperis, alii omnino non fuere, quam Demagogi pessimæ notæ (ut *Clodius* ille aliique non pauci).

quam levis et inconstans; summa quoque cura custodit Demagogos suos, quibus lubrica potestas e manibus aufugit prius quam de amittenda cogitant illi, sive eo ipso momento; quo eam firmissime et maxime stabilem esse opinantur. Ubi enim virtus nihil est, specie vero virtutis omnia continentur; ille, qui novam speciem commonstrare cum aliqua ostentatione artibusque illis notissimis potest, facillime se populo insinuat atque alterum de loco movet. Unde etiam in Demagogia nulla est constantia, nulla firmitas. Rara enim sunt Periclea ingenia et raræ ejusmodi tempestates exteræ, quibus usus ille rem suam auxit; raræ etiam pecuniæ publicæ, quibus furentem populum ille tam longum per tempus tenuit et quasi nasu duxit: rarum denique est, ut *totus* populus adeo sit corruptus, ut non pauci quidam ac meliores clausis oculis malint non videre, quæ ante oculos sunt omnium. Ipsi enim *C. J. Caesari*, clementissimo tyrannorum et demagogorum facile principi, percussores in *filiis* ipsismet extitisse comperimus.

Hæc itaque duplex est Democratiæ degeneratio. Neque vero minus ea in Aristocratiam, eam nimirum, quæ Oligarchia dicitur, degenerare potest; simulac, qui ante vel bonorum possessione sibi satis æquales fuere cives, nunc affluentibus divitiis nonnulli, ideoque pauci ad amplas quasdam divitias perveniunt, quarum auxilio primum magnam vim in rempublicam nanciscuntur, mox totam ex arbitrio regunt (7). Omnino Democratia

---

(7) Hæc ferme ratio erat Genuensis Democratiæ. Vid. DE LA CROIX constitution des principaux états de l'Europe: Discours XIX. T. II. p. 107,

vera existere non posse videtur, nisi in incunabulis gentium ubi cum simplicitate vitæ vel integritas morum sarta est (8). Certum autem est, Democratiam semel corruptam nullis amplius artibus refici posse (9).

---

coll. Montesquieu L. V. 3 sqq. Mably l. l. L. I. p. 55. De Romanis enim post Carthaginem et Corinthum deletas et Asiam captam, idemque de Atheniensibus post bella Persica, vix est, cur loquamur.

(8) Montesqu. De la Gr. et Decad. d. Rom. c. 8. Aristot. Pol. VI. 4. p. 523. C. 524. E, quo pertinere videntur vel tres ætates, quas unicuique civitati sistit Polyb. VI. 51. 57.

(9) Vid. A. R. Falck Der ontwekkeling van s'menschen zedelyken aanleg in de geschiedenis opgespoord; in het Magazyn voor de critiesche Wysbegeerte en de Geschiedenis van de zelve, uytgegeven door *P. Van Hemert* IV Deel, 3 Stuk, Bl. 279.

CAPUT TERTIUM.

DE ALIIS REBUS HUC PERTINENTIBUS.

§ XVI.

DE REPUBLICA LIBERA, SENSU OPTIMO.

Adhuc formas omnes cum modis et vicibus earum exposuimus; videbamus etiam, nullum populum cum gubernandi ratione sua fuisse contentum; omnino omnes illas civitates antiquas ne antiquis quidem philosophis, ne dicamus nostris, placuisse; atque eos eapropter hoc egisse, ut *optimum quoddam genus* conquirerent: neque tamen minus in hoc laudabili licet studio tam parum eos profecisse, ut recte inde concludi posse videatur, *putidum jam esse omnino, disceptare de Optima forma civitatis.* Quum vero hoc studium rerum meliorum tam vetus sit, quam ipse homo atque non etiam interiturum sit, quamdiu genus humanum perstiterit; altera ex parte non minus sequi videtur, esse aliquid in hoc studio veritatis, eodem modo,

quo *Virtus* ipsa veritatem habet (1) et *Ratio*, si adulta fuerit, *Sapientia* vocari meretur (2).

Hoc itaque studio incitati multi ac præclari viri de optimo reipublicæ statu scripsere : opera *Platonis* et *Ciceronis* « De Republica », *Thomae Mori* et *Herzbergii* non minus huc pertinent cum multis aliis. Atque hæc res tam valida est tantamque vim exercet in animos hominum, ut vel ipsi juvenes nihil habeant antiquius, quam ut de sua parte ad hunc statum perfectionis aliquid adferant. Neque vero hæc est juvenum provincia, ne philosophorum quidem; sed hominum politicorum, qui ipsi res publicas viderunt varias, atque administraverunt; qui hanc *artem* et addidicerunt et excoluerunt (3), *longoque usu* in prudentia civili quasi magistri facti sunt (4). Hanc enim ob causam *Pythagoras* (teste *Varrone* (5) regendæ reipublicæ disciplinam auditoribus *ultimam* tradebat, jam *doctis, perfectis, sapientibus, beatis*. — Eapropter *Plato* (6) hominem politicum

(1) Vide Cicer. De Rep. I. 26.

(2) Confer, quæ ex eodem supra attulimus, L. I. c. I. § 4.

(3) Vid. Aristot. De Rep. VIII 2; idem apud Themistium Orat. de præf. suscept. c. 6; Damasc. in vit. *Isidori* ap. Phot. Cod. CCXLII, p. 1071 et Suid. v. *μισοπράγμων* et Οὐλπιανός (ab A. Majo V. C. laud. ad Cic. Remp. I. 2.).

(4) Plato in Epinomid. Augustin. De Ord. II. 25. Cic. Rep. I. I.

(5) Ap. Augustinum I. I.

(6) In Polit. p. 258. 293 coll. Sexto Emp. Pyrrhon. II. 5, 16; contra Log. I. 281.

in numero sapientum collocandum esse putat. Hinc illa antiquorum sententia, *a sapientibus rem publicam esse gerendam* (7) et ab iis de ea scribendum, qui jam aliquo reipublicæ munere functi essent (8). Hinc verum est, quod de *Scipione* narrat *Pausanias* (9): illum, quoties *Polybio* audiens fuerit, toties rem bene gessisse; secus vero in iis offendisse, quæ dehortante illo fecerit.

Licet hæc recte se habeant; tamen neque philosophi illi, neque rerum periti ac sapientes dicere certo potuerunt, quænam esset, sine omni controversia, optima gubernii forma; hoc eo minus, quia simul iterum *gubernii* formam et *constitutionis* rationem confundebant. Igitur nobis quoque nondum præclusa est via, ut de ea re dicamus sententiam.

Hoc uno verbulo volumus. *Optima igitur est ea, quae optime congruit cum loco et tempore, cum moribus et consuetudinibus, cum cultu animorum i. e. cum popularitate populorum; pessima,*

---

(7) Vide Aristot. De Rep. VII. 2. Cic. Att. II. 16. De Rep. I. 5 sqq. coll. De Fin. IV. 2, 3. V. 4. Divin. II. 1. Acad. IV. 36. Off. I. 21; pro Planct. 25, Plato Rep. I, p. 347. VI. 487–489. Augustin. De Civ. D. XVIII. 41 coll. IV. 15. V. 19. Cassiodor. Var. II. 2. Plut. Cat. min. c. 20. Xenophon Mem. Socr. IV. 2.

(8) Cic. ad Fam. I. 9. VI. 6. IX. 2. Divin. II. 2. Or. III. 34; ad Brut. ep. 15. De Rep. I. 7. Legg. III. 6. 7. Aristot. Rep. II. 12. Augustin. Civ. D. XVIII. 25. Themist. l. l.

(9) Pausan. VIII. 30 coll. Am. Marcell. XXIV. 2.

quae his omnibus rebus adversatur. Inter utramque jam modi et vices sunt innumeri, tot nimirum, quod varii in terra populi, non modo sunt, sed quoque fuere. Quoniam vero genus humanum, et homo ipse singulus et populus quidam universus ne momentum quidem temporis is est, qui antea fuit; sed continuo mutatur in pejus sive in melius : etiam formæ illæ et præstantia formarum atque earum æstimatio omni momento varia evadit ita, ut quæ optima fuisse videbatur, mox melior, mox deterior, mox pessima esse possit, *etiamsi nihil omnino mutetur* — eodem modo, ac vestis, quæ hodie in morem inducitur, post annum obsoleta esse potest ita, ut eam honestus nemo amplius gestare velit (1).

Hinc consequens est, *in genere* et *a ratione philosopha formas imperii* OPTIMAS non esse, sed *formas tantum* BONAS : habita tamen ratione temporis et locorum, civitatum singularum et tempestatum rerumque i. e. *historice, optimas* formas existere posse. Sed exinde non minus efficitur, *optimam* sæpe nondum esse *bonam* posse. Nobiscum faciunt varii antiquorum temporum, iique laudati viri. Sic enim *Lactantius* (2) : « Cur, ait, per omnes

---

(1) Sapienter itaque *Romilius* (ap. DION. HALIC. Ant. R. X. p. 675) censuit, populo obtemperandum esse, quoniam illud tempus (s. præsens rerum status) id postularet. Contrarium exemplum in Anglis prostat sæculi XVI, qui, ubi independentiæ studiosi *liberam remp.* constituere amabant, post varios casus ad pristinum statum redibant, quoniam nondum ad illam libertatem adulti fuere. « Le peuple étonné, ait MONTESQUIVIUS, cherchait partout la democratie et la trouvait nulle part; enfin après des mouvemens, des chocs et des secousses il fallut se reposer dans le Gouvernement même, qu'on avait proscrit. » Galli quoque non aliam sortem habuere ipsi.

(2) Instit. VI. 9 coll. HIERONYMO in Jovin. II. 17.

populos *diversa* et *varia* jura sunt condita, nisi quod unaquæque gens id sibi sanxit, quod *putavit rebus suis* utile? » Igitur *mores gentium* sunt inspiciendi, et quid unicuique maxime conducat, id ei optimum esse credendum est (3): atque sapienter, ut solet, *Herodotus* ait: « Quod si quis enim hominibus omnibus optionem proponeret eligendi ex omnibus institutis ea quæ *optima* viderentur; quilibet eorum, re deliberata, domestica esset prælaturus: adeo quisque populus suas leges longe esse optimas judicat (4). » Hoc sensu alii Deos inclusos parietibus contineri nefas (5); alii homines immolare diis immortalibus gratissimum ducere (6); Cretes et Æoli latrocinari honestum putare rite potuerunt (7). Hac ratione bene egit *Lycurgus*, quod

---

(3) De his rebus vid. Cic. Rep. III. 6 coll. Sexto III. 24 et contr. Ethic. 190. Hieronym. l. l. II. 7. (laudd. ab Ang. Majo ad Cic. l. l.).

(4) Histor. III. 38. Cappadoces quoque sibi persuasum habuere, nullam sub sole sine rege aliquo gentem vivere posse; quod responsum Romanis quoque dederunt, qui eos regum jugo liberare et proprii juris facere voluerunt. Vid. Diss. pol. de statu et formis rerumpubl. J. Th. Zuingeri § 29; unde bene se habet illud Aristotelis: « *Homines in servitute natos ad servitutem nasci.* »

(5) Confer (quos laudat A. Majus ille V. C. ad Cic. Rep. III. 6) Cic. De Legg. II. 10. Arnob. L. VI. Lactant. Inst. II. Cyprian. De Idol. vanit. Varron. et Senec. ap. Augustin. Civ. D. IV. 9, 31. VI. 10. Macrob. Somn. I. 2. Tacit. G. c. 9. Hist. V. 5. Plut. Num. c. 8.

(6) Ang. Majus ad l. l. Festum laudat v. *Puelli*; Platon. Min. p. 315. Dionys. Hal. I, 38. Strabo IV. p. 303. Diod. V. 31, 32. *Clitarch.* ap. Suid. v. σαρδώνιος γέλως, Lact. l. l. I. 21. Augustin. l. l. VII. 19. Oros. IV, 6, 21. Serv. ad Æn. III. 57. Minuc. c. 30.

(7) Idem ad l. l. Polyb. XVII. 4. IV. 3. VI. 46. Homer. Od. III. 73. XIV. 230.

Lacedæmoniis mare interdixerat (8), et recte *Isocrates* (9) eos maris imperio ita esse corruptos docet, ut ob id terræ quoque imperium amiserint. Athenienses contra, totos in mare projectos, mari tantum stare posse jure putavit *Themistocles* (1). Omnino hoc solum sensu *Lycurgi* et *Solonis* leges optimæ dici possunt; non quia omnium optimæ fuere reapse, sed quia ille ex ferro Spartano non aurum facere potuit; hujus vero leges tamdiu salutares esse debuerunt, quamdiu res interior non mutabatur et illa Censûs institutio integra mansit. Ex eadem sententia *Moses* populo suo mare interdixerat et commercia maritima et omnem cum aliis populis communionem; eum arctissimis terræ finibus incluserat atque operosissimis superstitionibus oneraverat, ut quia populum nondum habuit, ex nomadibus suis aliquem efficeret. Sic laudes summas meruit, quibus eum antiqui cumulaverunt (2); quamquam vel ejus legibus minus, quam aliorum omnium, ex sensu latoris legum obtemperatum sit. Nemo certe ex ejus legibus hodie civitatem instituere voluerit, et tamen illæ *optimae* fuere, non pro illo populo, cui eas dedit, sed pro illo, quem constituere per leges suas ex Israëlitis voluit. Licet etiam hoc minime assecutus sit; tamen nulla alia constitutio tamdiu efficaciam suam manifestavit, quam Mosaica. Eodem plane modo de imperio omnium pessimo, quo unquam Galli recentiores excruciati sunt, Directorio nempe Quinquevi-

(8) Plut. Inst. Lacon. T. VI. p. 890.

(9) In Orat. soc. c. 33.

(1) Corn. Nepos vit. Themist. c. 2. sq. coll. Cic. De Rep. II. 4, ad Att. VI. 2.

(2) E. g. Longinus περὶ ὕψ. Sect. IX. p. 34.

rorum, dici potest, id fuisse *optimum, illo tempore* (ubi omnia sus deque versa fuerant), in illo populo (qui viginti novem hominum millionibus constabat), illis rerum vicissitudinibus (ubi respublica Gallica, undique cincta hostibus, exhaustis omnibus viribus intrinsecus, innumerisque partibus civilibus distracta et dilacerata, ruinæ erat proxima); quod tamen ne bonum, ne tolerabile quidem, vocari rite potuit (3).

Quæ cum ita sint, melius nos terminare hanc disquisitionem non posse videmur, quam effato illo *Lycurgi* ad garrulum quendam insipientem, qui ut *Democratiam* faceret Spartam, suadebat et cui « Tu vero prior, inquit, Democratiam domi tuæ esse jubeto (4). »

His peractis perveniebamus ad rempublicam nostram, sensu optimo dictam (5). Hanc vero, ex nostra ipsorum sententia non *omnino* optimam sistere poterimus; sed solum a *ratione temporis*, quo vivimus, ideoque *historice*. Est vero illud tempus *quartum*, seu Regnum Germanicum, de quo supra diximus (6), cujus natura est *justitia*, sive idea juris, ut alii dicere amant.

---

(3) Eandem sententiam *Mæcenas* tuitus est contra *Agrippam* (ap. DIONEM. L. LI. ab init.) cui adde TACITUM, qui « præsentia sequi, ait, debere nos, bonos imperatores voto expetere, qualescunque tolerare » coll. SIDNEYO De Gub. Sect. XVI. c. 2. MONTESQUIVIUS E. des L. XI. 5.

(4) Vid. PLUTARCH. Apoph. Reg. p. 717. Inst. Lacon. p. 851 coll. vit. Lycurgi c. 19.

(5) Cum hac vero re conferenda sunt omnino, quæ supra a nobis disputata sunt de *monarchia æquis legibus constituta*, in hujus Libri c. I. § 8.

(6) Supra L. II. c. II. § 17.

In hac quæstione sermo non amplius esse potest de *imperantium numero*. Utrum a monarcha geratur res publica, an ab optimatibus, an a populo universo, plane non interest. Interest autem quammaxime, utrum justitia i. e. ex legibus geratur, nec ne. Necesse est, ut in hac republica omnes liberi sint eatenus, quatenus cum libertate singulorum stare libertas omnium possit, ut omnes et *communibus commodis utantur et suis* (7). Homo enim non adest propter imperantes; neque eapropter adest, ut sit *civis* (8); sed civis est, ut eo certius ad *humanitatem* coli possit (9).

Ut vero hoc fieri queat, necesse est, homo non solum ad certum cultum pervenerit; sed etiam ad certitudinem et cognitionem sui, qua id velit, quod non sibi solum, sed omnibus conducat, et libenter parti cuidam libertatis suæ valedicat, ut libertas universorum sarta sit. Hoc loco redit in memoriam memorabile illud *Xenocratis* (quem severissimum philosophum et gravissimum vocat *Cicero* (1) effatum, qui interrogatus, quid præstare posset discipulis, respondit; *ut id voluntate fa-*

---

(7) Ut recte ait Cic. De Rep. V. 4. Aristot. Rep. II. 5.

(8) Ut perperam Plato voluit; quem arguit eapropter Aristot. l. l. qui, commoda, ait, partim *communia* esse debere, partim *privata*, secus nullam propemodum esse civitatem; sicuti nullus concentus erit, si quis symphoniam eo redigat, ut sit unius vocis sonus; aut sermonem numerosum, ut sit pes unus.

(9) Sic in oriente omnis in principe; apud Græcos civis in homine, apud Romanos homo in cive interit.

(1) De Off. I. 3. Tusc. V, 18.

ciant, quod alii jure coguntur (2). Igitur citra bonos et integros mores, citra studium commodi universorum, amorem patriæ et civium pietatem mutuam hæc respublica ne oriri quidem potest. Verissimum enim est illud *Augustini* (3): Quibus satis persuasum esset, ut nihil mallent se esse, quam viros bonos, his reliquam facilem esse doctrinam.

Hinc consequens est, in MORIBUS inniti totam hanc rempublicam (4) sive in Ratione illa summa, quam *Cicero* laudat, sive in sensu ethico, qui *necessitatem obediendi* in *libertate* illa absoluta perspectam habet, ex quo *leges*, quasi normæ et regulæ singularum actionum promanant, quæ vel illos vicissim ad mores ducere debent, a quibus illa necessitas non plane inintelligitur: qua simul re vel necessitas legum comprobata est. Perfecta itaque unio partium cum toto, et absoluta civium cum civitate i. e. imperantium et subditorum concordia imprimis quæritur. « Ut enim in fidibus aut tibiis, atque ut in cantu ipso ac vocibus concentus est quidam tenendus ex distinctis sonis, quem immutatum aut discrepantem aures eruditæ ferre non possunt; isque concentus ex dissimillimarum vocum moderatione concors tamen efficitur et congruens; sic ex summis et infimis et mediis et interjectis ordinibus, ut sonis, moderata ratione civitas consensu dissimillimorum concinit : et quæ harmonia a musicis dicitur in cantu, ea est in civitate concor-

---

(2) SERV. ad Æn. VII. 204, coll. LACTANT. Inst. VI. 9. CIC. Rep. I. 2.

(3) Ep. CCXXXIII. coll. CIC. De Rep. I. 10. et PORPHYR. ep. ad. Marcell.

(4). Vid. POLYB. VI. 47, qui hoc idem dicit.

dia, arctissimum atque optimum in omni re publica vinculum incolumitatis; eaque sine justitia nullo pacto esse potest » (5).

Hanc vero concordiam nemo deprehenderit, neque in oriente, nec apud Græcos sive Romanos. Ideoque recurrendum est ad quartam ætatem, Germanicam nimirum. Nam Germanico elemento ea harmonia innata et quasi ingenerata est ita, ut, etiamsi vellet, ne posset quidem abjicere. Tota historia hujus populi, qualis ab inde *Caesare* et *Tacito* ad nos pervenit ad nostrum usque tempus, hoc unum testatur: ipsa quoque Germanorum constitutio verissima hujus rei testis est : unde vix aliquis in Germanicis nationibus insurrectiones et conversiones politicas, apud alias frequentissimas, deprehenderit; potius eas de languore accusatas, sed ex justitiæ sensu, audierit.

Unitas igitur partium cum toto unicum consilium est civitatis, non extrinsecus datum, sed ex ipsa essentia civitatis *necessario* promanans. Inde oriuntur tria illa elementa, quæ in omni civitate bene constituta insunt: primum *potestas constituendi et ordinandi id, quod omnibus conducat;* quæ vocatur *legislativa :* deinde *potestas, cui jus est subsumtionis rerum singularum sub legibus illis universalibus;* quæ vocatur

(5) Quæ est laudatissima Cic. sententia, De Rep. II. 41. Montesquivius quoque (de la Grandeur et Décadence des Romains ch. X) idem autumat his verbis : « Ce que l'on appelle union, dans un corps politique, est une chose fort équivoque. La vraie est une union d'harmonie qui fait que toutes les parties, quelque opposées qu'elles nous paraissent, concourent au bien général, comme des dissonances dans la musique, qui concourent à l'accord total. »

gubernium : denique *potestas subjectiva ultimi arbitrii, quo potestates diversae ad illam unitatem individualem civitatis comprehenduntur ;* quæ vocatur *potestas principis* (6). Sunt itaque hæc momenta *tria* rei *unius,* notæ *tres* conceptionis *ejusdem. Imperans* seu *imperantes* unum momentum efficiunt, unam personam, *elementum monarchicum, etiam in polyarchiis ; potestas gubernii* alteram personam exhibet pluralitatis, *polyarchiam, etiam in monarchia; potestas legum ferendarum* personam tertiam sistit *multitudinis, democratiae,* etiam *in mo archia et imperio optimatium.*

Hoc modo *variae* civitatum formæ esse possunt, et tamen quævis pro *suis* rebus *optima* i. e. bona; non minus formæ omnes propriam *vitam suam* tuentur, et *mutari* possunt et *emendari,* quin mutari videantur; quoniam mutatio illa in ipsa civitate inest et conditio est civitatis et vitæ : hoc modo libertas et necessitas, obedientia et voluntas a se separari sibique hostiles esse non amplius possunt : hoc denique modo potestas legislativa, judiciaria et executiva (quas vocant) a se esse invicem liberæ possunt, et tamen summa necessitudine inter se conjungi debent. Adest constans et firmum in *lege illa summa* (fundamentali); mutabile illud et quasi fluens in *gubernio ;* æquabile et moderans utriusque in *imperante.*

Quis vero leges ferat? superflua quæstio est. Leges fert *populus* i. e. princeps *cum* civibus : utrum populus *universus,* an ex populo *delegati* (representans), an denique certi populi *Ordines,* parum interest.

(6) Vide HEGELIUM V. C. l. l. § 273.

Hoc tamen certum est, *Magistratus* esse debere : quomodo appellentur, non interest : certum non minus, esse debere magistratuum *rectorem* seu *magistratum summum;* sive Rex, seu Imperator, seu Consul, seu Suffes ille vocetur. Consequens vero est, vel regem non esse, nisi primum magistratum (5). Hic vero honor, hæc majestas eo major est, quo major est libertas civitatis i. e. civium *et* principis; quæ libertas popularis minime augetur impotentia regis, sed hac ipsâ jacturam dignitatis suæ facit (6).

Ut denique huic rei finem imponamus, monendum est: magistratum illum summum, qualicunque nomine nuncupatum, *quoniam civitatis consilium est Unitas et Concordia partium cum toto,* eo ipso *Monarcham,* illo sensu, illa indole Germanicæ ætatis esse : quam monarchiam hodie *constitutivam* vacamus; qua ipsa sententia toto circulo confecto reversi sumus eo, unde fuimus egressi.

---

(7) Hoc sensu PLATONI (Rep. L. IV et V) civitatis moderator vocatur φύλαξ, CICERONI quoque (De Rep. I. 41) *custos* dicitur, atque (pro Planc. c. 23, coll. de Rep. V. 3.) *rei publicæ villicus.* PLATO iterum eum cum *patre familias* comparat (in Politic. p. 259).

(8) Quam vero male hanc dignitatem, qua nihil esse divinius in terra potest, quia *liber* ipse *liberos* homines ad felicitatem vitæ ducere conatur, Galli post primam conversionem intellexerint, ex illa quæstione unius eorum ad regem facta, pernosci potest : Qui êtes-vous, sire ? vous *n'êtes-que* le premier magistrat de la république! Quam rem si quis penitus dispicere cupit, iterum iterumque legat HEGELIUM V. Cl. l. l. § 275 — 287, ubi de principis potestate magna, multiplici et necessaria (i. e. ex necessitate ipsius civitatis ducta) sapientissime agitur.

§ XVII.

DE POLITICO CIVITATUM NEXU.

Quemadmodum in *civitate* Cives, unitate legum, quarúm vitam et spiritum absolutamque voluntatem Princeps exprimit, ad concordiam Toti unius conjunguntur: ita in *Systemate Politico* Civitates, Lege summa, cujus vitam et spiritum Historia manifestat, ad harmoniam generis humani copulantur. Sicuti homo *ex totalitate familiae* emancipatus *ad individualitatem personae* emergere debet, ut *ad libertatis conscientiam* pervenire possit: sic, omnibus hominibus individuis, quibus est necessitudo originis, sermonis, morum, religionis, in *varias* respublicas accitis, hoc solum modo *ad individualitatem populorum* emergunt civitates; ut *ad conscientiam independentiae mutuae* perveniant: quæ, ut libertas singulorum felicitatem hominum efficit, ita felicitatem existentiæ populorum constituit. Igitur sine civitatibus variis non systema politicum i. e. libera agnitio mutuæ independentiæ et securitatis, absque omni respectu possessionum et potentiæ, sed ex solo sensu juris absoluti, oritur: ideoque civitates sunt vaginæ juris illius absoluti, quemadmodum sunt conditio omnis cultus humani. Ut vero populi ipsi necessitatem hanc civitatum non solum sentiant, sed naturam quoque earum penitus dispiciant; opus est longo usu, altiori animi cultu et exercitatione continuâ per sæculorum spatia comparatâ.

Inde consequens est, antiquum mundum ejusmodi nexum civitatum non vidisse, atque eum proprium ingenium historiæ recentioris sistere, quæ eapropter per excellentiam vocatur

politica atque summum cultus humani fastigium exhibet, in Regno Germanico expressum (9).

Cum vero hanc sententiam absque omni restrictione ut verissimam pronunciamus, neutiquam veremur objectionem eorum, qui ejusmodi systemata civitatum extitisse apud plurimas nationes vetustas asserunt: in fœdere Amphictyonum, Etruscorum, Latino, Achaico, Ætolico aliisque. Illa enim fœdera origine et natura sua toto cœlo a nostro systemate politico differunt eo, quod inter *solas* gentes *unius originis* et eo consilio inita fuerant, ut sese contra alias gentes, quas eadem necessitas defensionis eodem modo conflavit, tuerentur: quibus itaque non id consilii erat, ut ex idea juris cujusdam absoluti starent incolumes *omnes;* sed ut ipsæ solæ tutæ essent a dominatione reliquarum. Inde factum est, ut illa fœdera non ad necessitudinem *diversorum populorum* ducerent; sed, si Diis placuit, ad communionem omnium stemmatum *adfinium*, auxilio *civitatis*, constituendam.

Quae cum ita sint, *videmus*: Systemate Politico Genus humanum, quod se in Regno orientali, Græco et Romano ex totalitate MATERIÆ in libertatem et certitudinem vindicaverat personæ et civis; nunc circulo confecto ad totalitatem SPIRITUS, ad quam ratione destinatum est, rediisse.

EPIMETRON.

Hæc sunt, quæ pro brevitate temporis dare ipse potui. Su-

(9) Vide Lib. II. c. II. § 13-18.

persunt, fateor, multa, quæ addi debuerunt; non etiam est, cur de fontium penuria atque subsidiorum querar; potius eorum multitudo et quasi nubes non auxilio, sed impedimento fuit. Omnia, quæ a doctissimis viris egregie perscripta prostant (de reliquis enim non loquimur) legere nequibam; quippe quæ tam multa sunt, ut vix ab homine uno (brevior enim hæc vita videtur) evolvi possint. Sed hoc ipsum molestissimum atque ingratissimum negotium est, ut e tam multis scriptis, bonis malis, ea seligamus cum judicio, quæ digniora sunt, ut præ ceteris legantur; ac ingenue profiteor, plurimum me tempus perdidisse in eligendis politicorum scriptorum operibus. Multa eorum tractavimus cum ipso temporis dispendio; alia multa, quæ sententias sive antiquorum, sive recentiorum philosophorum sine proprio judicio descriptas repetierunt; multa quorum auctores tam male in hac re versabantur, ut ea quæ bene ab aliis excogitata fuere, proprio Marte, ut vel ipsi aliquid de sua parte adderent, misere confunderent et corrumperent : non pauciora denique, quæ quum a laudatis viris exarata essent, famam bonam præ se ferebant, quin tamen bonæ frugis quidquam in iis deprehenderetur; in quorum numero ipsius *J. Lipsii* « De Prudentia civili » commentatio est. Ad hæc mala accedebat aliud, gravius et molestius; id nimirum, ut sententiæ de eadem re, de qua vix dissensio existere posse videbatur, variorum auctorum tam sibi oppositæ essent, ut multum temporis in ipsis his controversiis decidendis absque omni utilitate a me consumeretur; id eo magis, quia hæ dissensiones non solum ex scriptorum ingenio, sed simul ex temporum ratione promanaverunt.

In horum tamen omnium malorum compensationem, et

(ut ita dicam) ad damna hæc ab illis mihi illata resarcienda, contigit usus operis celebratissimi atque ab omnibus bonarum artium amicis ardentissime diu nimis desiderati, *M. T. Ciceronis* « De Republica » ab *Angelo Majo*, viro omnibus nominibus claro editi; quod non solum ipsum nobis prægnantissimas ideas de re publica antiquorum philosophorum impertivit atque opera Divi *Platonis* et *Aristotelis* de eadem re scripta collustravit; sed alteram mihi eamque maximam utilitatem suppeditavit notis doctissimis et commentario luculento, a clarissimo illo editore concinnatis; in quibus loci auctorum classicorum plurimorum, eorum præsertim, quorum notitiam nondum propria lectione mihi comparare potui, ad usum meum, jam parati prostabant. Quum itaque ab Ordine Philosophorum et Literatorum hujus operis usus concederetur, optime mihi consultum esse duxi. Hac vero opportunitate liceat mihi gratum animum testificari Magistris meis sapientissimis pro innumeris beneficiis, quibus me viri illi clarissimi, quamdiu in hac Academia commorabar, benevolentissime cumularunt, suasque mihi bibliothecas atque ipsas adversariorum ab ipis in proprium usum conscriptorum schedas aperuerunt, quibus quasi meis uterer. Ille enim studiosus juvenis jure beatum se prædicare poterit, cui tam docti æque ac benevoli magistri contigerint. Utinam eos Deus O. M. quamdiutissime pro patriæ et literarum salute servet incolumes!

XII.

PETRI WAFELAER

RESPONSUM

AD

QUAESTIONEM MATHEMATICAM.

PETRI WAFELAER,

MACHLINIENSIS,

PHILOSOPHIÆ AC LIT. HUM. CANDIDATI ET IN ACADEMIA LOVANIENSI JURIS STUDIOSI,

RESPONSUM

AD QUÆSTIONEM AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICARUM ET PHYSICARUM PROPOSITAM :

Postulatur Methodus, qua, absque Calculo Differentiali et Integrali, determinari possit superficies, seclusâ basi, tam coni scaleni, cujus basis est circulus, quam coni ellipsin pro basi habentis, cujus vertex alterutri ellipseos axi perpendiculariter immineat. . . . .

QUOD PRÆMIO ORNATUM EST.

Ut desint vires, tamen est laudanda voluntas.

DE SUPERFICIE

(SECLUSA BASI)

CONI SCALENI.

SECTIO PRIOR.

DE SUPERFICIE, SECLUSA BASI, CONI SCALENI, CUJUS BASIS EST CIRCULUS.

§ I.

DESIGNETUR basis radius per R; per γ longitudo lineæ perpendicularis S D, de vertice coni scaleni ad basin demissæ; per δ deinceps distantia O D pedis perpendicularis S D a basis centro O. Nemo non videt, prout δ est seu $> R$, seu $= R$, seu $< R$, pedem perpendicularis, de vertice coni scaleni demissæ, procidere vel extra basis ambitum, vel in ipsam basis circumductam, vel etiam extra basis circuitum. Si denique intervallum $\delta = 0$ factum fuerit; conus erit rectus: qui vero in disquisitionem cadere nequit, quæ potius sibi subjectum habet, superficiem coni scaleni ad basin circularem, datis quantitatibus R, γ, δ investigare. Fig. 1.

§. II.

Quocirca jungamus puncta O et D rectâ lineâ OD, eamque utrimque ad puncta A et A′ usque continuemus, ita ut AA′ sit diameter circuli, basin coni scaleni nostri constituentis. Tunc, semiambitu basis in æquales partes AB, BC, CE.... E′C′, C′B′, B′A′ diviso, atque de vertice coni in divisionum puncta A, B, C, E.... E′, C′, B′, A′ lineis rectis SA, SB, SC, SE.... SE′, SC′, SB′, SA′ ductis, obtinemus totidem portiones triangulares ASB, BSC, CSE .... E′SC′, C′SB′, B′SA′, quarum bases sunt arcus circuli æquales, et quarum superficierum summa æqualis est superficiei dimidii coni scaleni. Quævis autem portio parum a triangulo aberrat, cujus basis est longitudo arcûs AB, vel BC, ... nisi illi arcus sint nimis magni. Investiganda igitur est altitudo singulorum triangulorum, quorum bases sunt arcuum AB, BC, CE, ... longitudines, ut eorum areæ cum portionibus triangularibus superficiei conicæ comparari queant. Superficies horum triangulorum citra errorem valde exiguum superficiei dimidiæ conicæ erit æqualis.

§. III.

Designantibus π semiambitum; n partium circumductæ æqualium copiam; erit $\frac{\pi}{n}$ valor unius harum basium æqualium. Sed exipsâ coni scaleni naturâ diversa triangula illa inæqualibus gaudent altitudinibus. E quo perspicitur, quamlibet istarum altitudinum peculiariter esse computandam.

§. IV.

Fig. 2. Ad inveniendam trianguli ASB altitudinem, ducamus radium

OG in medium arcum AB, et per punctum G tangentem FF': hisce constructis, per punctum D ducatur recta DD' parallela ad radium OG, in contactûs punctum G tangentis FG actum, quæ ipsi tangenti perpendiculariter insistit. Quo facto habetur,

$$DD' = DO' + O'D' = DO' + OG = DO' + R.$$

Sed in triangulo rectangulo DO'O, est $DO' = DO \cos. O'DO = \delta \cos. AOG = \delta \cos. \frac{1}{2} AOB = \delta \cos. \frac{1}{2} \frac{180°}{n} = \delta \cos. \frac{90°}{n}$; itaque substituendo hunc valorem pro DO' in præcedente æquatione, prodit :

$$DD' = R + \delta \cos. \frac{90°}{n}.$$

Notum autem est, rectam, quæ ad projectionem cujusvis styli est sub angulo recto, ipsi stylo esse perpendicularem: inde consequens est, rectam FD', quæ ex constructione ad DD' est perpendicularis, ipsam ad stylum obliquum SD' esse sub angulo recto. Neque obscurum est, quo major est semiperipheriæ partium æqualium copia, eo propius perpendiculi SD' finem D' accedere circuli circumductæ, eoque minorem esse differentiam inter hoc perpendiculum et coni superficiem generatricem. Nemo esse videtur, qui non intelligat, quod de hoc perpendiculo valet, de reliquis omnibus valere. Quibus præmonitis, ex triangulo SDD', ad D' rectangulo (Fig. 1), colligitur :

$$SD' = \sqrt{(\gamma^2 + \overline{DD'}^2)};$$

et substituendo pro DD' ejus valorem obtinebimus pro altitudine trianguli ASB,

$$SD' = \sqrt{\left(\gamma^2 + (R + \delta \cos. \frac{90°}{n})^2\right)}$$

simili ratiocinandi ratione altitudo trianguli BSC obtinetur, quæ exhibetur hoc valore :

$$\sqrt{\left(\gamma^2 + (R + \delta \cos. \frac{270^\circ}{n})^2\right)};$$

et pro altitudine trianguli CSE,

$$\sqrt{\left(\gamma^2 + (R + \delta \cos. \frac{450^\circ}{n})^2\right)}$$

et ponendo $\frac{90^\circ}{n} = \alpha$, obtinebimus pro superficie tota triangulorum, quorum bases sunt longitudines arcuum AB, BC, ...

$$\frac{\pi}{2n}\left[\sqrt{\left(\gamma^2 + (R + \delta \cos. \alpha)^2\right)} + \sqrt{\left(\gamma^2 + (R + \delta \cos. 3\alpha)^2\right)} + \sqrt{\left(\gamma^2 + (R + \delta \cos. 5\alpha)^2\right)}\right].$$

§ V.

Fig. 3. Si nunc alterâ ex parte de centro O duxerimus radium OG′ ad medium arcum A′B′, atque per punctum G′ tangentem FF′, tunc, de puncto D perpendicularibus DD′ in FF′ et DO′ in OG′ demissis, enascitur :

$$DD' = OG' - OO' = R - OO'.$$

Ast in triangulo rectangulo OO′D est $OO' = OD \cos. O'OD = \delta \cos. \frac{1}{2} A'OB' = \delta \cos. \frac{90^\circ}{n} = \delta \cos. \alpha$; ergo etiam $DD' = R - \delta \cos. \alpha$.

junctis denique S et D', pro altitudine trianguli A'SB' habebimus:

$$SD' = \sqrt{\left(\gamma^2 + (R - \delta \cos. \alpha)^2\right)}.$$

Haud difficile est intellectu, similibus constructionibus pro altitudine trianguli B'SC' obtineri valorem

$$\sqrt{\left(\gamma^2 + (R - \delta \cos. 3\alpha)^2\right)},$$

æque ac pro altitudine trianguli C'SE':

$$\sqrt{\left(\gamma^2 + (R - \delta \cos. 5\alpha)^2\right)}.$$

Ex quo plane est perspicuum, pro superficie dimidii coni scaleni acquiri valorem:

$$\frac{\pi}{2n}\Big[\sqrt{\left(\gamma^2 + (R+\delta \cos. \alpha)^2\right)} + \sqrt{\left(\gamma^2 + (R+\delta \cos. 3\alpha)^2\right)}$$
$$+ \sqrt{\left(\gamma^2 + (R+\delta \cos. 5\alpha)^2\right)} + \cdots + \sqrt{\left(\gamma^2 + (R-\delta \cos. 5\alpha)^2\right)}$$
$$+ \sqrt{\left(\gamma^2 + (R-\delta \cos. 3\alpha)^2\right)} + \sqrt{\left(\gamma^2 + (R-\delta \cos. \alpha)^2\right)}\Big].$$

§. VI.

Fieri tamen potest, ut semiperipheria in partes æquales impares dividatur, ita ut tangens ducta ad medium arcum, qui basin trianguli intermedii CSC' constituit, fiat parallela diametro AA', per punctum D transeunti. Quæ res faciet, ut sit $DD' = R$, et $SD' = \sqrt{(\gamma^2 + R^2)}$, indeque pro area hujus trianguli CSC' eliciatur: Fig. 4.

$$\frac{\pi}{2n}\sqrt{\left(\gamma^2+R^2\right)}.$$

Cum nil sit, cur hæc conditio excludatur, obtinebimus, ratione ejus habita, pro valore dimidii coni scaleni hanc expressionem quam maxime generalem :

$$\frac{\pi}{2n}\Big[\sqrt{\left(\gamma^2+(R+\delta\cos.\alpha)^2\right)}+\sqrt{\left(\gamma^2+(R+\delta\cos.3\alpha)^2\right)}$$
$$+\sqrt{\left(\gamma^2+(R+\delta\cos.5\alpha)^2\right)}+\cdots\cdots+\sqrt{\left(\gamma^2+R^2\right)}\cdots$$
$$+\sqrt{\left(\gamma^2+(R-\delta\cos.5\alpha)^2\right)}+\sqrt{\left(\gamma^2+(R-\delta\cos.3\alpha)^2\right)}$$
$$+\sqrt{\left(\gamma^2+(R-\delta\cos.\alpha)^2\right)}\Big].$$

Quæ cum ita sint, expressionem generalem superficiei totius coni scaleni acquirimus, duplicanda solummodo expressione generali superficiei dimidii coni scaleni; sed cum dubitare quis possit, an superficies alterius coni scaleni partis sit revera æqualis parti superficiei coni scaleni supra inventæ, hujus rei demonstrationem adponemus.

Fig. 5. Si in altero basis semicircuitu tot divisiones æquales adplicemus, quot in priori basis semiperipheria locum habent, erit arc. AB=arc. AB′, atque recte dicimus altitudinem trianguli ASB æqualem esse altitudini trianguli ASB′. Etenim si ad medios arcus AB et AB′ duxerimus tangentes CR et C′R, atque de centro circuli subjecerimus rectas OC et OC′ ad CR et C′R perpendiculares, quarum extremitates cum contactuum punctis confluunt, habebimus: $\triangle$ OCR $=\triangle$ OC′R; est enim

ang. OCR = ang. OC′R; latus OC = OC′ = R, et latus OR utrique triangulo commune est; itaque ang. ORC = ang. ORC′. Si nunc de puncto D rectæ DE et DE′ perpendiculares ad tangentes RC et RC′ continuatas demittuntur, est $\triangle$ DER = $\triangle$ DE′R. Constat enim ang. ORC = ang. ORC′, ang. DER = ang. DE′R = 90°, et latus DR esse utrique triangulo commune; unde colligitur esse DE = DE′.

Eodem prorsus modo reperitur esse $\triangle$ SDE = $\triangle$ SDE′, quoniam ang. SDE = ang. SDE′ = 90, latus DE = DE′, latusque SD est utrique triangulo commune. Qua ex æqualitate triangulorum invenitur latus SE = SE′. Sed SE est altitudo trianguli ASB′, et cum præterea bases sint æquales, sequitur : superficiem trianguli ASB æqualem esse superficiei trianguli ASB′.

Eadem est omnino demonstratio pro superficiebus triangulorum, quæ in utraque coni scaleni parte punctis divisionum similiter electis respondent. Dicta itaque per X superficie coni scaleni, seclusa basi circulari, habebimus :

$$X = \frac{\pi}{n}\Big[\sqrt{\left(\gamma^2 + (R + \delta \cos. \alpha)^2\right)} + \sqrt{\left(\gamma^2 + (R + \delta \cos. 3\alpha)^2\right)} + \sqrt{\left(\gamma^2 + (R + \delta \cos. 5\alpha)^2\right)} + \ldots + \sqrt{(\gamma^2 + R^2)} + \ldots + \sqrt{\left(\gamma^2 + (R - \delta \cos. 5\alpha)^2\right)} + \sqrt{\left(\gamma^2 + (R - \delta \cos. 3\alpha)^2\right)} + \sqrt{\left(\gamma^2 + (R - \delta \cos. \alpha)^2\right)} \Big] \ldots\ldots\ldots (N)$$

Atque hic valor ad verum superficiei coni scaleni valorem eo magis accedet, quo angulus α fuerit minor.

2.

§ VIII.

Jam nunc valorem illum generalem ad casum quemdam peculiarem adplicemus. Sit ergo $R = 1$, $\gamma = 2$, $\delta = 3$ et $n = 5$, hincque $\alpha = \frac{90^\circ}{5} = 18^\circ$, et $\frac{\pi}{n} = 0,628$. Substituendo valores illos in expressione generali superficiei coni scaleni, habebimus :

$$X = 0,628\left[\sqrt{\left(4+(1+3\cos.18^\circ)^2\right)} + \sqrt{\left(4+(1+3\cos.54^\circ)^2\right)} + \sqrt{(4+1)} + \sqrt{\left(4+(1-3\cos.54^\circ)^2\right)} + \sqrt{\left(4+(1-3\cos.18^\circ)^2\right)}\right]$$

Sed $3\cos.18^\circ = 2,85$, et $3\cos.54^\circ = 1,76$;

substitutione facta enascitur :

$$X = 0,628\left[\sqrt{\left(4+(3,85)^2\right)} + \sqrt{\left(4+(2,76)^2\right)} + \sqrt{5} + \sqrt{\left(4+(-1,85)^2\right)} + \sqrt{\left(4+(-0,76)^2\right)}\right]$$

$$= 0,628\left[\sqrt{(4+14,82)} + \sqrt{(4+7,62)} + \sqrt{5} + \sqrt{(4+3,42)} + \sqrt{(4+0,57)}\right]$$

$$= 0,628\left[\sqrt{(18,82)} + \sqrt{(11,62+)}\sqrt{5} + \sqrt{(7,42)} + \sqrt{(4,57)}\right]$$

$$= 0,628\left[4,33 + 3,41 + 2,23 + 2,72 + 2,13\right]$$

$$= 0,628 \times 14,82 = 9,32.$$

Ut propius etiam ad verum superficiei coni valorem accedamus, sit $R=1$, $\gamma=2$, $\delta=3$, atque $n=10$. Inde obtinetur $\alpha=\frac{90^\circ}{10}=9^\circ$ et $\frac{\pi}{n}=0{,}314$. Quibus in formula (N) substitutis, acquiritur :

$$X=0,314\Big[\surd\big(4+(1+3\cos.9^\circ)^2\big)+\surd\big(4+(1+3\cos.27^\circ)^2\big)$$
$$+\surd\big(4+(1+3\cos.45^\circ)^2\big)+\surd\big(4+(1+3\cos.63^\circ)^2\big)$$
$$+\surd\big(4+(1+3\cos.81^\circ)^2\big)+\surd\big(4+(1-3\cos.81^\circ)^2\big)$$
$$+\surd\big(4+(1-3\cos.63^\circ)^2\big)+\surd\big(4+(1-3\cos.45^\circ)^2\big)$$
$$+\surd\big(4+(1-3\cos.27^\circ)^2\big)+\surd\big(4+(1-3\cos.9^\circ)^2\big)\Big].$$

Est autem
$$3\cos.\ 9^\circ=2,96$$
$$3\cos.\ 27^\circ=2,66$$
$$3\cos.\ 45^\circ=2,12$$
$$3\cos.\ 63^\circ=1,36$$
$$3\cos.\ 81^\circ=0,47;$$

itaque substituendo hosce valores, reperitur :

$$X=0,314\Big[\surd\big(4+(3,96)^2\big)+\surd\big(4+(3,66)^2\big)$$
$$+\surd\big(4+(3,12)^2\big)+\surd\big(4+(2,36)^2\big)$$
$$+\surd\big(4+(1,47)^2\big)+\surd\big(4+(-1,96)^2\big)$$
$$+\surd\big(4+(-1,66)^2\big)+\surd\big(4+(-1,12)^2\big)$$
$$+\surd\big(4+(-0,36)^2\big)+\surd\big(4+(0,53)^2\big)\Big]$$

$$= 0,314 \Big[\sqrt{(19,63)} + \sqrt{(17,39)} + \sqrt{(13,73)} + \sqrt{(9,57)} + \sqrt{(6,16)} + \sqrt{(7,84)} + \sqrt{(6,75)} + \sqrt{(5,25)} + \sqrt{(4,13)} + \sqrt{(4,27)} \Big]$$

$$= 0,314 \Big[4,44 + 4,37 + 3,70 + 3,09 + 2,48 + 2,80 + 2,59 + 2,29 + 2,03 + 2,06 \Big]$$

$$= 0,314 \times 29,85 = 9,37.$$

Magis ad verum valorem superficiei coni scaleni accedemus, si pro n quantitates majores assumserimus.

Tandem, si in æquatione (N) fecerimus $\delta = 0$; conus fit rectus, pro quo valebit :

$$X = \frac{\pi}{n} \Big[\sqrt{(\gamma^2+1)} + \sqrt{(\gamma^2+1)} + \sqrt{(\gamma^2+1)} + \dots + \sqrt{(\gamma^2+R^2)} + \dots + \sqrt{(\gamma^2+1)} + \sqrt{(\gamma^2+1)} + \sqrt{(\gamma^2+1)} \Big].$$

Quoniam est $R^2 = 1$, et in hac expressione toties $\sqrt{(\gamma^2+1)}$ vel $\sqrt{(\gamma^2+R^2)}$ occurrit, quoties divisor n indicat, tota formula ad hanc contrahitur :

$$X = \pi \times \sqrt{(\gamma^2+R^2)}$$

h. e. dimidia circumferentia circuli multiplicata per intervallum coni verticis a basis ambitu. Nemo dubitat, ope hujus formulæ superficiem coni recti, absque basis area, exhiberi.

§ IX.

Atque etiam alia methodus superficiem conicam computandi exstat, quam hic exponere conabimur. Finge, semiambitum ABA' inde a puncto A ad punctum A' usque in aliquot partes invicem æquales divisum, atque GB esse aliquotam partem, cui adversatur ad centrum O angulus GOB $= \alpha$, sitque ang. AOG $= m\alpha$. Ductis per extremitates B et G arcus BG tangentibus BH et GH, et chorda GB, ex vertice denique S coni scaleni rectis SB, SH, SG, enascuntur triangula BSG, BSH, GSH, quorum primum penitus intra conum cadens, superficiei conicæ portione, quæ arcui BG respondet, minus est; summa autem reliquorum eamdem superficiei conicæ portionem excedit. Ponendo trianguli BSG altitudinem $= a$, et perpendicula de vertice S ad bases BH et GH productas, quantum opus est, denotando per b et c, habetur summa arearum, quas triangula externa circumscribunt $\frac{BH.\, b + GH.\, c}{2}$, et area trianguli externi $\frac{BG.\, a}{2}$. Fig. 2.

§ X.

Quoniam est BH=GH (tamquam tangentes ex eodem puncto ad eumdem circuitum ductæ) et BH $=$ R tang. $\frac{1}{2}$ BOG $=$ R tang. $\frac{1}{2}\alpha$, atque chorda BG $= 2$R sin. $\frac{1}{2}\alpha$, poni possunt:

$$S < R \,\text{tang.}\, \frac{1}{2}\alpha \left(\frac{b+c}{2}\right),$$

et

$$S > R\, a \,\text{sin.}\, \frac{1}{2}\alpha,$$

ubi S superficiei conicæ portionem denotat, quæ in arcu BG nititur.

§ XI.

Pro altitudine trianguli GSH habemus § 4

$$c = \sqrt{\left(\gamma^2 + (R + \delta \cos. m\alpha)^2\right)}.$$

Perinde habetur, si angulus $\alpha + m\alpha$ pro $m\alpha$ scribitur,

$$b = \sqrt{\left[\gamma^2 + \left(R + \delta \cos. (\alpha + m\alpha)\right)^2\right]}.$$

Demissa jam de centro O ad chordam BG perpendiculari, ductaque ad hanc perpendicularem per punctum D parallela, determinari potest valor altitudinis trianguli BSG, qui erit

$$a = \sqrt{\left[\gamma^2 + \left(R \cos. \frac{1}{2}\alpha + \delta \cos. (\frac{1}{2}\alpha + m\alpha)\right)^2\right]}.$$

Hæ tres formulæ magis etiam contrahi possunt; est enim

$$c = \gamma \sqrt{\left[1 + \left(\frac{R + \delta \cos. m\alpha}{\gamma}\right)^2\right]};$$

pone $\frac{R + \delta \cos. m\alpha}{\gamma} = \text{tang. } \mu$, qui angulus semper acutus accipi debet, cum quadratum et ipsius quantitatis negativæ sit positivum; et quoniam est $\sqrt{(1 + \text{tang}^2 \mu)}$ sec. μ, habebitur:

$$c = \gamma \text{ sec. } \mu \ldots\ldots\ldots (1)$$

itemque

$$b = \gamma \text{ sec. } \mu' \ldots\ldots\ldots (2);$$

si in valore pro quantitate a scribatur

$$\text{R cos. } \tfrac{1}{2}\alpha + \delta \text{ cos. } (\tfrac{1}{2}\alpha + m\alpha) = \text{tang. } \varphi,$$

provenit

$$a = \gamma \text{ sec. } \varphi \ldots\ldots\ldots (3).$$

Quibus expositis areæ triangulorum BSG, BSH et GSH ita exhibentur:

$$S < \gamma \text{ R tang. } \frac{1}{2}\alpha \left(\frac{\text{sec. } \mu + \text{sec. } \mu'}{2}\right) \ldots\ldots (4)$$

$$S > \gamma \text{ R sin. } \frac{1}{2}\alpha \text{ sec. } \varphi.$$

§ XII.

Dividatur nunc semiambitus in n partes vicissim æquales. Cum pro prima parte v. g. AB (fig. 1) parallela per pedem D altitudinis SD cum ipso diametro AA′ coincidat, angulus $m\alpha$ fit zerus; pro altera ambitus parte $m\alpha$ abit in α, et in genere positis pro m numeris 0, 1, 2, 3 .... apparent anguli 0, α, 2α, 3α .... Denominemus angulos, qui his valoribus coefficientis m respondent, hoc modo:

$$\begin{array}{llll}
\mu & \text{et} \ \varphi & \text{pro} & m = 0; \\
\mu' & \text{»} \ \varphi' & \text{»} & m = 1; \\
\mu'' & \text{»} \ \varphi'' & \text{»} & m = 2; \\
\cdot & \cdot & & \cdot \quad \cdot \\
\cdot & \cdot & & \cdot \quad \cdot \\
\cdot & \cdot & & \cdot \quad \cdot \\
\mu^{(n-1)} & \text{et} \ \varphi^{(n-1)} & \text{pro} & m = n - 1 \\
\mu^{(n)} & \text{et} \ \varphi^{(n)} & \text{pro} & m = n
\end{array}$$

(ubi n virgularum numerum indicat).

Si per S′, S″, S‴.... S^n limites portionum superficiei majores designentur, habentur :

$$S' = \gamma R \text{ tang. } \frac{1}{2} \alpha \frac{\sec. \mu + \sec. \mu'}{2},$$

$$S'' = \gamma R \text{ tang. } \frac{1}{2} \alpha \frac{\sec. \mu' + \sec. \mu''}{2},$$

$$S''' = \gamma R \text{ tang. } \frac{1}{2} \alpha \frac{\sec. \mu'' + \sec. \mu'''}{2},$$

$$\begin{array}{ccc} \cdot & \cdot & \cdot \\ \cdot & \cdot & \cdot \\ \cdot & \cdot & \cdot \end{array}$$

$$S^n = \gamma R \text{ tang. } \frac{1}{2} \alpha \frac{\sec. \mu^{n-1} + \sec. \mu^n}{2}.$$

Quibus æquationibus additis, et per Σ summa totali significata, erit :

$$\Sigma = \gamma R \text{ tang} \frac{1}{2} \alpha \left[\frac{\sec. \mu + \sec. \mu^n}{2} + \sec. \mu' + \cdots\cdots + \sec. \mu^{(n-1)} \right].$$

Simili prorsus modo obtinetur summa minorum limitum

$$\Sigma' = \gamma \text{ R sin } \frac{1}{2} \alpha [\text{sec. } \varphi + \cdots + \text{sec. } \varphi^{(n-1)}].$$

Hinc apparet, quo magis statuantur semiambitus partes æquales, eo magis limites sibi ipsis accedere, et medium arithmeticum priorum formularum sine periculo pro superficie dimidii coni scaleni accipi posse.

§ XIII.

Si sit $n=5$, quantitatibus R, γ, δ valores superiores (§ 8) retinentibus; formulæ, quibus præstantur anguli μ et φ, in has transformantur :

$$\text{tang. } \mu = \frac{1+3 \text{ cos. } m\alpha}{2} = 0,5 + \frac{3}{2} \text{ cos. } m\alpha$$

$$\text{tang. } \varphi = \frac{\text{cos. } 18^\circ + 3 \text{ cos. } (m\alpha + 18^\circ)}{2}$$

$$= 0,4755282 + \frac{2}{3} \text{ cos. } (m\alpha + 18^\circ);.$$

unde colliguntur :

pro m	tang. μ	
0	$0,5 + {}^3/_2$	$= 2,0000000$
1	$0,5 + {}^3/_2$ cos. 36°	$= 1,7135255$
2	$0,5 + {}^3/_2$ cos. 72°	$= 1,9265846$
3	$0,5 + {}^3/_2$ cos. 108°	$= 0,0664745$
4	$0,5 + {}^3/_2$ cos. 144°	$= 0,7135255$
5	$0,5 - {}^3/_2$	$= 1,0000000$

(Omisimus signum minus, quia ipsi numeri ad quadratum elevari debent).

Quibus determinatis anguli quærantur, qui his tangentibus respondeant; et quibus secantes μ, μ'.. præstentur. Quo negotio valores subsequentes acquiruntur:

$$
\begin{aligned}
\frac{1}{2}\sec.\ \mu &= 1,1686216\\
\sec.\ \mu' &= 1,9850221\\
\sec.\ \mu'' &= 1,1267000\\
\sec.\ \mu''' &= 1,2005937\\
\sec.\ \mu'''' &= 1,2283269\\
\frac{1}{2}\sec.\ \mu''''' &= 0,7071067\\
\hline
\textit{Summa secantium} &= 7,416371,
\end{aligned}
$$

quæ per 2 tang. $18^\circ = 0,6489394$ multiplicata, dabit

$$\Sigma = 4,80577.$$

Jam æque facile eruemus summam minorum limitum. Habentur enim tangentes φ hoc modo:

pro m	tang. φ
0	$0,4755282 + {}^3/_2 \cos. 18^\circ = 1,8021108$
1	$0,4755282 + {}^3/_2 \cos. 54^\circ = 1,3572061$
2	$0,4755282 + {}^3/_2 \cos. 90^\circ = 0,4755282$
3	$0,4755282 + {}^3/_2 \cos. 126^\circ = 0,4061497$
4	$0,4755282 + {}^3/_2 \cos. 162^\circ = 0,9510564.$

Eodem, quo ante factum est, modo jam secantes exquirantur, quæ angulis respondent, quorum tangentes prioribus numeris præsto sunt. Est nimirum

$$
\begin{aligned}
\text{sec. } \varphi &= 2,0605029 \\
\text{sec. } \varphi' &= 1,6864898 \\
\text{sec. } \varphi'' &= 1,1071616 \\
\text{sec. } \varphi''' &= 1,0792975 \\
\text{sec. } \varphi'''' &= 1,3797415 \\
\hline
\textit{Summa secantium} &= 7,3131933,
\end{aligned}
$$

quam si summam secantium multiplicaverimus per factorem 2 sin. 18 = 0, 6180340, prodibit:

$$\Sigma' = 4, 51955.$$

Medium arithmeticum inter Σ et Σ' est æquale $\frac{0,28615}{2} = 0,14307$, quo ad minorem limitem addito, enascitur valor dimidiæ coni scaleni superficiei = 4, 66262, hincque tota superficies æqualis est 9, 32524, quæ illum valorem 9, 30696 fractione 0, 01828 excedit. Quisque videt, valorem 9, 30696 (§. 8) propius accessurum, si plures notas decimales pro cosinibus angulorum adhibeamus.



SECTIO ALTERA.

DE SUPERFICIE CONI SCALENI PRO BASI ELLIPSIN HABENTIS, CUJUS VERTEX ALTERUTRI ELLIPSEOS AXI PERPENDICULARITER IMMINET.

§. XIV.

Ponamus verticem coni majori ellipseos axi perpendiculariter imminere. Sit $a =$ dimidio majori axi; et $b =$ dimidio minori axi; atque etiam $\gamma =$ longitudini rectæ perpendicularis ex vertice coni ad axem majorem dimissæ; postremo $\delta =$ distantiæ pedis hujus perpendicularis a centro ellipseos.

§. XV.

Ut nostrum finem, quem propius investigatio superficiei conicæ hujus generis attinet, persequamur, eodem, quo supra, modo in hac sectione per approximationem superficiem quæsitam explorabimus. Quare dividamus semiellipsin in aliquot partes, ut binæ normales ad extremitates singulorum arcuum ductæ, semper eumdem angulum intercipiant, vel quod eodem redit, ut normales, terminis arcuum respondentes, cum axe abscissarum faciant angulos eumdem angulum multoties continentes; deinceps arcuum terminos cum extremitate altitudinis γ

jungamus rectis, quibus totidem triangula enascuntur, quorum areæ fere suppeditant superficiei conicæ portiones, quæ ipsis triangulis rectilineis respondent. Proximum igitur est, ut rectificemus arcum ellipticum. Quod ut efficiatur, sit BC arcus aliquis ellipseos. De punctis B et C normales BA et CA ita ducamus, ut inter sese constituant angulum $BAC = \alpha$; tunc per puncta B et C ducamus tangentes BF et CF, quæ angulos rectos cum normalibus BA et CA constituentes in puncto F concurrant necessum est. Denique de punctis B et F demittamus perpendicula BD ad CA, et FE ad BD; quibus factis in triangulo rectangulo ADB habemus, radio tabulæ sinuum = 1 posito : Fig. 6.

$$BD = AB \sin. \alpha,$$

et

$$AD = AB \cos. \alpha;$$

sed

$$CF = DE = BD - BE = AB \sin. \alpha - BE \ldots (A).$$

Ex triangulo rectangulo BEF, in quo angulus $FBE = \alpha$ (cum anguli FBE et α vicissim complementum anguli ABD constituant), eruitur :

$$BE = EF \cot. \alpha;$$

sed

$$EF = CD = AC - AD = AC - AB \cos. \alpha:$$

ergo

$$BE = (AC - AB \cos. \alpha) \cot. \alpha,$$

et substituendo hunc valorem in æquatione (A), provenit

$$CF = AB \sin. \alpha - (AC - AB \cos. \alpha) \cot. \alpha$$

$$= AB \sin \alpha - (AC - AB \cos) \frac{\cos \alpha}{\sin \alpha}$$

$$= \frac{AB \sin^2 \alpha - AC \cos. \alpha + AB \cos^2 \alpha}{\sin. \alpha}$$

$$= \frac{AB (\sin^2 \alpha + \cos^2 \alpha) - AC \cos. \alpha}{\sin. \alpha};$$

et cum $\sin^2 \alpha + \cos^2 \alpha = R^2 = 1$, acquiritur

$$CF = \frac{AB - AC \cos. \alpha}{\sin. \alpha} \ldots\ldots (B).$$

Item in triangulo BEF invenitur,

$$BF = EF \operatorname{cosec.} \alpha$$

et cum $EF = AC - AB \cos. \alpha$, est

$$BF = (AC - AB \cos. \alpha) \operatorname{cosec.} \alpha.$$

Est autem $\operatorname{cosec.} \alpha = \frac{1}{\sin. \alpha}$, unde

$$BF = \frac{AC - AB \cos. \alpha}{\sin. \alpha};$$

et jungendo hanc æquationem cum æquatione (B) habemus

$$BF + CF = \frac{AB - AC \cos. \alpha + AC - AB \cos. \alpha}{\sin. \alpha}$$

$$= \frac{AB + AC - (AB + AC) \cos. \alpha}{\sin. \alpha}$$

$$= \frac{(AB + AC)(1 - \cos. \alpha)}{\sin. \alpha}$$

$$= (AB + AC) \text{ tang. } \frac{1}{2}\alpha \dots\dots (*).$$

§. XVI.

Si nunc, angulo α in duas æquales partes per lineam AF diviso, de punctis B et C demittuntur perpendicula BD et CE ad AF, duo triangula rectangula ADB et AEC efficiuntur, in quibus habebimus : Fig. 7.

(*) Ut intelligatur, e quo efficiatur expressio

$$\frac{1 - \cos.\alpha}{\sin.\alpha} = \text{tang. } \alpha,$$

sic ratiocinandum videtur : constat, esse

$$\sin. 2\alpha = 2 \sin.\alpha \cos.\alpha \dots\dots (a),$$

et

$$\cos. 2\alpha = 2 \cos^2 \alpha - \sin^2 \alpha,$$

hincque

$$\cos^2 \alpha = 2 \cos.\alpha + \sin^2 \alpha :$$

sed $\sin^2 \alpha + \cos^2 \alpha = 1$, et substituendo pro $\cos^2 \alpha$ ejus valorem, habebimus :

$$\sin^2 \alpha + \cos. 2\alpha + \sin^2 \alpha = 1$$

sive

$$1 - \cos. 2\alpha = 2 \sin^2 \alpha,$$

et dividendo hanc æquationem per æquationem (a), obtinebimus :

$$\frac{1 - \cos. 2\alpha}{\sin. 2\alpha} = \frac{2 \sin^2 \alpha}{2 \sin.\alpha \cos.\alpha} = \frac{\sin.\alpha \times \sin.\alpha}{\sin.\alpha \times \cos.\alpha} = \frac{\sin.\alpha}{\cos.\alpha} = \text{tang. } \alpha.$$

Eodem modo transformatur

$$\frac{1 - \cos.\alpha}{\sin.\alpha} = \frac{2 \sin^2 1/2\,\alpha}{2 \sin. 1/2\,\alpha \cos. 1/2\,\alpha} = \frac{\sin. 1/2\,\alpha}{\cos. 1/2\,\alpha} = \text{tang. } 1/2\,\alpha.$$

$$BD = AB \sin. \frac{1}{2}\alpha$$

et

$$CE = AC \sin. \frac{1}{2}\alpha,$$

addendo .... $BD + CE = (AB + AC) \sin. \frac{1}{2}\alpha.$

§. XVII.

Plane vero perspicuum est, necessario esse

$$(AB + AC) \text{ tang. } \frac{1}{2}\alpha > \text{arc. } BC,$$

$$(AB + AC) \sin. \frac{1}{2}\alpha < \text{arc. } BC.$$

Fig. 8. Si itaque de puncto A cum radio $= \frac{AB + AC}{2}$ describitur arcus circularis B′C′, idem arcus multo magis ad arcum CB elliptícum accedet, quam $(AB + AC)$ tang. $\frac{1}{2}\alpha$, et quam $(AB + AC)$ sin. $\frac{1}{2}\alpha$, cum arcus B′C′ inter valores illos cadat.

Si nunc de punctis B′ et C′ duxerimus ad arcum circularem B′C′ tangentes B′F et C′F, illæ inter se erunt æquales, ita ut linea FA dividat angulum α in duas partes æquales. Hisce constructis, habemus in triangulis æqualibus AB′F et AC′F

$$B'F = \left(\frac{AB + AC}{2}\right) \text{ tang. } \frac{1}{2}\alpha$$

et

$$C'F = \left(\frac{AB + AC}{2}\right) \text{ tang. } \frac{1}{2}\alpha$$

addendo ..... $2B'F = (AB + AC) \text{ tang. } \frac{1}{2}\alpha;$

et pro longitudine arcus circularis habebimus

$$\tfrac{1}{2}(AB + AC)\,\alpha;$$

et cum hic arcus circularis quam maxime ad arcum ellipseos accedat, pro ipsa longitudine arcus ellipseos ponere possumus:

$$\text{Long. arc. ellipt.} = \tfrac{1}{2}(AB + AC)\,\alpha \ldots\ldots\ldots\ldots (1)$$

§ XVIII.

Jam nunc quæramus valores normalium AB et AC. Hunc in finem sit $\varphi = BpA'$, quem angulum prior normalis BA facit cum axe majore. Cum ang. $BAC = \alpha$, est ang. $CqA' = \varphi + \alpha = \varphi'$; quia hic angulus est angulus externus trianguli qAp. De punctis B et C ducamus ordinatas orthogonas BB' et CC', et de puncto B rectam Bn parallelam ad AO. Ut nunc inveniamus valores normalium AB et AC, in primis inveniendus est valor lineæ Bn, qua et ipsa cognita, in triangulo nAB normalis AB et linea An, determinari possunt. Cognita autem linea An, reliquum est, ut valor lineæ nC investigetur; quibus junctis, obtinebitur valor alterius normalis AC. Hæc igitur disquiramus. Fig. 9.

§. XIX.

Est

$$Bn = Bm + mn;$$

at $Bm = B'C' = OB' - OC'$. Unde patet, primum valores abscissarum OB' et OC' computentur necesse esse. Quod ut efficiatur, hæc methodus valde idonea esse videtur. Est enim æquatio pro subnormali pB' (Garnier, *Géométrie Anal. pag.* 205, *form.* 5)

$$pB' = -\frac{b^2}{a^2} x,$$

ubi a est semiaxis major, et b semiaxis ellipseos minor. Unde invenitur

$$Op = x' - pB' = x' + \frac{b^2}{a^2} x' = x' \left(1 + \frac{b^2}{a^2} \right).$$

Ex triangulo autem OpB, ad p obtusangulo, obtinetur

$$\overline{OB}^2 = \overline{Bp}^2 + \overline{Op}^2 + 2Op \times pB' = \overline{Bp}^2 + x'^2 \left(1 + \frac{b^2}{a^2} \right)^2$$

$$+ 2x' \left(1 + \frac{b^2}{a^2} \right) \times -\frac{b^2}{a^2} x',$$

Et quoniam $pB = \frac{pB'}{\cos. \varphi}$, ideoque $pB^2 = \frac{\overline{pB'}^2}{\cos.^2 \varphi} = x'^2 \frac{b^4}{a^4 \cos.^2 \varphi}$, præcedens valor quadrati OB in hunc transformatur :

$$\overline{OB}^2 = x'^2 \frac{b^4}{a^4 \cos.^2 \varphi} + x'^2 \left(1 + \frac{b^2}{a^2} \right)^2 - 2x'^2 \left(1 + \frac{b^2}{a^2} \right) \frac{b^2}{a^2}$$

atqui etiam $x' = OB' = OB \cos. BOB'$, hincque $x'^2 = \overline{OB}^2 \cos^2 BOB'$; ergo substitutione facta acquiritur :

$$\overline{OB}^2 = \overline{OB}^2 \cos^2 BOB' \left[\frac{b^4}{a^4 \cos^2 \varphi} + \left(1 + \frac{b^2}{a^2} \right)^2 - 2 \left(1 + \frac{b^2}{a^2} \right) \frac{b^2}{a^2} \right]$$

$$= \overline{OB}^2 \cos^2 BOB' \left[\frac{b^4}{a^4 \cos^2 \varphi} + 1 + 2 \frac{b^2}{a^2} + \frac{b^4}{a^4} - 2 \frac{b^2}{a^2} - 2 \frac{b^4}{a^4} \right]$$

$$= \overline{OB}^2 \cos^2 BOB' \left[1 + \frac{b^4}{a^4} \left(\frac{1}{\cos^2 \varphi} - 1 \right) \right]$$

$$=\overline{OB}^2 \cos^2 BOB' \left[1 + \frac{b^4}{a^4}\left(\frac{1-\cos^2\varphi}{\cos^2\varphi}\right)\right]$$

$$=\overline{OB}^2 \cos^2 BOB' \left(+\frac{b^4}{a^4}\,\text{tang.}\,\varphi\right).$$

unde eruitur

$$\cos.\ BOB^2 = \frac{1}{\sqrt{(1+\frac{b^4}{a^4}\text{tang}^2\varphi)}}.$$

Ponendo $\ldots\ldots\frac{b^2}{a^2}\,\text{tang.}\,\varphi = \text{tang.}\,\mu \ldots\ldots\ldots(2),$

consequens est, esse $\frac{b^4}{a^4}\text{tang}^2\,\varphi = \text{tang}^2\,\mu$; habebitur itaque

$$\cos.\ BOB' = \frac{1}{\sqrt{(1+\text{tang}^2\mu)}} = \frac{1}{\sqrt{(\sec^2\mu)}} = \frac{1}{\sec.\,\mu} = \cos.\,\mu\,..(3).$$

Porro est

$$OB' = OB\ \cos.\ BOB' = OB\ \cos.\ \mu;$$

at in æquatione ellipseos polari, si polus in centrum O translatus fuerit, patet esse (Garnier, *Op. l. pag.* 211)

$$OB = \frac{a\,b}{\sqrt{(a^2\sin^2\mu + b^2\cos^2\mu)}},$$

itaque etiam

$$OB' = \frac{a\,b}{\sqrt{(a^2\sin^2\mu + b^2\cos^2\mu)}}\ \cos.\ \mu.$$

Dividendo alterum æquationis hujus membrum per $b\ \cos.\ \mu$, emergit :

$$OB' = \frac{a}{\sqrt{\left(\frac{a^2}{b^2} \cdot \frac{\sin^2 \mu}{\cos^2 \mu} + 1\right)}} = \frac{a}{\sqrt{\left(\frac{a^2}{b^2} \text{tang}^2 \mu + 1\right)}};$$

et faciendo $\frac{a}{b}$ tang. $\mu =$ tang. λ, habetur

$$OB = \frac{a}{\sqrt{(\text{tang}^2 \lambda + 1)}} = \frac{a}{\text{sec.}\ \lambda} = a \cos.\ \lambda \ldots . (4).$$

Eodem prorsus modo invenietur

$$OC' = a \cos.\ \lambda' \ldots\ldots\ldots\ldots (5):$$

si nimirum in æquatione (2) φ' pro φ scripseris, et ope formulæ (3) cos. μ' exhibueris.

Ex æquationibus (4) et (5) cogitur

$$OB' - OC' = B'C' = Bm = a\,(\cos.\ \lambda - \cos.\ \lambda'),$$

hincque

$$Bn = a\,(\cos.\ \lambda - \cos.\ \lambda') + mn \ldots\ldots (6).$$

Ut noscatur quantitas mn, triangulum Cnm respiciatur, ubi ang. $Cnm = \varphi$. Inde invenitur

$$nm = Cm \text{ sec. } nCm = (CC' - BB') \text{ cosec. } \varphi = \frac{CC' - BB'}{\sin.\ \varphi'},$$

et hoc valore in æquatione (6) substituto, efficitur

$$Bn = \frac{a\,(\cos.\ \lambda - \cos\ \lambda')\sin.\ \varphi' + CC' - BB'}{\sin.\ \varphi'} \ldots . (7).$$

§ XX.

Quo valore pro Bn invento, transeamus ad valores normalium AB et AC investigandos. Ex triangulo nAC eliciuntur :

$$AB = \frac{Bn \sin. (180^o - \varphi')}{\sin. \alpha}$$

$$= \frac{\sin. \left(180^o - \varphi'\right) \left(a (\cos. \lambda - \cos. \lambda') \sin. \varphi' + CC' - BB'\right)}{\sin. \varphi' \sin. \alpha} \ldots (8),$$

et

$$An = \frac{Bn \sin. \varphi}{\sin. \alpha} = \frac{\sin. \varphi \left(a (\cos. \lambda - \cos \lambda') \sin. \varphi' + CC' - BB'\right)}{\sin. \varphi' \sin. \alpha};$$

et cum sit $Cn = \frac{CC' - BB'}{\sin. \varphi'}$, erit

$$AC = \frac{\sin. \varphi \left(a(\cos. \lambda - \cos. \lambda') \sin. \varphi' + CC' - BB'\right)}{\sin. \varphi' \sin. \alpha} + \frac{CC' - BB'}{\sin. \varphi'}$$

$$= \frac{\sin. \varphi \left(a(\cos. \lambda - \cos. \lambda') \sin. \varphi' + CC' - BB'\right) + (CC' - BB') \sin. \alpha}{\sin. \varphi' \sin. \alpha} \ldots (9),$$

æquationibus (8) et (9) additis coalescit :

$$AB + AC = \frac{\sin. 180^o - \varphi,}{\sin. \varphi' \sin. \alpha} \left(a (\cos \lambda - \cos. \lambda') \sin. \varphi' + CC' - BB'\right)$$
$$+ \frac{CC' - BB'}{\sin. \varphi'},$$

quod si hic valor in formulam (1) introducatur, obtinetur,

$$\textit{Long. arc. ellipt.}\ BC = \tfrac{1}{4}\left[\left(\frac{\sin.(180^{\circ}-\varphi') + \sin.\varphi}{\sin.\varphi' \sin.\alpha}\right)\right.$$

$$\left.\left(a(\cos.\lambda - \cos.\lambda')\sin.\varphi' + CC' - BB'\right) + \frac{CC' - BB'}{\sin.\varphi'}\right]\alpha \ldots (10).$$

§ XXI.

Priusquam ulterius progredimur, videamus, quinam sit valor arcus ellipseos rectificati, si expressio analytica $\frac{dy}{dx}$ pro tangente usurpetur. Quocirca sumamus æquationem ellipseos

$$y^2 = \frac{b^2}{a^2}\left(2ax - x^2\right),$$

e qua colligitur

$$\frac{dy}{dx} = \frac{\frac{b^2}{a^2}(a-x)}{y} = \frac{\frac{b^2}{a^2}(a-x)}{\frac{b}{a}\ \surd(2ax - x^2)} = \frac{b(a-x)}{a\surd(2ax - x^2)}$$

$$= \text{tang. } BTB' = \text{cot. } TBB' = \text{cot. } BpB' = \text{cot. } \varphi.$$

Si in expressione $\text{cot. } \varphi = \frac{b^2\ (a-x)}{a^2\ y}$ pro x et y valores

A'B' et BB substituuntur, prodit

$$\text{cot. } \varphi = \frac{b^2\ (a - A'B')}{a^2\ .\ BB'} \ldots\ldots\ldots (11).$$

Sed ex triangulo rectangulo OBB′ elicitur

$$OB' = OB \cos. BOB',$$

et

$$BB' = OB \sin. BOB';$$

præterea est $A'B' = a - OB' = a - OB \cos. BOB'$; hoc valore substituto in æquatione (11), enascitur :

$$\cot. \varphi = \frac{b^2\Big(a - (a - OB \cos. BOB')\Big)}{a^2 \ . \ OB \sin. BOB'}$$

$$= \frac{b^2 \ OB \cos. BOB'.}{a^2 \ OB \sin. BOB'.}$$

$$= \frac{b^2 \ \cos. BOB'}{a^2 \ \sin. BOB'}.$$

Est autem $\cos. BOB' = \frac{OB'}{OB'}$, et $\sin. BOB' = \frac{BB'}{OB}$; substitutione horum valorum in præcedente æquatione facta, prodit :

$$\cot. \varphi = \frac{b^2 \ . \ OB}{a^2 . \ BB'},$$

hincque

$$OB' = \frac{a^2 \ BB' \cot. \varphi.}{b^2} = \frac{a^2}{b^2} BB' \cot. \varphi \ \ldots\ldots (12).$$

Pari modo inveniemus :

$$OC' = \frac{a^2}{b^2} CC' \cot. \varphi';$$

itaque

$$OB' - OC' = Bm = \frac{a^2}{b^2}(BB' \cot. \varphi - CC' \cot. \varphi') \ldots (13)$$

et substituendo hunc valorem in æquatione

$$Bn = Bm + mn,$$

acquiritur:

$$Bn = \frac{a^2}{b^2}(BB' \cot. \varphi - CC' \cot. \varphi') + mn.$$

Sed in triangulo nmC, cujus ang. $Cnm = \varphi'$, habemus

$$nm = Cm \cot. \varphi' = (CC' - BB') \cot. \varphi';$$

quo valore efficitur, ut sit:

$$Bn = \frac{a^2}{b^2}(BB' \cot. \varphi - CC' \cot. \varphi') + (CC' - BB') \cot. \varphi'.$$

Transeamus nunc ad triangulum nAB, in quo est

$$AB = \frac{nB \sin. (180° + \varphi')}{\sin. \alpha}$$

et substituendo pro Bn ejus valorem,

$$AB = \frac{\sin.(180° - \varphi')\left(\frac{a^2}{b^2}.(BB' \cot. \varphi - CC' \cot. \varphi') + (CC' - BB') \cot. \varphi'\right)}{\sin. \alpha} \quad (14).$$

Sic etiam in triangulo nAB habemus

$$An = \frac{Bn \sin. \varphi}{\sin. \alpha},$$

et substituendo pariter pro Bn ejus valorem,

$$An = \frac{\sin. \varphi\left(\frac{a^2}{b^2}(BB' \cot. \varphi - CC' \varphi) + (CC' - BB') \cot. \varphi'\right).}{\sin. \alpha}$$

Sed altera normalis $An = An + nC$, et $nC = \frac{CC' - BB'}{\sin.\varphi'}$, ergo

$$AC = \frac{\sin.\varphi\left(\frac{a^2}{b^2}(BB'\cot.\varphi - CC'\cot.\varphi') + (CC' - BB)\cot.\varphi'\right)}{\sin.\alpha} + \frac{CC' - BB'}{\sin.\varphi'} \ldots\ldots\ldots\ldots\ (15);$$

et substituendo valores normalium AB et AC ex æquationibus (14) et (15) in æquatione

$$BC = \tfrac{1}{2}(AB + AC)\,\alpha,$$

obtinebimus pro valore generali longitudinis arcus ellipseos

$$BC = \frac{1}{2}\left[\frac{\sin.(180^o - \varphi')}{\sin.\alpha}\left(\frac{a^2}{b^2}(BB'\cot.\varphi - CC'\cot.\varphi)\right.\right.$$

$$\left. + (CC' - BB')\cot.\varphi'\right) + \frac{\sin.\varphi}{\sin.\alpha}\left(\frac{a}{b^2}(BB'\cot.\varphi - CC'\cot.\varphi')\right.$$

$$\left.\left. + (CC' - BB')\cot.\varphi'\right) + \frac{CC' - BB'}{\sin.\varphi}\right]\alpha$$

$$= \frac{1}{2}\left[\left(\frac{\sin.(180^o - \varphi') + \sin.\varphi}{\sin.\alpha}\right)\left(\frac{a^2}{b^2}(BB'\cot.\varphi - CC'\cot.\varphi')\right.\right.$$

$$\left.\left. + (CC' - BB')\cot.\varphi'\right) + \frac{CC' - BB'}{\sin.\varphi'}\right]\alpha \ldots\ldots\ldots (16);$$

quæ formulæ (10) admodum est analoga.

5.

§ XXII.

Fig. 10. Disquisitione nostra (§ 18) monstravimus, problema propositum sine auxilio calculi differentialis esse resolubile. Ut autem formulæ nostræ subsequentes fiant elegantiores, nos inprimis in formula (13) nitemur.

. Age inquiramus valorem generalem altitudinis trianguli BSC. Hunc in finem in medium arcum CB ita normalem EF ducamus, ut faciat cum axe majore angulum EF A' $= \frac{\varphi + \varphi'}{2}$; tunc ad punctum E ducamus tangentem DT, quæ continuata occurrit in puncto quodam T axi abscissarum. Denique de puncto E dejiciatur ordinata EE'. Hisce constructis determinandus est primum valor lineæ OT, quæ est = OE' + ET.

Si consideraverimus triangulum rectangulum EE'T, in quo angulus E'ET $= \frac{\varphi + \varphi'}{2}$; habebimus

$$ET = EE' \text{ tang. } \frac{\varphi + \varphi'}{2};$$

et ex formula (13) intelligetur, esse:

$$OE' = \frac{a^2}{b^2} EE' \cot. \frac{\varphi + \varphi'}{2},$$

et addendo hos valores, habebimus

$$OE' + ET = \frac{a^2}{b^2} EE' \cot. \frac{\varphi + \varphi}{2} + EE' \text{ tang. } \frac{\varphi + \varphi'}{2}$$

$$= EE' \left(\frac{a^2 \cot. \frac{\varphi + \varphi'}{2} + b^2 \text{ tang. } \frac{\varphi + \varphi}{2}}{b^2} \right) = OT \ldots (17)$$

§ XXIII.

Si nunc de puncto O describamus perpendicularem OF ad D'T, in triangulo rectangulo OFT, cujus angulus FOT $= \frac{\varphi+\varphi'}{2}$, habebimus :

$$OF = OT \cos.\frac{\varphi+\varphi'}{2},$$

et substituendo pro OT ejus valorem ex formula (17), obtinetur :

$$OF = EE' \cos.\frac{\varphi+\varphi'}{2}\left(\frac{a^2 \cot.\frac{\varphi+\varphi'}{2} + b^2 \operatorname{tang}.\frac{\varphi+\varphi'}{2}}{b^2}\right)$$

$$= EE'\left(\frac{a^2 \cos.\frac{\varphi+\varphi'}{2}.\cot.\frac{\varphi+\varphi'}{2} + b^2 \cos.\frac{\varphi+\varphi'}{2}\operatorname{tang}.\frac{\varphi+\varphi'}{2}}{b^2}\right)$$

$$= EE'\left(\frac{a^2 \cos.\frac{\varphi+\varphi'}{2}.\frac{\cos.\frac{\varphi+\varphi'}{2}}{\sin.\frac{\varphi+\varphi'}{2}} + b^2 \cos\frac{\varphi+\varphi'}{2}.\frac{\sin.\frac{\varphi+\varphi'}{2}}{\cos.\frac{\varphi+\varphi'}{2}}}{b^2}\right)$$

$$= EE'\left(\frac{\frac{a^2 \cos^3\frac{\varphi+\varphi'}{2} + b^2 \cos.\frac{\varphi+\varphi'}{2}\sin^2\frac{\varphi+\varphi'}{2}}{\cos.\frac{\varphi+\varphi'}{2}.\sin.\frac{\varphi+\varphi'}{2}}}{b^2}\right)$$

$$= EE'\left(\frac{a^2 \cos^2\frac{\varphi+\varphi'}{2} + b^2 \sin^2\frac{\varphi+\varphi'}{2}}{b^2 \sin.\frac{\varphi+\varphi'}{2}}\right).$$

Jam de puncto D demittamus perpendiculum DD′ ad tangentem D′T, et de puncto O aliud perpendiculum OO′ ad DD′; tunc habebimus

$$DD' = OD' + O'D = OF + O'D.$$

Sed in triangulo rectangulo DO′O, cujus ang. $O'DO = \frac{\varphi + \varphi'}{2}$, invenitur

$$O'D = OD \cos. \frac{\varphi + \varphi'}{2} = \delta \cos. \frac{\varphi + \varphi'}{2},$$

et substituendo pro OF et O′D valores, prodit :

$$DD' = EE' \left(\frac{a^2 \cos^2 \frac{\varphi + \varphi}{2} + b^2 \sin^2 \frac{\varphi + \varphi'}{2}}{b^2 \sin. \frac{\varphi + \varphi'}{2}} \right) + \delta \cos. \frac{\varphi + \varphi'}{2}.$$

Jungendo denique puncta S et D′, recta SD′ ad tangentem D′T erit perpendicularis; altitudinis igitur trianguli BSC vicem gerit. Ast in triangulo SDD′ est

$$SD' = \sqrt{(\gamma^2 + \overline{DD'}^2)}$$

$$= \sqrt{\left[\gamma^2 + \left(EE' \left(\frac{a^2 \cos^2 \frac{\varphi + \varphi'}{2} + b^2 \sin^2 \frac{\varphi + \varphi'}{2}}{b^2 \sin. \frac{\varphi + \varphi'}{2}} \right) + \delta \cos. \frac{\varphi + \varphi'}{3} \right)^2 \right]} \ldots (18)$$

§ XXIV.

Jam valores illos generales ad inveniendam superficiem coni scaleni nostri adplicemus. Cum ambitus ellipseos in quatuor

æquales partes per axes sit divisus, ad cognoscendum totius ellipseos ambitum sufficiet determinare valores arcuum in uno ejus quadrante, nam in reliquis æqualibus ellipseos partibus easdem instituere divisiones semper possumus.

Supponamus itaque, ellipseos quadrantem AF in tres partes esse divisum, primum igitur erit investigandus valor arcus AB. Fig. 11.

Quare de punctis A et B normales Ar et Br ita ducamus, ut Ar cum ipso abscissarum axe coincidat, utque Br constituat cum eodem axe angulum $BrA = \alpha$. Qua ex ratione, cum prior normalis nullum faciat cum axe abscissarum angulum, erit angulus $\varphi = 0$, et angulus $\varphi' = \alpha$. Prior ordinata, quam per BB′ designavimus, etiam evanescit, et tunc fit altera CC′ $= y$. Substituendo hosce valores in æquatione (16), arcus AB hac formula rectificatur:

$$AB = \frac{\sin.(180^\circ - \alpha)}{\sin.\alpha}\frac{1}{2}\left[\left(-\frac{a^2}{b^2}y\cot.\alpha + y\cot.\alpha\right) + \frac{y}{\sin.\alpha}\right]\alpha$$

$$= \frac{1}{2}\left[\frac{\sin.(180^\circ - \alpha)}{\sin.\alpha}\left(1 - \frac{a^2}{b^2}\right)y\cot.\alpha + \frac{y}{\sin.\alpha}\right]\alpha.$$

Ad inveniendum valorem arcus BC, de puncto C normalem Cr' ita ducamus, ut faciat cum normali Br continuata angulum $Cr'B = \alpha$. Quo efficitur, ut sit $\varphi = \alpha$; $\varphi' = 2\alpha$, atque prior ordinata BB′ fiat y, et posterior y'. Substituendo hosce valores in æquatione (16), enascitur:

$$BC = \frac{1}{2}\left[\left(\frac{\sin.(180^\circ - 2\alpha)\sin.\alpha}{\sin.\alpha}\right)\left(\frac{a^2}{b^2}(y\cot.\alpha - y'\cot.2\alpha)\right.\right.$$

$$\left.\left. + (y' - y'\cot.2\alpha\right) + \frac{y' - y}{\sin.2\alpha}\right]\alpha.$$

Ut denique arcus CF inveniatur, de puncto F normalem Fr'' ita ducamus, ut et ipsa faciat cum producta normali Cr' angulum $Fr''C = \alpha$, hincque fit, ut $\varphi = 2\alpha$, $\varphi' = 3\alpha$, $BB' = y'$ et $CC' = b$, cum eo in casu ordinata de puncto F ducta cum ipso ordinatarum axi confundatur. Substituendo hosce valores in æquatione (16), erit

$$CF = \frac{1}{2}\left[\left(\frac{\sin.(180^o - 3\alpha) + \sin.2\alpha}{\sin.\alpha}\right)\left(\frac{a^2}{b^2}(y'\cot.2\alpha - b\cot.3\alpha)\right.\right.$$

$$\left.\left. + (y' - y)\cot.3\alpha\right) + \frac{y' - y}{\sin.3\alpha}\right]\alpha.$$

§ XXV.

Jam nunc inquiramus valores altitudinum triangulorum, quorum bases sunt arcus AB, BC et CF. Altitudo trianguli, cujus basis est AB, obtinetur, si in æquatione (18) pro $\frac{\varphi + \varphi'}{2}$ et pro EE' substituuntur earumdem quantitatum valores. In eo autem casu hi valores sunt $\varphi = 0$, $\varphi' = \alpha$ et $EE' = y$. Ergo pro altitudine trianguli ASB habebimus valorem

$$= \sqrt{\left[\gamma^2 + \left(y''\frac{a^2\cos^2 {}^1/_2\alpha + b^2\sin^2 {}^1/_2\alpha}{b^2\sin.{}^1/_2\alpha} + \delta\cos.{}^1/_2\alpha\right)^2.\right]}$$

Tunc faciendo $\varphi = \alpha$, $\varphi' = 2\alpha$, $EE' = y'''$, et substituendo hosce valores in æquatione (18), obtinebimus valorem altitudinis trianguli BSC, qui erit

$$= \sqrt{\left[\gamma^2 + \left(y'''\frac{a^2\cos^2 {}^3/_2\alpha + b^2\sin^2 {}^3/_2\alpha}{b^2\sin.{}^3/_2\alpha} + \delta\cos.{}^3/_2\alpha\right)^2\right]}$$

Tandem faciendo $\varphi = 2\alpha$, $\varphi' = 3\alpha$, $EE' = y^{\text{iv}}$, et substituendo hosce valores in æquatione (18), habebimus altitudinis trianguli CSF valorem

$$= \sqrt{\left(\gamma^2 + \left(y^{\text{iv}} \frac{a^2 \cos^2 {}^5/_2 \alpha + b^2 \sin^2 {}^5/_2 \alpha}{b^2 \sin. {}^5/_2 \alpha} + \delta \cos. {}^5/_2 \alpha\right)^2\right)}.$$

§ XXVI.

Sed ex ipsâ coni scaleni naturâ apparet, triangula, quæ in unâ quartâ ellipseos parte constituuntur, non easdem habitura esse altitudines, quæ triangulis in alio ellipseos quadrante ex eadem axis parte constitutis conveniunt; quæ res etiam in cono scaleno, cujus basis est circulus, visa est. Unde perspicitur, valorem generalem esse quærendum altitudinis trianguli cujusdam B'SC', cujus basis in altero quadrante elliptico ex eadem abscissarum axis parte posita est.

Si eumdem ordinem, quem in §§ 21, 22, secuti fuerimus, obtinebimus Fig. 12.

$$OF' = E'E'' \left(\frac{a^2 \cos^2 \frac{\varphi + \varphi'}{2} + b^2 \sin^2 \frac{\varphi + \varphi'}{2}}{b^2 \sin. \frac{\varphi + \varphi}{2}}\right).$$

Si nunc de puncto D demittamus perpendiculum DO' ad OF', habemus

$$DD'' = OF' - OO'.$$

Sed in triangulo rectangulo DO'O, cujus angulus $DOO' = \frac{\varphi + \varphi'}{2}$ reperitur

$$OO' = OD \cos. \frac{\varphi + \varphi'}{2} = \delta \cos. \frac{\varphi + \varphi'}{2},$$

qui valor substitutus efficit, ut sit

$$DD'' = OF' - \delta \cos. \frac{\varphi + \varphi'}{2}$$

$$= E'E'' \left(\frac{a^2 \cos. \frac{\varphi + \varphi}{2} + b^2 \sin^2 \frac{\varphi + \varphi'}{2}}{b^2 \sin. \frac{\varphi + \varphi'}{2}} \right) - \delta \cos. \frac{\varphi + \varphi'}{2}.$$

Sed in triangulo rectangulo SDD'', in quo SD'' est altitudo trianguli B'SC', habemus

$$SD'' = \sqrt{(\gamma^2 + \overline{DD''}^2)}$$

$$= \sqrt{\left[\gamma^2 + \left(E'E'' \frac{a^2 \cos^2 \frac{\varphi + \varphi'}{2} + b^2 \sin^2 \frac{\varphi + \varphi}{2}}{b^2 \sin. \frac{\varphi + \varphi'}{2}} - \delta \cos. \frac{\varphi + \varphi'}{2}\right)^2\right]}$$

§ XXVII.

Si nunc in æquatione illa substituimus pro φ, φ, E'E'' valores $\varphi = o$, $\varphi' = \alpha$ et $E'E'' = y'$, habebimus valorem altitudinis trianguli A'SB', qui erit

$$= \sqrt{\left[\gamma^2 + \left(y'' \frac{a^2 \cos^2 {}^1/_2\,\alpha + b^2 \sin^2 {}^1/_2\,\alpha}{b^2 \sin. {}^1/_2\,\alpha} - \delta \cos. {}^1/_2\,\alpha\right)\right]}.$$

Faciendo autem $\varphi = \alpha$, $\varphi' = 2\alpha$, $E'E'' = y'''$, pro altitudine trianguli B'SC' acquiritur valor :

$$= \sqrt{\left[\gamma^2 + \left(y''' \frac{a^2 \cos^2 {}^3/_2\,\alpha + b^2 \sin^2 {}^3/_2\,\alpha}{b^2 \sin. {}^3/_2\,\alpha} - \delta \cos. {}^3/_2\,\alpha\right)^2\right]}.$$

Scribendo denique $\varphi = 2\alpha$, $\varphi' = 3\alpha$, $E'E'' = y^{IV}$, præsto est valor altitudinis trianguli C'SF

$$= \sqrt{\left(\gamma^2 + \left(y^{IV}\frac{a^2\cos^2 {}^5/_2\,\alpha + b^2\sin^2 {}^5/_2\,\alpha}{b^2\sin. {}^5/_2\,\alpha} - \delta\cos. {}^5/_2\,\alpha\right)^2\right)}.$$

§ XXVIII.

Quibus expositis, in altero semiambitu AF'A' ellipseos eas- Fig. 13. divisiones, quas in semiambitu AFA' instituamus, quibus efficiuntur triangula ASb, bSc, cSF, F'Sc', c'Sb', b'SA', quæ sunt æqualia triangulis ASB, BSC, CSF, FSC', C'SB', B'SA'. Bases enim priorum triangulorum ex constructione nostra æquales sunt basibus posteriorum triangulorum. Reliquum est, ut demonstremus, altitudines priorum triangulorum altitudinibus posteriorum triangulorum esse æquales; sed cum hæc demonstratio prorsus similis sit ei, quam in sectione priori nostra attulimus, non denuo repetenda nobis videtur.

§ XXIX.

Si itaque valorem superficiei, seclusa basi coni scaleni pro basi ellipsin habentis, cujusque vertex majori ellipseos axi perpendiculariter immineat, posuerimus X', habebimus

X' = arc. AB × altid. △ ASB + arc. BC × alt. △ BSC
+ arc. CF × alt. △ CSF + arc. FC' × alt. △ FSC'
+ arc. C'B' × alt. △ C'SB' + arc. B'A' × alt. △ B'SA',

et cum AB = A'B', BC = B'C', CF = C'F,

X' = arc. AB × (alt. △ ASB + alt. △ A'SB')
+ arc. BC × (alt. △ BSC + alt. △ B'SC')
+ arc. CF × (alt. △ BSF + alt. △ B'SE) :

at valores harum quantitatum omnium inventi sunt in paragraphis præcedentibus; substituendo itaque habebimus :

$$X' = \frac{1}{2}\alpha\left(\left(\frac{\sin.(180^{o}-\alpha)}{\sin.\alpha}\left(1-\frac{a^2}{b^2}\right)y\cot.\alpha+\frac{y}{\sin.\alpha}\right)\right.$$

$$\left(\sqrt{\left[\gamma^2+\left(y''\frac{a^2\cos^2 {}^1/_2\alpha+b^2\sin^2 {}^1/_2\alpha}{b^2\sin.{}^1/_2\alpha}+\delta\cos.{}^1/_2\alpha\right)^2\right]}\right.$$

$$\left.\left.+\sqrt{\left[\gamma^2+\left(y''\frac{a^2\cos {}^1/_2\alpha+b^2\sin^2 {}^1/_2\alpha}{b^2\sin.{}^1/_2\alpha}-\delta\cos.{}^1/_2\alpha\right)^2\right]}\right)\right)$$

$$+{}^1/_2\left(\frac{\sin.(180^{o}-2\alpha)+\sin.\alpha}{\sin.\alpha}\left(\frac{a^2}{b^2}(y\cot.\alpha-y'\cot.2\alpha)+(y'-y)\cot.2\alpha\right)+\frac{y'-y}{\sin.2\alpha}\right)$$

$$\left(\sqrt{\left[\gamma^2+\left(y'''\frac{a^2\cos^2 {}^3/_2\alpha+b^2\sin^2 {}^3/_2\alpha}{b^2\sin.{}^3/_2\alpha}+\delta\cos.{}^3/_2\alpha\right)^2\right]}\right.$$

$$\left.\left.+\sqrt{\left[\gamma^2+\left(y'''\frac{a^2\cos^2 {}^3/_2\alpha+b^2\sin^2 {}^3/_2\alpha}{b^2\sin.{}^3/_2\alpha}-\delta\cos.{}^1/_2\alpha\right)^2\right]}\right)\right)$$

$$+{}^1/_2\left(\frac{\sin.(180^{o}-3\alpha)+\sin.\alpha}{\sin.\alpha}\left(\frac{a^2}{b^2}(y'\cot.2\alpha-b\cot.3\alpha)+(b-y')\cot.3\alpha\right)+\frac{b-y'}{\sin.3\alpha}\right)$$

$$\left(\sqrt{\left[\gamma^2+\left(y^{IV}\frac{a^2\cos^2 {}^5/_2\alpha+b^2\sin^2 {}^5/_2\alpha}{b^2\sin.{}^5/_2\alpha}+\delta\cos.{}^5/_2\alpha\right)^2\right]}\right.$$


$$\left.+\sqrt{\left[\gamma^2+\left(y^{IV}\frac{a^2\cos^2 {}^5/_2\alpha+b^2\sin^2 {}^5/_2\alpha}{l^2\sin.{}^5/_2\alpha}-\delta\cos.{}^5/_2\alpha\right)^2\right]}\right).$$


Nemo dubitat, quo major fuerit numerus triangulorum illorum, eo propius hunc valorem X′ ad verum superficiei conscaleni nostri esse accessurum. Item luce clarius est, magnitudinem anguli α semper a copia triangulorum pendere.

§ XXX.


Hactenus supposuimus verticem coni scaleni majori ellipseos axi perpendiculariter imminere. Interea tamen fieri etiam potest, ut vertex coni scaleni minori ellipseos axi perpendiculariter immineat. Sed modus procedendi semper idem est, hujus tantum discriminis ratione habita, quod tunc primum inquirendus sit valor superficiei triangulorum, quorum bases in dimidia ellipsi FAF′, quæ minore axe efficitur, constitutæ sunt. Generaliter itaque ponere possumus, valorem superficiei, seclusa basi coni scaleni pro basi ellipsin habentis, cujus vertex alterutri ellipseos axi perpendiculariter immineat, æqualem esse duplici valori superficiei omnium triangulorum, quorum bases inveniuntur in semiambitu ellipseos, qui illo axe efficitur, cui vertex coni scaleni perpendiculariter imminet.


Hæc sunt, quæ nobis de superficie coni scaleni dicenda visa sunt.







P. P. Geedts. f.






P. P. Goedts. f.







P. P. Gendre f.

XIII.

JOSEPHI ANTONII LEROY

RESPONSUM

AD

QUAESTIONEM CHYMICAM.

N.

JOSEPHI ANTONII LEROY,

ANTVERPIENSIS,

MEDICINÆ IN UNIVERSITATE LOVANIENSI STUDIOSI,

RESPONSUM

AD QUÆSTIONEM AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICO-PHYSICARUM PROPOSITAM:

Referantur Præcipua Phænomena Chymica, *quae duplicem interpretationem theoreticam patiuntur; illustrando processus, in quibus Phaenomena quaesita locum habent....*

QUOD PRÆMIUM REPORTAVIT.

. . . . Labor omnia vincit
Improbus.

Virg. Georg. I.

RESPONSUM

AD

QUAESTIONEM CHYMICAM.

PROOEMIUM.

Studium Medicinæ, quod jamjam toto animo eram amplexus, multæ satis operæ et laboris rem mihi conflabat, ut in co totam animi contentionem adhiberem, et ab alia quacumque re suscipienda mentem meam avocarem. Victus tamen et, ut ita dicam, blanditiis et utilitate infinita scientiæ captus, quæ cum medicina tam arcta cognatione tenetur, tempus de possibilitate novæ illius rei suscipiendæ consului, et omnibus exacte perpensis, arbitratus sum, horas meas subsecivas majori cum fructu consumptas esse, opus perpetrando, quod animo cogitabam, quam inanibus ætatis meæ indulgendo voluptatibus, quarum si non infelices eventus, nihil saltem in se fructus habent. Cum ideo persuasum haberem, novum quod mihi imponebatur pensum, ne minimas quidem afferre posse moras studio, cujus stadium mihi percurrendum erat, quæstioni huic quam de chymia Ordo proposuerat, respondendi consilium cepi. Dum autem tantum opus eram suscepturus, « Phænomena chymica, quæ duplicem interpretationem theore-

ticam patiuntur» expositurus, haud levis me corripuit metus, ne tanto oneri ferendo deficerent humeri, viriumque mearum ea foret debilitas, ut tantæ quæstionis solutionem, pro omni sua dignitate offerre nequirem. Quapropter, viri doctissimi, tenuem hanc commentationem perlecturi, ad vestram confugio benevolentiam, ut debiles hasce studiorum meorum indulgenter habeatis primitias, rogo atque etiam rogo. Persuasum habete, me hanc veritatem, ab inimitabili poëta Gallico emissam, semper ante oculos habiturum :

> Le dessein en est grand, le succès malaisé;
> Si je m'y perds, au moins j'aurai beaucoup osé.
>
> La Fontaine.

Attamen, alia ex parte, animos mihi addit idea, me novo huic studio nullo modo incubuisse, palmam commilitonibus meis disputaturum, sed eo tantum visu, ut in præclara illa scientia, cujus primis vix rudimentis eram imbutus, me magis ac magis exercerem, ut eo postea facilius e perennibus ejus haurire possem fontibus, chymiam ab arte curatoria sejungi non posse, sæpeque sæpius titubare medicinam, si ipsi chymia præsidio non foret, persuasus. Et quænam revera pars est medicinæ, quæ ex divina hac scientia utilitates suas non perceperit ? Anatomes, physiologia, hygienes, pathologia, ars medicamentaria, materia medica, therapia, medicina forensis cet. sua quæque vice illius auxilium implorant.

Variis reagentibus chymicis varios anatomicus ab invicem textus separat, ut eorum fabricam et naturam examinet et cognoscat. Cadavera integra aut cadaverum partes conservandi methodus, diversis processibus chymicis tota innititur. Inspi-

rati aëris et expirati analysis, oxygenium unum ex elementis esse respirationi et ideo vitæ absolute necessariis, physiologum edocuit : fluida et solida totius fere œconomiæ animalis analyseos imperium sunt experta. Notionum chymicarum ad hygienem applicatio nullam fere patitur intermissionem. Liceat hic ad nostram revocare memoriam methodos illas, Smithianam et Guytonianam, quibus infecta aurà pestilenti loca purgantur, et quæ diversarum copulationum aëriarum, quibus atmosphæra infici potest, decompositioni per vapores acidi nitrici et chlorem innituntur. Esculenta et potulenta civium consumptioni necessaria nonnunquam adulterantur, et non nisi chymia in auxilium vocata, de hac periculosa fraude medicus judicium ferre potest.

Num ipse practicus aliquando agnoscere non debet, notiones suas chymicas pathologiæ proprie dictæ applicandæ necessitatem ? Nonne obvii sæpe veniunt morbi, quorum veram naturam sola analysis chymica ipsum docere potest ? De hoc minime dubitandum, hoc enim manifeste et perspicue in diabete mellito et non mellito probatur. Quas ex chymia continuo percipit utilitates pharmacologia, longius prosequi omnino inutile foret. Nonne plurimorum egregiorum chymicorum analyticis operationibus pharmacopola debet nova illa producta, morphinam, emetinam, quininam cet., quorum omnes artis periti medicæ utilitates et commoda agnoscunt ? Maximi ponderis et momenti est, medicum chymicis imbutum esse præceptis, formulas rite concinnandi causa : quid futurum est, si ipsum theoria affinitatum fugiat ? Diversa inconsulto permiscebit medicamina, quæ in se invicem reagendo, se mutuo decomponunt, ignorantiæ suæ inevitabile fatum ! Ejusdem affinitatum theoriæ exacta cognitio haud minus necessaria est medico, vel

ut veneno periturum curet, vel ut de natura veneficii auctoritatem et judices præcipiat. In hoc præsertim ultimo casu medicus intelligere debet, quantum ipse humanæ societati noxius et periculosus fieret, si ignorantia sua, vel nocens crimine absolveretur, vel sceleris innoxius, quæ nunquam perpetravit crimina expiare cogeretur. Sed non solus medicus scientiæ hujus, qua indigere non potest, firmissimis argumentis, validissimisque ratiociniis utilitatem confirmare conatur, cuncti societatis ordines illius inclamant auxilia, ut e præclaris hisce omnino patet versibus :

Il fallut séparer, il fallut réunir :
Le peintre à son secours te vit alors venir,
Science souveraine, ô Circé bienfaisante,
Qui sur l'être animé, le métal et la plante
Règnes depuis Hermès, trois sceptres dans la main ;
Tu soumets la nature et fouilles dans son sein ;
Interroges l'insecte, observes le fossile ;
Divises par atôme et repétris l'argile ;
Recueilles tant d'esprits, de principes, de sels,
Des corps que tu dissous moteurs universels ;
Distilles sur la flamme en philtres salutaires
Le suc de la ciguë et le sang des vipères ;
Par un subtil agent réunis les métaux,
Dénatures leur être au creux de tes fourneaux ;
Du mélange et du choc des sucs antipathiques
Fais sortir quelquefois des tonnerres magiques ;
Imites le volcan qui mugit vers Enna,
Quand typhon s'agitant sous le poids de l'Etna,
Par la cime du mont qui le retient à peine,
Lance au Ciel des rochers noircis par son haleine.

LEMIÈRE, *Poème de la peinture.*

In stadium autem jam ingressus, haud diu nec multum dubius hæsi de rerum ordinatione, quæ in ipso mihi servanda erat. A simplicioribus ad implicatiora progrediendum esse arbitratus sum, eaque imbuto mente naturaliter quasi prima mihi occurrit expositio qualitatum naturæ, nec non existentiæ modi corporis, quod juxta nos omnium sistit simplicissimum, hydrogenii.

Procemio meo, doctissimi viri, finem imponere non possum, quin denuo vestram implorem indulgentiam, quin iterum vos rogem et obsecrem, ne nimia cum severitate dissertationis meæ scribendi rationem habeatis. Nolite, quæso, e memoria vestra deponere materiam quæstionis de qua mihi disserendum erat, in earum numero non reperiri, quæ elegantiis et facundiæ leporibus facile ornari possint, seriem vero phænomenorum esse, quorum, ut intelligantur consequentiæ, non eleganti et facundo, sed facili et claro sermone sunt enunciandæ: præterea, cum lingua, qua scribendo sum usus, verba recentioris omnino scientiæ propria non habeat, nova, quotiescumque gradum fecerim, obstacula inveni, quæ nunquam noverunt Latini, Latinorum lingua exprimere coactus.



CAPUT I.

§ I.

DE HYDROGENIO.

AERIS inflammabilis nomine salutatum quondam hydrogenium, aquæ alteram partem constituentem efficit, et compositionem substantiarum omnium, tum vegetabilium, tum animalium ingreditur.

Corpus Chymiæ præstantissimum haud immerito habetur; nullum etenim aliud, nec copulationes adeo generales inire, nec alia naturæ corpora tam levi ipsius substantiæ quantitate saturare videtur. Numerus hydrogenii æquipollens, 1, adæquat, dum ille oxygenii, quod nempe post hydrogenium minima materiei quantitate saturat, jamjam 7, 5 prostat. Nobis apparet tanquam corpus simplicissimum, quod jam usque analysis chymica oculis subjecit nostris, vel saltem solum omnium, quod in statu simplicitatis potuerit existere. Ubi de metallis sermo erit, videbimus qualitatem elementarem vel simplicitatis iis duntaxat corporibus propriam esse, parvo pondere gaudentibus, paucaque materiei copia saturantibus : atqui, cunctorum naturæ corporum hydrogenio nullum levius, nullumque alia corpora majori cum capacitate saturat : ipsius

materiei 1, sat superque est pro 7, 5 partibus oxygenii, 32 chloris, 120 iodis, 15 sulfuris; 25 radicalis Borussici, ut inde aqua, acida muriatica et iodica, hydrogenium sulfuratum et borussuratum enascantur. Oxygenio excepto, omnibus hydrogenium corporibus, quæ in vapores reduci possunt, expansionem suam tribuit.

Omni copulatione cum calorico expers apparet hydrogenium; nulla etenim hujus principii quantitas requiri videtur, ut ad gazis statum evehatur, et in eo retineatur statu, mirum insuper satis videri posset, corpus quod ubique se dederit occasio caloricum expellit, vel ipsum ipso expellitur, hocce cum principio copulatum fore. Cum hydrogenio repleatur cylinder vitreus, et emboli ope strenua celerique compressione gaz afficiatur, cylindrum illuminari, id est caloricum cum hydrogenio copulatum et compressione expulsum, luminis sub forma inde effugere non animadvertitur, uti et illud accidit, cum oxygenium, aër atmosphæricus et eidem experientiæ submittantur. Observatur duntaxat, cylindrum plus minusve calefieri, quod quidem ab expressione caloris *expansionis mechanicae* inter particulas gazis physice tantum interpositi dependere satis elucescit: non ita igitur res se habet, et in hoc quidem laudata hydrogenii simplicitas consistere videtur (1).

---

(1) Corpora solida calorem sibi vindicant, quem, ipso liquationis suæ momento, abscondunt vel ut vulgo dicitur *latentem reddunt;* et corpora liquida calorem similem, cum ad statum gazis evehuntur, assumunt: horum corporum caloricum *latens reddendi* potestas, iis formis circumscribitur. Gazia autem proprie dicta, caloricum sibi adjungere pergunt ad hoc usque punctum, quo *mechanice* rarefieri possunt, ut hoc probatur

Qualiacumque æqua justaque hæc hydrogenii appareant placita, longe tamen abest, quin ea ab universis admissa fuerint, multæque aliæ, de existentiæ modo hujus principii contemplationes, prodiere in lucem : RITTERUS e. g. dixit, hydrogenium nihil aliud esse quam aquæ cum electricitate positiva copulationem, et hoc quidem periculo innitebatur : duos assumpsit tubulos, quos aqua replevit et ita disposuit, ut eorum unus et alter columnæ galvanicæ extremorum filum exciperet, hocce quidem modo, ut filum extremi positivi in unum ex tubulis, filum autem extremi negativi in alterum emergeretur. Ita disposito apparatu, tertii fili metallici ope communicationem inter aquam in utroque tubulo contentam, stabilivit, et non nisi phænomena ordinaria, id est evolutionem oxygenii ad extremum columnæ positivum, hydrogenii autem ad extremum negativum, locum habere animadvertit. Cum autem RITTERUS in mente non habebat, oxygenium filum me-

---

et ex frigore, quod per eorum rarefactionem excitatur, et ex eorum constantia temperaturæ, cum, caloris ope, eadem rarefactio producatur : quam ob rem, per calorici applicationem gazia non calefiunt, nisi dum expansioni suæ obstaculum quoddam opponatur, et sic expansio certis limitibus circumscribitur; et eadem ista gazia, dum mechanica compressione afficiantur, in libertatem constituunt caloricum illud latens, quod sibi vindicaverant, et quod *Expansionis mechanicæ* nomine salutamus. Corpora solida et liquida, quæ eam expansionem non patiuntur, peculiare illud caloricum latens non habent : attamen corpora solida, quæ compressionis ope subitam molecularum ad se invicem admotionem experiri possunt, similem calorem evolvunt; liquida vero, quorum particulæ ad se invicem admoveri amplius nequeunt, eo modo calefieri non posse, neminem fugit. Quod hic de corporibus ad gazis statum evectis dicimus, de vaporibus dici eodem jure potest.

tallicum transgredi posse, ut sese transferret ad extremum positivum, nec hydrogenium idem transire filum, ut ad extremum negativum properaret, conclusionem cepit, observata producta, id est, oxygenii et hydrogenii evolutionem, ab aqua decomposita provenire haud posse: cum autem arbitrabatur solum fluidum electricum communicationem mediante filo metallico stabilitatem posse prætergredi, dixit: hoc fluidum, copulationem cum aqua in tubulis contenta ineundo, gazia producere, quorum evolutio observatur; et adjecit, electricitatem positivam ab extremo ejusdem nominis ad extremum oppositum properantem, et, iter faciendo aquæ occurrentem, sese cum ipsa copulare, eo modo hydrogenium construere, quod tandem ad extremum negativum progrediebatur (2). BERZELIUS cum agnovisset simul cum HEISINGERO, ammoniacam, columnæ voltaicæ intermedio, in metallum reduci posse, conclusionem effugiendi causa metalla corpora vere composita sistere, BERZELIUS inquam, hydrogenium concepit tanquam oxidulum cujusdam metalli, cujus azotum oxidum erat.

Quibusdam innixi consideratis hydrogenio inter metalla locum statuere non dubitarunt. Hujus theoriæ admissioni non indulgere quidem possemus, dicendo oxidum hydrogenii (*aquam*) cum aliis metallorum oxidis similitudinem exiguam, vel potius nullam habere; sed si facta accurate consideremus, et ad memoriam revocare nostram velimus, chymicos, ultimis hisce temporibus probavisse *Barytam*, *Siliciam* vera

(2) Ex eadem experientia dictum fuit, aquam corpus esse simplex, hydrogenii aut oxygenii formam induens, prout vel statu electrico positivo vel negativo gaudebat.

oxida metallica sistere, et, ut nunc extra omne dubium videtur, cunctas alias terras salificationis capaces tanquam oxida metallica haberi posse, summa hæc dissimilitudo ab oculis nostris quasi disparet et fugit. Nobismet ipsis itaque representare debemus, harum terrarum quibusdam, et quidem *siliciae glucinae*, et imprimis *aluminae*, cum oxido hydrogenii, id est cum aqua, magnam esse similitudinem : et eo major hæc apparere potest similitudo, quo duplici aqua sales formandi facultate gaudeat; cognitum enim est, aquam tum cum acidis tum cum oxidis coire easdem juxta rationes determinatas, juxta quas oxida cum acidis conjunguntur, salesque forma regulari crystallina donatos producere : vel strictiori adhuc sensu dici debet, producta ex unionibus aquæ cum cæteris corporibus *salificantibus* vel *salificabilibus* orta, ipsa formare sales, ut hoc postea frequenter observandi nobis dabitur occasio; et sola quæ admitti potest differentia in eo versatur, quod cæteris oxidis, oxidum simplicius aqua sistat. Sed ut magis meliusque perciperetur hæc inter aquam et aluminam similitudo, theoriæ, de qua agitur, auctores (3) sequenti ratiocinio sunt usi : supponamus quidem nostrum terrarum orbem, sub temperatura, infinite, ea qua fruimur minori, esse translatum; talis hæc temperatura concipi potest, qualis sub ipsa, aqua non tantum in statu solido foret, sed ut parum quidem fusibilis haberetur. Aqua reperiretur compacta, ingentes in massas coacta, vel in pulverem tanquam terra albicans redacta, æque in acidis et alkalibus solubilis, circiter quasi alumina.

---

(3) H. C. OERSTED; Recherches sur l'identité des forces chimiques et électriques, trad. de l'allemand par Mr. MARCEL DE SERRES. Paris, 1813. Chap. I, pag. 34.

Si præterea sub hac temperatura nihil mutatum supponatur nisi gradus fusibilitatis, tunc ad fusionem unius et alterius producendam, et alkalibus et acidis fixis uteremur; et hoc quidem modo, quoad similitudinem, alumina in corporum serie, juxta aquam poneretur. Si insuper duo hæc oxida repristinari possent, ipsa calefaciendo in contactu cum ferro vel cum alio quocumque corpore, partem combustibilem glaciei æque ac eam aluminæ verum metallum esse nullum jam amplius dubium foret : de hoc eo minus dubitare auderemus, quo et in hoc statu rerum, hydrogenium certe corpus solidum sisteret. Sed ad temperaturam orbis nostri ordinariam regrediamur : ibi oxidum (4) hydrogenii in statu liquido, aluminam vero non tantum solidam, sed et quasi infusibilem reperimus : elementum aquæ metallicum ibi aëriforme est, illud autem aluminæ solidum, et propter hanc causam, aquæ et aluminæ similitudinem, primo intuitu haud agnoscimus.

Ex opinionum diversitate quoad hydrogenii existentiæ modum, naturaliter quasi nascuntur interpretationes diversæ, phænomenon quo obtinetur, exponentes : ut obtineatur etenim, ferri limatura in vasculum quoddam introducitur, et acido sulfurico diluto conspergitur. Eodem fere temporis momento ingens animadvertitur effervescentia, qua gazis evolutio indicatur. Si nunc ferrum tanquam corpus simplex consideremus,

---

(4) Eo magis ut oxidum aqua considerari potest, quo secundam oxygenii rationem, qua in superoxidum convertitur, sibi adjungere queat, ut hoc in aqua sic dicta superoxygenata (superoxido hydrogenii) patet; nemique fugit nullum aliud corpus, nisi oxidum, secundam illam cum oxygenio copulationem pati posse.

ita illud phænomenon interpretari poterimus : aqua decomponitur; oxygenium ejus sese cum ferro conjungit, unde oritur oxidulum, quod cum acido sulfurico copulationem init, sulfatem ferri generat, dum vero aquæ hydrogenium, calorico *expansionis mechanicae*, quod sub operatione evolvitur conjunctum, sui juris fiat.

Nonne majori cum auctoritate diceretur, metallum cum oxidulatur mediantibus aqua et acido, ut revera in præsenti hac operatione hoc locum habet, nonne, inquam melius dici posset hydratem acidi, quin decomponatur, et quidem pro una suæ substantiæ ratione, locum rationis unius hydrogenii apud metallum assumere, unde, una vice, et oxidulum et sal oriuntur? In ultimæ illius interpretationis causa magis versabimur, si consideremus metalla oxidorum, quæ ab acidis jam in sales conversa sunt, ab hydrogenio una cum electricitate, primo contactu reduci posse : in hoc casu concipi debet hydratem acidi a metallo separari, æquivalentemque rationem hydrogenii, una vice et acidi et aquæ, apud metallum locum assumere : quod in formatione *arboris Saturni* et in aliis hujus naturæ reductionibus patet. Quidquid sit, phænomenon, de quo nunc sermo est ita, sub hoc visu, exhiberi posset : ratio una hydratis acidi sulfurici, qui conflatur ratione una, 37, 5 hujus acidi sicci, et una ratione 8, 5 aquæ, simul 46, assumit, quin patiatur decompositionem, locum rationis unius 1, hydrogenii apud rationem unicam, 25 ferri, unde, effectu quidem simultaneo, oritur ratio una 32, 5 oxiduli ferri in unione cum una ratione 37, 5 acidi sulfurici sicci, sulfatem efformans, qui pro numero æquipollente, 70 habet; et reipsa, $46 + (25 - 1) = 70$. Si ferro aliud substituatur metallum, e. g. zincum, res plane eadem erit, et in hoc casu habebimus

$46+(33-1)=78=$ numero æquipollenti sulfatis zinci, et sic ulterius pro omnibus, quæ natura suppeditat metallis vel arte efformantur. Caloricum, quod sub operatione evolvitur, illud est, cujus corpus combustibile, dum sese corpori comburenti conjunxit, sibi vindicavit locum.

Si ad ultimam hanc interpretationem animum paulisper attendamus, animadvertimus brevi, illo sulfatum formationem considerandi modo medium nobis suppeditari quo, cognito metalli cujuscumque repristinati numero, sulfatis ejus numerus cognoscitur, si, 46, numerus metalli æquipollens, unitate dempta, addatur : qua unitate ratio una hydrogenii exhibetur. Et reipsa

$$46+\left|\begin{array}{l}(33-1)=78= \text{numero æquipollenti sulfatis zinci}\\ (25-1)=70= \ldots\ldots\ldots\ldots \text{ferri}\\ (60-1)=105= \ldots\ldots\ldots\ldots \text{cupri}\\ (190-1)=235= \ldots\ldots\ldots\ldots \text{hydrargyri;}\end{array}\right.$$

et in genere, si exhibeatur per a numerus hydratis acidi sulfurici (46), per n numerus metalli, per S numerus ejus sulfatis, prodit :

$$S=a+(n-1).$$

Hac ex formula ea evolvitur :

$$n=(S-a)+1 \text{ (5)},$$

(5) Erui potest $a=(S-n)+1$, qua numerus hydratis acidi sulfurici cognoscitur, notis metalli repristinati et ejus sulfatis æquipollentibus numeris.

qua, cognito sulfatis metalli numero, ipsius metalli repristinati numerum cognoscimus, e. g.

$$n = \left| \begin{array}{l} (78-46)+1 = 33 = \text{numero æquipollenti zinci} \\ (70-46)+1 = 25 = \ldots\ldots\ldots\ldots\ldots \text{ferri} \\ (105-46)+1 = 60 = \ldots\ldots\ldots\ldots\ldots \text{cupri} \\ (235-46)+1 = 190 = \ldots\ldots\ldots\ldots \text{hydrargyri etc.} \end{array} \right.$$

Interpretationi nostræ opponi non poterit evolutio acidi sulfurosi, quæ sub dissolutione (6) cupri per acidum sulfuricum locum habet; probabilius enim multo est, acidum sulfurosum e subacidificatione partis cujusdam acidi sulfurici liberi per hydrogenium a metallo separatum, oriri : et ammoniaca, quæ in metallorum satis fortium dissolutionibus per acidum nitricum reperitur, e simili hydrogenio suam ducere debet originem, quoniam acidum nitricum majori longe cum facilitate, quam aqua, oxygenio suo orbari potest (7).

---

(6) Sub dissolutione, quæ ignis intermedio et extra aëris contactum peragitur.

(7) Si metallum ammoniacæ (ammoniacum) ab hydrargyro sejunctum, et ideo sine interpositione aquæ obtinere possemus, illud primis acidorum hydratibus oxidari et acidificari nequiret; hujus enim metalli sales non nisi beneficio rationis unius aquæ ipsorum, quæ constituentia quasi retinet, existunt, et ut hoc obtineatur, secundis uti hydratibus oporteret : primæ hydratationis aqua, hydrogenii rationem unam a metallo amoveret, et ea hydratationis secundariæ, inter acidum anhydricum et oxidum copulationem determinaret. Acidi cujuscumque hydras primus ab ammoniaco probabiliter etiam decomponeretur, et si talis esset hydras acidi sulfurici, aqua, acidum relinquendo ut hydrogenii sibi vindicet locum, acidi resolutionem

Sed acido sulfurico acidum substituamus nitricum, cujus hydras primus est 51 + 8, 5 = 59, 5.

Hydras acidi nitrici cum metallo quodam in contactu positus, eodem in illud aget modo, quam hydras acidi præcedentis, id est, ipsius substantiæ ratio una (59, 5), quin decomponatur, rationis unius, 1, hydrogenii locum apud metallum sibi vindicabit. Et revera

$$59,5 + \left| \begin{array}{l} (37,5 - 1) = 96 \quad = \text{num. æquipoll. nitratis potassii} \\ (27 \quad - 1) = 85,5 = \ldots\ldots\ldots\ldots \text{manganesii} \\ (100 \quad - 1) = 158,5 = \ldots\ldots\ldots\ldots\ldots \text{plumbi} \\ (102,5 - 1) = 161 \quad = \ldots\ldots\ldots\ldots\ldots \text{argenti,} \end{array} \right.$$

ita ut, cognito metalli cujuscumque repristinati numero, nitratis ejus numerus cognoscatur si, 59, 5, numerus metalli æquipollens, unitate dempta, adjiciatur : et in genere si repræsentatur per α numerus hydratis acidi nitrici (59, 5), per n, numerus metalli, per N numerus ejus nitratis, habetur :

$$N = \alpha + (n - 1);$$

quæ formula sequentem suppeditat :

$$n = (N - \alpha) + 1 \ (8).$$

---

determinaret in acidum sulfurosum, et in oxygenium, quod uniendo sese metalli hydrogenio, aquam formaret, et sulfatis loco, ammoniacæ sulfis ea aqua hydratatus produceretur. Ita tamen res se non haberet cum omnibus quibuscumque aliis acidis et e. g. iners omnino idem erga metallum acidum muriaticum foret, cum oxygenium, quod cum metalli hydrogenio aquam efformat, concedere nequeat.

(8) Evolvitur $\alpha = (N - n) + 1$, qua etc.

Qua, cognito nitratis metalli numero, ipsius metalli repristinati numerus eruitur, e. g.

$$n = \left| \begin{array}{l} (96 - 59,5) + 1 = 37,5 = \text{num. æquipoll. potassii} \\ (85,5 - 59,5) + 1 = 27 = \ldots\ldots\ldots \text{manganesii} \\ (158,5 - 59,5) + 1 = 100 = \ldots\ldots\ldots \text{plumbi} \\ (161 - 59,5) + 1 = 102,5 = \ldots\ldots\ldots \text{argenti.} \end{array} \right.$$

Acidi muriatici hydras, cujus numerus æquipollens per 24, 5 + 8, 5 = 33 exhibetur, eodem omnino modo ac præcedentium acidorum hydrates in metalla reagit :

$$33 + \left| \begin{array}{l} (40,5 - 1) = 72,5 = \text{num. æquipoll. muriatis antimonii} \\ (22 - 1) = 54 = \ldots\ldots\ldots \text{sodii} \\ (27,5 - 1) = 59,5 = \ldots\ldots\ldots \text{cobalti.} \end{array} \right.$$

Unde iterum sequitur, numerum æquipollentem muriatis cujuscumque metalli notum esse si, 33 numerus metalli, substracta unitate addatur. Et in genere, si fiat π numerus æquipollens hydratis acidi muriatici (33), n, numerus metalli, et M numerus ejus muriatis, oritur :

$$M = \pi + (n - 1); \text{ et}$$
$$n = (M - \pi) + 1 \text{ (9)},$$

Quæ denuo formula, ex cognitione numeri muriatis, numerum metalli repristinati nobis suppeditat; et sic ulterius.

(9) Eruitur $\pi = (M - n) + 1$, qua etc.

Tertia interpretatio phænomenorum, quæ in operatione, de qua locuti sumus, locum habent, in eo versatur, quod aquæ oxygenium non cum metallo, sed cum acido sulfurico copularetur, illudque acidum superoxydatum cum repristinato ferro conjunctionem institueret: hæc in eo innitur interpretatio, quod oxygenium jam *in antecessu* acido sit unitum, et quod ut tale obtineatur compositum, nihil quam ut suum acidi hydras amittat hydrogenium, requiratur. Ille explicandi modus probabilitate quadam induitur ex observato, quod nos docet, ea præcise acida, quæ impari rationum oxygenii numero conflantur, ea esse quæ pro incombinata ipsorum existentia, rationis unius aquæ adjunctionem postulant: ita ut numerum rationum oxygenii imparem, aquæ oxygenio ad numerum parem evehi, et hydrogenium superstructum manere, recte admitti possit.

Si in salificatione ferri, loco acidi sulfurici, acidum muriaticum adhiberetur, quarta de origine hydrogenii interpretatio hic adesset, et quidem hydrogenium a chlore suppeditari, dum ad ferrum chlores transit, arbitrari possemus: et ferri muriatis in aqua solutio duplici quoque modo explicanda veniret, scilicet vel metallum aquæ oxygenio oxidatur, et chlores aquæ hydrogenio acidificatur, vel murias ferri siccus, hujus metalli *chloruretum* dictus, aqua immediate solubilis haberi debet.

Alius chymicos haud fugit processus, mediante quo obtineri potest hydrogenium, et in eo quidem consistit, ut vapor aqueus transire cogatur per tubum ferri ramenta continentem, calore alibido ignitum, et pro hac re inter prunas in furno ardentes collocatum. Satis jamjam cognitum est experimentum illud,

quam ut ampliorem de apparatu pro re nata descriptionem instituamus.

Operatio ipsa æque ac præcedens, duplici interpretatione non caret : dici potest, primo loco, vaporem aquæ in contactu cum ferro incandescenti venientem, propter majorem ipsius oxygenii pro metallo, quam pro hydrogenio affinitatem decomponi : oxygenium cum ferro copulationem inire, unde ferrum oxidulatur, hydrogenium vero, hac decompositione in libertatem constitutum, nec cuivis corpori quo retineri posset, occurrens, sui juris fieri, et in recipientem pro hac re destinatum transire : 2) nonne hic applicari poterit theoria, de qua jam pluries sermo fuit, ea nimirum, juxta quam aqua apud metallum hydrogenii locum assumit, quin ipsa decomponatur? Hoc in casu diceretur, rationem unam vaporis aquei, caloris intermedio, apud metallum, rationis unius hydrogenii locum assumere.

Ille si admittatur videndi modus, in reductione oxiduli ferri vel cujuscumque alterius oxidi per hydrogenium, dici debet, non eo principio tolli oxygenium, hydrogenium vero aquæ sibi locum vindicare. Cum tale oxidum hydratem sistit, qui ignis intermedio decomponi non potest, ut e. g. hydras potassæ, eadem in reductione, rationem unam hydrogenii, rationibus duabus aquæ, sive unioni inter oxidationis et hydratationis aquam, apud metallum sese substituere, concipi debet.

§ II.

DE OXYGENIO.

Oxygenium, alterum aquæ constituens principium. quod

necnon aëris atmosphærici compositionem ingreditur, cujus et 1/5 voluminis efficit, uberrime in natura reperitur. Corpus chymiæ simplicissimum, post hydrogenium, nobis apparet. Oxygenium proprie dictum, id est, tale quale in *basi* corporum *inactiva* inesse concipi potest, ubi et æquali ponderatæ quantitati hydrogenii unitum esse videtur, sane corpus æque ac hydrogenium simplex sistit, sed cum id nunquam in eo simplicitatis statu obtinemus, nec ipsum nobis nisi gaziformiter appareat, ipsum non nisi in eo statu consideraturi sumus. Ab hoc statim momento, non amplius nobis corpus simplex est oxygenium, tunc enim 1 calorici copulatum est 1 oxygenii, vel quod et idem sonat, ratio una 7, 5, calorici, (10) rationi unicæ 7, 5 oxygenii conjuncta est, ut et inde gaz oxygenii oriatur.

Oxygenium in statu gazis existens, continuo cum calorico copulatum esse ita verum videtur, ut et nunquam incombinatum remanere potuerit, ne insaturatum quidem : illud etenim nunquam e quacumque copulatione egrediens videmus, quin et novam ingrediatur copulationem, nec combustibile quodcumque relinquens, quin vel ad caloricum, vel ad aliud com-

---

(10) In determinatione quantitatis calorici, qua saturari debet oxygenium, rationem illam *juxta pondus*, non vero per *vim saturationis* nos intelligere, nemo suspicabitur. Caloricum enim habemus *materiem gravem* solis, quæ materies ad hujus planetæ centrum continuo tendit, motumque *contripetem* erga ipsam exercet, perinde ac corpora terrestria continuo tendunt ad centrum terræ, simili, erga terrarum orbem motu animata. Caloricum igitur pondere destitutum et imponderabile nobis apparet, cum enim sine ulla intermissione conatur, ut a terra recedat et ad Solem, planetam suam popriam, redeat, lances nostras pondere suo deprimere non potest.

bustibile procedat; et dum combustibile, quod relinquit minori quam illud ad quod tendit energia polleat, eodem tempore certam calorici quantitatem oxygenium amittit (11), ita ut rationes inter combustibile et caloricum, pro oxygenii saturatione, determinatæ semper remaneant. A necessitate, qua nunquam nisi saturatum existere potest oxygenium, totam actionem vel affinitatem chymicam dependere nobis in animo est.

Ritterus ille, qui modo dixit, hydrogenium nihil aliud esse quam electricitatis positivæ cum aqua copulationem, oxygenium electricitate negativa cum eodem liquido conflari, sustinuit. In experimento, de quo sub expositione hydrogenii sermo fuit, vidimus electricitatem positivam ab extremo ejusdem nominis, ad extremum aliud properantem, cum aqua obvia conjunctionem iniisse, ut hydrogenium produceret; eodem in experimento, dixit Ritterus, electricitatem negativam, a polo ejus-

(11) Hoc autem contrarium videri posset, legibus affinitatis, juxta quas, in assueto rerum ordine, combustibile fortius combustibili minus forti substitui potest, non autem combustibile minori vi pollens, fortioris occupare locum, hoc inquam contrarium videretur, si in animum non revocaremus attractionum ordinem *vi ignis* inverti et, interveniente calorico, copulationes validiores, debilioribus *energia suparari*, uti perspicue probatur e plurimis decompositionibus quæ, *ignis intermedio*, inversum juxta affinitatum ordinem efficiuntur. Effectus illius causa naturaliter deducitur ex impossibilitate, quam experitur combustibile fortissimum, copulationem ineundi cum comburenti a quo calorici quantitatem in ratione cum *vi sua saturationis* amovere non potest, dum combustibile debilius hoc facile efficere queat. Et revera, simul ac refrigeratione caloricum dissipatur, corpus majori vi pollens vices recuperat suas.

dem nominis, ad extremum oppositum iter facientem, aquam obviam quoque suscipere, cum ipsa oxygenium efficere, cujus evolutio ad extremum positivum observari licebat. Oxygenium nobis habetur tanquam corpus omnium naturæ maxime comburens, et quidem *comburens absolutum* (12): ultimis tamen hisce temporibus hanc oxygenio prærogativam exclusive tribuere nonnulli dubitaverunt, dixeruntque chlorem et iodem æque ac oxygenium comburentia sistere: si autem ad existentiæ modum chloris et iodis animum attendamus, ea corpora comburentia revera esse, sed *qualitatem suam comburentem* oxygenio debere, videbimus. Chlores etenim nihil aliud esse videtur, nisi acidum muriaticum siccum oxygenio superstructum, iodes, acidum idiodicum siccum cum eodem principio junctum; hoc sensu oxygenium, tanquam corpus *comburens absolutum*, sane considerari potest.

Neminem fugit, de vi aut metalli debilitate cujusdam judicium ferri per gradum combustibilitatis, quo donatur metallum; duo metalla, eodem combustibilitatis omnino gradu prædita non dantur: metalla igitur, a maxime combustibili ad illud, quod minima combustibilitate gaudet, gradationum seriem sat longam efformabunt. A metallo maxima combustibilitate gaudente, descendendo ad *aurum*, e. g. series continuari posset per *platinum*, in quo combustibilitas adhuc est debilior, dein

(12) *Comburentis absoluti* qualitas, quam oxygenio tribuimus, proprietate sua innititur nunquam erga aliud quodcumque corpus *ut combustibile* agendi, et ex eo quoque deducitur quod, dum ab alio corpore apparatus voltaici intermedio separatur, se semper ad extremum positivum, nunquam vero ad negativum transferat.

per *iridium* et *osmium*, in quibus proprietas illa tam debilis invenitur, ut ab acidis strenuissimis quidem inquinari vix possint: cum ad gradum seriei perveneriraus, ubi combustibilitas metallorum ad nihilum quasi reducta videtur, series, ad incombustibilitatem perfectam usque, produci posset. Solum et unicum corpus omnino incombustibile, id est, proprietate *comburenti absoluta* donatum, oxygenium hic adest: oxygenium ergo, tanquam corpus omnino incombustibile, seriem metallorum finire, et ipsum inter metalla collocari, videmus.

Cum hydrogenio, ut supra dictum est, aquam efformat, de qua nunc dicendum.

§ III.

DE AQUA.

Aqua, liquidum illud ubique, varia sub forma, in natura obvium, ratione una, 7, 5 oxygenii, rationibus 6, 5 calorici, et ratione una, 1, hydrogenii, conflatur. Cum autem gaz oxygenii constat e ratione una 7, 5 oxygenii, et rationibus 7, 5 calorici (13), aquam, e ratione una hydrogenii quæ apud ratio-

(13) Proprie 1 oxygenii tanquam ratio una haberi debet erga 1 calorici, et 7, 5 oxygenii, erga 7, 5 calorici, 7, 5 rationes sistunt: sed cum oxygenium combustibilia non saturat nisi in consociatione cum calorico, et cum in ratione hujus consociationis corpora, veluti hydrogenium, per *totam suam massam* saturare non possit, pondus juxta quod 1 hydrogenii saturat, tanquam pondus *rationis suæ* adoptare debemus. Si hydrogenium, vel aliud quodcumque corpus *materie inactiva* orbatum,

nem unicam oxygenii rationis unius calorici locum assumit, oriri dici potest. Ea compositionis aquæ theoria, affinitatem oxygenii pro calorico, ad ipsius affinitatem pro hydrogenio, ut rationes 6, 5 : 1 sistere, nobis perspicue probat.

Attamen cum observatione constat, oxygenium corpus esse electro-negativum (14); hydrogenium autem electro-positivum, (15) ut et probatum videtur ex actione columnæ Galvanicæ, sub qua prius ad polum positivum tendit, dum posterius polum versus negativum deferatur, concipi potest, duas electricitates oppositas elementorum aquæ, mutua sua attractione, illorum elementorum unionem determinare posse, et sic aquam producere.

Supra dictum fuit, hydrogenium e copulatione electricitatis positivæ cum aqua originem ducere, oxygenium vero ex unione ejusdem liquidi cum electricitate negativa; inde concipi potest, quod si aqua positiva sive hydrogenium, cum aqua negativa sive cum oxygenio in contactum veniat, et miscelæ corpus quoddam ignitum appropinquetur, status duos electricos sese confundere, se ipsos, ut ita dicam, *neutralisare*, uno verbo, disparere, et utrinque aquam enasci (16).

---

integram calorici quantitatem ab oxygenio amovere posset, juxta rationes ponderatas æquales unirentur; affinitas autem calorici cum oxygenio, quæ combustibilium, eodem cum principio, affinitatem multo superat, semper impedit, quo minus talis conjunctio locum habeat.

(14) Electro-resinosum.

(15) Electro-vitreum.

(16) Interpretatio, cujus falsitas haud facile probari posset, in eo consistit quod, in sensu *chymiæ phlogisticæ* admitteremus caloricum, quod

Aqua disjungi potest mediante apparatu galvanico, et ad hunc scopum columnæ agentis, cum extremis duobus in communicationem liquidum ponitur : propter combustibilitatis differentiam metallorum, quæ ad polum utrumque inveniuntur, aqua disjungitur : oxygenium ut comburens, ad polum tendit positivum, hydrogenium, uti combustibile, polum negativum versus defertur. Comburens vel oxygenium ad polum positivum tendit, quia et ipsum negativum est ob amissionem calorici, quam, sese combustibili conjungendo, passum est : combustibile autem ceu hydrogenium, versus polum negativum defertur quia, cum et nihil amiserit, et nihil igitur resumere debeat, ipsum electricitate positiva donatur : in hoc adstante decompositionis aquæ experimento, facta, per scintillam electricam, elementorum aquæ, oxygenii et hydrogenii separatione, oxygenium status incombinati vel insaturati omnino expers, et medietati electricitatis obvium, fluidum illud, combustibilis loco, sibi adjungit, et fixat, (17) inde negativum evadit, et proin ad polum posi-

---

in formatione aquæ aut in alia quacumque copulatione evolvitur, a combustibili, non autem ab oxygenio ceu corpore comburenti originem ducere. Hic in eo inniti potest visus quod hydrogenium, tanquam corpus minori gaudens pondere, majorem calorici quantitatem continere debeat, et e contra, quod oxygenium magis multo ponderans, minori calorici copia scateat. Illa si interpretatio admitteretur, doctrina phlogistici pristinam suam auctoritatem et existimationem denuo recuperaret.

(17) Hoc eo verisimilius apparet, quod fluidum electricum, haud immerito a plurimis tanquam *Caloricum modificatum* sive *Calorici modificatio* habeatur : tunc in præsenti hoc casu, oxygenium, in loco combustibilis amissi caloricum sibi vindicat, quam oxygenii proprietatem jam exhibuimus, cum (pag. 23) oxygenium semper a combustibili ad caloricum et *vice versa* transire, diximus.

tivum tendit. Hydrogenium vero, cum et nihil perdiderit, quin e contra electricitatis medietatem assumserit, statu electricitatis positivo donatur, et ideo extremum negativum versus defertur, ut et ibi restituatur æquilibrium.

Aliam phænomenon illud interpretationem patitur, et quidem hoc modo : si aquam consideramus tanquam compositum binarium AB; per A repræsentari poterint moleculæ oxygenii, quæ compositionem aquæ ingrediuntur: moleculæ vero hydrogenii per B; facile concipi potest, quod si moleculæ A sese in statu electricitatis negativo constituere possint, moleculæ autem B in statu electricitatis positivo, facile, inquam, concipi potest, has moleculas a se invicem, mediante apparatu galvanico, separari posse, quantacumque sit earum mutua affinitas. Fluidum etenim positivum moleculas negativas A ad se attrahet, dum vero moleculæ positivæ B fluidi negativi attractionem patiuntur.

Juxta hunc videndi modum dicere debemus, aquæ disjunctionem, apparatus galvanici ope, locum habere, ob evictam inter hydrogenium et oxygenium affinitatem, quod quidem 1) per vim, qua oxygenium versus extremum positivum attrahitur, et ab extremo negativo repellitur; 2) per vim, qua hydrogenium ad polum negativum tendit, a polo positivo repulsum.

A plurimis aqua introsumitur et dissolvitur corporibus, et quidem ab aere atmosphærico, cujus compositionem et proprietates paucis illustraturi sumus.

§ IV.

DE AERE ATMOSPHÆRICO.

Aer, fluidum illud grave, constituens atmosphæram, in qua terrarum orbis cunctaque ad ipsum spectantia, continuo immersa jacent, olim ut corpus simplex, elementare, habitus fuit.

Tanquam principium primitivum aerem consideravere veteres, propterea quod nec ipsum alteratione quavis afficere, nec ipsum, mediis mediantibus, quæ tunc temporis chymia, in prima sua ætate, ipsis præbebat, decomponere potuerint. Cum autem illis, perinde ac nostris temporibus, aer atmosphæricus, in phænomenis tam naturalibus, quam arte productis, vices agebat suas, oriri inde debuit, ut phænomena illa, cum accuratione aptata, cognitionibus, quæ de aeris existentiæ modo habebantur, illi interpretati fuerint. Numerosa nimis illa sunt phænomena, quam ut de singulis enumeratio fiat, unicum et præcipuum quidem ad memoriam revocare nostram sat superque erit, ut et exactam habeamus de cæteris notionem. Phænomenon combustionis hoc erit :

In quibus, inquiebant veteres, consistere potest hæc aeris miranda proprietas, qua corpus nullum combustibile non nisi adstante aere comburi possit, qua insuper eo celerius corpora comburuntur, quo magis corpora illa aer amplectitur? BOERHAVIUS, in tractatu suo in perpetuum admirando, De Igne, arbitrabatur, aëris concursum alendæ corporum combustioni requisitum esse, quia et ipsius pondere et elaterio

flammam continuo corpori urenti applicatam tenet, et sic contactus corporis cum flamma multum augetur.

Alii, (aerem semper tanquam corpus simplex habentes), ipsum *materialiter* ad flammæ productionem concurrere putabant, id est, aerem talem, qualis sit, flammæ partem constitutivam efficere : verum enimvero, aeris data quantitas, pro determinato solum et semper eodem tempore, quantitatis datæ materiei combustibilis combustionem alere potest : si e. g. candela accensa sub campanula ponatur, ita quidem ut omnis cum aëre externo communicatio sit clausa, pro aliquo flamma subsistit tempore, eo quidem longiori, quo et amplior sit campanula, sed paulatim intensitate imminuit, donec tandem extinguatur omnino quia, aiebant, cum determinata sit aëris quantitas, quæ sub campanula latitat, et omnis insuper, cum exterioribus intercepta sit communicatio, determinatæ quoque quantitati materiei combustibilis, combustioni inservire potest, non majori. Credebant igitur, quantitatem aëris datam, ad productionem flammæ *materialiter* concurrisse, et hac aëris quantitate extincta, aërem residuum, alendæ flammæ non amplius inservire posse, et eo modo candelam, per alimenti inopiam extingui necessum esse. Postea Stahlii sectatores, aëris concursum in combustione interpretati sunt ipsum attribuendo necessitati, qua urgetur aër *phlogisticum* resumendi, quod e corporibus combustibilibus evolvitur, et cujus privatione, combustibilitas in iis corporibus omnino tollitur : sic aerem purum *aeris dephlogisticati* nomine salutabant, aër autem, oxygenio suo orbatus per combustionem, *aër phlogisticatus* ab ipsis vocabatur. Longe aberant, ut putarent, aërem reipsa flamma decomponi, et elemento ad combustionem absolute necessario orbari.

Alium omnino recentiores de aëre atmosphærico sermonem ferunt : aër atmosphæricus, inquiunt, constat mensuris 4 azoti rationes duas efficientibus, et mensura una oxygenii, efficienti rationem unam : sistit itaque suboxidum azoti, vel potius conflatur ex 1/4 mensura vaporis aquei, qua azotum organisatur, nulla facta condensatione cum mensura 1/4 vel ratione dimidia oxygenii, omnino condensata. Accedit 1/100 pars gazis acidi carbonici, quæ constanter in aëre reperitur, et sic ad compositionem ejus tanquam pertinens considerari potest.

Si diligenti cum animo omnia consideremus, quæ in aëre atmosphærico locum habent phænomena, brevi animadvertimus, theoriam de aëris existentiæ modo jam usque receptam, longe abesse quin et ad finem suum tetigerit, novaque fortassis interpretatione indigere.

Omnes qui, ad hunc usque diem, de aere atmosphærico fecerunt sermonem, hujus fluidi locum inter corpora inorganica statuerunt, illudque continuo tanquam corpus vita orbum et quidem ut miscela constitutum consideraverunt. Videamus nos autem, num aër atmosphæricus aptiorem occuparet locum inter corpora naturæ a cæteris continuo distinguenda proprietatibus suis organicis et vitalibus, videamus, uno verbo, num aer tanquam corpus vivens et organicum considerari possit, vel saltem num inter hæc corpora et aerem, miranda quædam similitudo inveniatur.

In regno organico animal videmus assumens ut vescatur iis, omnis generis substantias, maxime inter se dissimiles : hæc autem alimenta, talia qualia assumuntur, animantis nutritioni et augmento inservire non possunt : sed vitæ proprietatibus, quibus præditum est, alimentorum partes absolute alibiles

sibi assimilat, et in propriam corporis sui substantiam convertit, uti azotum, carbonium, phosphorum etc.: alias autem, tanquam excrementitias, et ad reparanda, quæ continuo patitur, detrimenta haud idoneas, rejicit.

Eodem in regno, plantam videmus e terræ visceribus, materias inter se longe diversas haurientem: illæ, tales quales hauriuntur materiæ, haurientis ad nutritionem aptatæ non inveniuntur, sed uti in præcedenti casu, per actionem, qua donatur vitæ, alimentorum quibus utitur planta, partes ad existentiam suam absolute necessarias retinet, uti carbonium, hydrogenium, oxygenium, aquam cet. et, functione, excretionis nomine salutata, alimentorum partes omnino inutiles respuit.

Nonne equidem, facta omnino similia in aere atmosphærico observamus? Nonne videmus, aerem haud secus ac corpora organica, sibi tanquam alibiles assimilare substantias, quæ ad existentiam ejusque nutritionem conferre possunt, ipsumque ut excrementitias rejicere, omnes substantiarum quarumcumque partes, quæ inutiles ipsi forent, vel ipsi nocere potuerint? aer tamen atmosphæricus directe non semper assimilat sibi substantias nutritioni suæ inservientes, sæpe sæpius eas in aquam convertit, quam *sepositam servat*, (18) et pro arbitrio suo et necessitate decomponit, prout ipsius existentia reparatione quadam indigeat. Ob hanc assimilationis aquosæ necessitatem plerasque materias gazeïformes, quæ in atmosphæra evolvuntur, aer disjungit. Si hydrogenii sulfurati in aere fiat

(18) Qu'il tient en réserve.

evolutio, illico gaz illud decomponitur : aer hydrogenium assumit, quod in aquam convertendo sibi assimilat, sulfur autem præceps fertur.

Quibus indiget adhuc aër atmosphæricus, ut tanquam corpus organicum habeatur ? Nonne inter constituentia sua annumerat combustibile acidifiabile, oxygenium et aquam, uti regnum vegetabile, tale combustibile sed alterius naturæ, hydrogenium loco oxygenii, et insuper aquam pro constituentibus habet ? Si regni animalis constituentia ita separari et inter se distribui possent ut, ex una parte, azotum cum oxygenio partis cujusdam aquæ, et cum aqua non disjuncta unirentur dum, alia ex parte, carbonium cum partis cujusdam aquæ hydrogenio, et cum aqua pariter indisjuncta copulationem institueret, si talis, inquam, separatio locum haberet, nonne prima in partitione constituentia aëris, et in secunda, plantarum elementa inveniremus? Si, quæ per *analysim* separavimus, *syntheseos* ope recolligamus, nonne præcipua regni animalis elementa iterum conjuncta habemus? Nonne nobis exinde concludendi jus est, animalium vitalitatem e vitalitatibus simul plantarum et aëris oriri? Porro, an ipsa vitalitas quæ a vegetabili ad animal tam insigniter increvit, ex unione corporis inorganici et mortui, cum corpore, quod inertem et debilem trahit vitam, exsurgere posset? Minime hoc credimus, eaque consideratio, ad aëris existentiam ut corpus organicum, maximo nobis argumento est.

Aër atmosphæricus si tantum miscela esset, constituentia ejus juxta rationes determinatas non existerent, et compositionem unicam et semper æqualem non diu servarent. Si cum aliis dixerimus, aërem verum compositum et *corpus crystalli-*

num sistere, quod quæcumque naturæ suæ rejicit heterogenea, difficultas multo major erit, quam si tanquam corpus vivum et organicum habeatur?

Oxygenium quod in aëre reperitur, omni sua expansione, qua tanquam gaz incombinatum donatur, non gaudere, nemo jam non agnoscit: et cum oxygenium existere non potest, quin prorsus calorico, aut combustibili quodam saturetur, aquæ vapore vel azoto aqua organisato, saturari debet: porro, oxygenii cum aqua copulatio, in aqua oxygenata vel potius in superoxido hydrogenii, manifeste probatur. Rationes æquales oxygenii et aquæ, in aëre unire posse, eamque unionem in superoxido statu existere, non dicemus: aquæ vapor qui, per ipsius cum calorico conjunctionem, combustibilior multo quam aqua liquida factus est, sese in statum hypersuperoxidi et etiam hyposuperoxidi constituere potest. Hanc copulationem init oxygenium cum, e sola renovationis suæ fonte, radiorum solarium intermedio, e plantis evolvitur. Ad eam evolutionem producendam, simul concurrunt lumen, caloricum, quod aquæ hydrogenium a carbonio organisato separavit, et vapor aqueus, qui oxygenium sibi vindicat, priusquam omnino evolvatur. Si in organisationis statu azotum retineatur, ipsum, in unione cum aqua, ab animalibus rejici verisimile est et in combustionibus, ubi eodem tempore et hydrogenium comburitur, et aqua evolvitur, azotum, sufficientem aquæ quantitatem, ut denuo organisetur, assumere, non minus probabile videtur, si tamen, durante combustione, ipsius completa *deorganisatio* locum habere possit. Aëri in aquam actionem mere mechanicam tribueremus, si hoc liquidum ad statum vaporis evectum, in aëre mechanice tantum interpositum esse crederemus. Non hic considerandi locus est status varios, sub quibus

aqua necessario in aëre existere debeat; hoc ad meteorologiam chymicam attinet, et amplissimum dicendi argumentum suppeditat.

Aër atmosphæricus diu in vasis clausis, vel sub campanula quadam reclusus, omnes dotes suas vitales amittit, et mutationes, quibus in atmosphæra obnoxius est, non amplius experitur. Talis aër, tanquam vera morte affectus, id est, omnibus quibus, adstante vita, proprietatibus gaudebat destitutus, considerari debet. Hæc aëris pars vere mortua dici potest, quia, cum non amplius cum integra aëris atmosphæræ massa in communicationem sistat, ab ea amplius alimenta sua recipere non potest, non amplius ergo nutritur, qualitates igitur et proprietates amittere debet suas, morte tandem affici, membro a corpore animali separato, ramulo a planta sua detracto, similis.

§ V.

DE AZOTO.

Azotum combustibile acidificabile sistit, aëris atmosphærici compositionem pro 4/5 ipsius voluminis ingrediens; azotum combustibile acidificabile dicitur quia, cum oxygenii sufficienti quantitate conjunctum, proprietates acidas exhibet, acidum nitricum, nitrosum etc. efformat. Hoc visu, necnon juxta combustibilium acidifiabilium, de quibus postea fusius sermo erit, theoriam (19) azotum, a quibusdam ut corpus simplex ha-

(19) Azotum, tanquam combustibile acidificabile, aptiorem occupare locum videretur, ubi de iis corporibus sermo habetur; ab ipsis autem azotum

bitum, acidum nitricum siccum erit, rationibus 5 hydrogenii superstructum, quoniam rationes 5 oxygenii requiruntur ut in acidum convertatur nitricum, quod ratione una azoti cum rationibus 5 oxygenii, 13,5 et 37,5 eo nempe gradu, in quo azoti hydrogenium ad aquæ compositionem proportionatum sit, conflatur. Si hoc ita non foret, vel si acidum nitricum, acidum verum esset acido sicco et aqua haud oxygenata conflatum, tunc ammoniacum, hydrogenium purum sisteret, et tale quale DAVYUS et DOEBEREINERUS, ipsum sese cum hydrargyro condensare, arbitrati sunt : si hoc, inquam, ita non foret, admittere coacti essent chymici, azotum aquam esse rationibus 5 hydrogenii onustam, et ammoniaca eodem liquido tribus insuper rationibus hydrogenii, id est rationibus 8, superstructo, conflata videretur. Hoc sensu brevi apparet, cunctos azoti oxygenationis gradus, ad acidi nitrici gradum usque aquam fore, majori vel minori oxygenii copia onustam, hoc autem acidum, aquam, cum *absoluta* et ultima hujus principii quantitate, sistere; (20) ita quidem ut acida aquæ indoles

---

separamus, et de eo hoc ipso loco mentionem facimus, duplici hac ratione innixi : 1) azotum sane combustibile acidifiabile sistit, quia cum oxygenio acida efformat; sed insuper alkali cum hydrogenio efficiendi proprietate gaudet, qua proprietate a combustibilibus acidifiabilibus proprie dictis distinguitur et aberrat; 2) quod proxime sequitur corpus, cujus proprietates et natura nobis quoque sunt illustranda, ex azoto et hydrogenio conflatur; porro, juxta naturalem rerum ordinationem, quam ab initio amplexi sumus, de composito in genere disserere non possumus, quin prius seorsim et ex ordine, quantum fieri potest, de ejus elementis dixerimus.

(20) J. B. VAN MONS, principes élémentaires de Chimie philosophique, pag. 247.

acidum nitricum constituens, e modo, quo ipsius elementa inter se mutuo combinata sunt, oriretur, et quidem primo inter hydrogenium et aquam, ut efformetur azotum, dein cum oxygenio, ut inde oriatur azoti oxidum cum oxygenio iterum, gazis nitrosi producendi causa, et sic ulterius ad acidum nitricum usque, quo quidem modo diversæ producuntur condensationes, et sic corpus ab aqua longe discrepans, quamquam et eadem constituentia habeat, in ortum produci potest. Quod duplicem de acidi nitrici compositionis modo interpretationem nobis præbet.

Calculum tamen admittendo unde oriretur azotum, non nisi ex oxygenio et hydrogenio conflari, peti facile potest, quomodo et in hoc casu per azoti reductionem vel ejus oxygenii ablationem, metallum obtinere possumus? Responsum nostrum erit, chymicos jam plures, inter quos DOEBEREINERUS, hydrogenium tanquam metallum calorico gazificatum consideravisse, quod quidem, de hydrogenio loquentes supra jam diximus (21). Sua vice BERZELIUS azotum tanquam metalli oxidum, cujus hydrogenium oxidulum erat, consideravit, destructisque in ammoniaca duobus his oxidationis gradibus per columnæ galvanicæ actionem, ammoniacæ metallum, ceu ammoniacum, eo modo produci, admisit. Dixerunt etiam nonnulli, azotum oxidum metallicum esse, et hydrogenium azoto superjungi posse, ut et hydrargyro nonnunquam superjungitur.

Supra diximus, azotum cum oxygenio acidum nitricum producere, juxta rationes 13,5 azoti, cum 37,5 oxygenii; si tamen rationem ad oxygenium solummodo referamus, dicemus 7,5 oxygenii cum 2,7 azoti acidum nitricum; 7,5 oxygenii

(21) Vid. § 1, pag. 13.

cum 3,38 azoti acidum hyponitricum; cum 4,5 azoti acidum nitrosum; cum 9 azoti gaz nitrosum, cum 13,5 azoti oxidulum hujus combustibilis efficere.

Cum acidum nitricum non nisi cum ratione aquæ conjunctum existere queat, concipi potest illud acidum, in statu suo liquido, inter rationem unam azoti et rationes sex oxygenii copulationem efficere, in ea copulatione qualitatem acidam per rationem unam hydrogenii evolvi, et in nitratibus qualitatem salinam, ex eadem copulatione per unam metalli rationem oriri. Acidum nitricum ex acido nitroso et aqua superoxygenata conflari, haud minori cum fundamento dicere possumus. Interpretationis hujus in auxilium ruere videtur, miscelam vaporis nitrosi et oxygenii, in ratione acidi nitrici, copulationem non efficere priusquam ratio una aquæ oxygenium sibi vindicaverit, et cum acido nitroso conjunctionem instituerit; vel etiam si miscelæ rationis unius vaporis nitrosi et rationum duarum oxygenii, ratio una hydrogenii adjiciatur, unde pariter aqua superoxygenata oriri potest.

Attamen azotum cum hydrogenio productum quoddam alkalinum, volatile, uno verbo ammoniacam efficit: cum autem omne corpus, quod sese hydrogenio conjungit, comburentis vices, relative ad hoc combustibile absolutum agere debeat, et cum insuper ex unione hydrogenii cum azoto, corpus alkalinum oriatur, azotum *comburens alkalifiabile* sistere, dici poterit.

Chymici quidam, oxygenii existentiam in azoto negaverunt, quam quidem ammoniacæ compositio probare videtur. Neminem etenim fugit, hoc alkali rationem acidi salis formandi gratia, saturare; atqui, juxta principium generaliter receptum

omne corpus rationem acidi saturans, rationem saltem unam oxygenii contineat necesse est : inde ratio una oxygenii in ammoniaca contineatur opportet, quod autem oxygenium non nisi ab azoto provenire potest.

Cum autem in ratione una 13,5 azoti contineantur 7,5 oxygenii, remanent adhuc partes 6 alterius cujusdam corporis, azoti combustibile fortassis efficiens, et hoc si corpus hydrogenium ipsum non sistat, hydrogenii saltem saturationis capacitate gaudet, quoniam 6 ejus substantiæ partes, rationes 6 oxygenii in acido nitrico saturant. Cum cæteris Berzelius (22) hanc opinionem *naturae oxidatae* azoti participat, et combustibile illud voluminibus paribus oxygenii et combustibilis quod *nitricum* vocat, conflari arbitratur ; et juxta rationes ponderatas ex 55,68 prioris et 44,32 posterioris, ex sententia ejusdem chymici azotum constare videtur, quæ quidem compositio cum ea congruit, quam azoto jam tribuimus, et juxta quam azotum e dimidia ratione combustibilis et ratione integra oxygenii conflaretur : talem compositionem omnibus quibuscumque combustibilibus acidifiabilibus supponi posse, postea videbimus.

Cum hydrogenio, ut jamjam dictum est, azotum congrediens ammoniacam producit, ad quam nunc sermonem transferamus.

§ VI.

DE AMMONIACA.

Ammoniaca ex unione rationis uniusve 13,5 azoti, et ra-

(22) Lehrbuch der Chemie, I. Th. Bl. 226. 1820.



tionibus tribus, 3, hydrogenii, originem ducit. Si autem acidum nitroso-nitricum consideremus, ut e ratione una 13, 5 azoti, et rationibus quatuor, 30, oxygenii conflatum, azotum e rationibus 4 hydrogenii, et ratione una acidi sicci constet necesse erit; hoc autem visu ammoniacam e ratione una acidi sicci et rationibus 7 hydrogenii conflari, dici potest.

Oxidum metallicum a plurimis habetur ammoniaca, et quidem partibus 9 metalli + 7, 5 oxygenii = 16, 5, quod numerum ammoniacæ æquipollentem efficit, conflatum. Ille, volatilis hujus alkali compositionis modus, cum sequenti satis experientia congruit: cum ammoniaca, sive liquida, sive salis sub formam constituta, actioni columnæ galvanicæ submittatur, in contactu quidem cum hydrargyro, ille volumine augetur, concrescit, formam insignem crystallinam accipit, quin et splendore metallico et metalli forma destituatur: hoc ita interpretari experimentum licet: ammoniaca disjungitur; hydrogenium a disjuncta columnæ aqua proveniens, cum oxygenio alkali congreditur, dum et ejus basis metallica extremum negativum versus translata, cum hydrargyro copulationem init, amalgama constituens. Basis alkali volatilis metallica *ammoniacum* nuncupari solet: quod de formatione metalli ammoniacæ, et ideo de formationis modo ipsius alkali, tanquam oxidum metallicum considerati diximus, per experimenta a BERZELIO et HEISINGERO instituta, confirmatum videtur: cum amalgama ammoniacale in aquam immergatur, inquiunt clarissimi illi chymici, ammoniaca reproducitur, hydrogenium evolvitur, et ad primitivum hydrargyrus statum revehitur. In hoc enim casu, aiunt BERZELIUS et HEISINGERUS, aqua disjungitur, cujus oxygenium cum ammoniaco copulatur, am-

moniacam reproducens, dum et hydrogenium sui juris fiat (23). Nonne potius dici potest, rationem unam aquæ, quin decomponatur, apud metallum (ammoniacum) rationis unius hydrogenii locum assumere? Eo magis interpretatio illa vera videtur, quo hydrogenium metalli compositionem ingrediatur, nihilque impedire debeat quin metallum rationem unam hydrogenii amittat et ejus in loco rationem aquæ sibi vindicet.

Cum, in contactu cum aere ponatur amalgama, aiunt iterum Berzelius et Heisingerus, oxygenium aëris absorbetur, ammoniaca reformatur, hydrargyrusque pristinum ad statum reducitur.

Si autem has juxta considerationes, basim ammoniacæ metallum esse stabiliamus, hoc metallum tanquam corpus simplex considerabitur ab omnibus qui cæteris metallis simplicitatis titulo gratificantur: si autem metalla ex hydrogenio et materie inactiva conflata habeamus, brevi videbimus, metallum, de quo nunc sermo est, e ratione hujus materiei una, et rationibus octo, 8, hydrogenii conflatum sistere. Azotum enim ut jamjam dictum fuit, e rationibus 4 hydrogenii cum ratione una acidi sicci conficitur; ammoniaca igitur rationes 7 hydrogenii et acidi sicci rationem unam continebit, et consequenter ammoniacæ metallum, vel ammoniacum, hydrogenii rationes 8, sine acido sicco, sed ejus loco materiei inactivæ rationem unam contineat necesse est.

---

(23) Eadem ammoniacæ metalli reoxidatio paulo post amalgamatis formationem locum habet, et quidem efficitur per aquam quæ sub de oxidatione formatur et cujus certa pars inter amalgamatis particulas interposita manet.

Hanc autem theoriam, de natura compositionis ammoniacæ, nec non amalgamatis ammoniacalis non generaliter receperunt chymici : alium eadem de re proposuerunt videndi modum GAY-LUSSACIUS et THENARDUS, qui ammoniacam ut simplicem azoti et hydrogenii copulationem considerantes, amalgama ammoniacale ex hydrargyro, hydrogenio et ammoniaca conflatum putant. In hujus amalgamatis formatione, inquiunt, aqua, necnon sal ammoniacalis actioni columnæ subactus, decomponuntur : aquæ oxygenium, salis ammoniacæ acido stipatum ad extremum positivum vergit, dum hydrogenium, concomitante alkali ceu ammoniaca, extremum oppositum ceu negativum versus tendat. In hoc extremo, aiunt auctores nostri, hydrogenium et ammoniaca, hydrargyro obvia, cum eo copulationem ineunt, influentiæ electricæ vel forsan affinitatis cujusdam chymicæ beneficio, et sic amalgama, de quo nunc loquimur in ortum ducunt. Hæc autem theoria, inquiunt, GAY-LUSSACIUS et THENARDUS, optime quidem exponit omnes, quas hydrargyrus in hac experientia experitur mutationes, ubi, amalgamatis formam induens, magnam ponderis sui partem amittit. Hydrogenium et ammoniaca, juxta hos chymicos, levem condensationis gradum experiri videntur, cum et ipsa affinitas qua cum hydrargyro conjunguntur ita debilis sit, ut et sola cessante electricitatis influentia, eorum copulatio cesset et omnino disjuncta prostent : multum ergo hydrargyri volumen augere et consequenter ipsius hydrargyri gravitatem specificam imminuere debeant.

Eosdem semper juxta chymicos phænomena, quæ sub amalgamatis ammoniacalis formatione observantur, ipsorum opinionis in auxilium quoque ruunt : in extremo positivo oxygenium cum acido salis ammoniacalis sui juris fieri, dum in ex-

tremo negativo, adstante hydrargyro, nullam cujusvis gazis evolutionem observandam esse adnimadverterunt; absente autem hydrargyro, evolutionem gazis magnam observavere. Cum autem hæc hydrogenii evolutio, adstante hydrargyro, locum non habeat, et ablato quidem appareat, non possumus fere non admittere, inquiunt, hydrogenium cum metallo copulationem inire, vel uno verbo, amalgamatis compositionem ingredi. Iidem chymici ultra jam rem tulerunt, dixeruntque sub productione amalgamatis per actionem hydrargyri et potassii in sal quoddam ammoniacale humectatum vel aquam continens, hanc aquam potassio disjungi, oxygenium potassio assumi, hydrogeniumque et certam ammoniacæ quantitatem cum hydrargyro copulationem inire. Juxta eorumdem adhuc chymicorum opinionem, amalgamatis disjuncti producta, huic theoriæ favere non minus videntur. Principiorum ejus constituentium separatio, amalgamatis saltem per columnæ actionem obtenti, maxima cum facilitate efficitur, et sponte quidem, cessante electricitatis influentia, locum habere videtur. Cum amalgama in vasi vitreo angustiori perfecte sicco et aëre pleno includatur, et per minuta aliquot agitetur, observaverunt GAY-LUSSACIUS et THENARDUS hydrargyrum reproduci, hydrogeniumque et ammoniacam sui juris fieri immixta aëri vasi incluso, qui autem aër ne minimâ quidem alteratione, nulla oxygenii amissione afficiebatur. Notatu dignum, amalgama potassii intermedio obtentum non eadem cum facilitate disjungi, nisi prius levis potassii quantitas, qua inquinatur adhuc, ab ipso separetur : tunc æque ac primum facile disjungitur; vel etiam si paulisper calefiat, eadem locum habet disjunctio, eadem producta obtinentur. Hisce consideratis, conclusionem nostri ceperunt chymici, amalgama nihil aliud esse nisi conjunctionem inter hydrargyrum, hydrogenium et ammoniacum cum, et in

illa principia, nullius cujuscumque corporis intermedio, resolvi possit. Si vero, inquiunt, e basi ammoniacæ deoxidata constaret, oxygenio ad reproducendam eam basim opus esset, sed unde oxygenium illud proveniret? nulla hujus principii quantitas ab aëre, quem vas vitreum continebat substracta fuit, nec aqua, quæ oxygenium largiri potuerit, adest.

Ubi de potassa sermo erit, videbimus in Anglia a MURRAYO (24) propositum fuisse ut, substantia metallica, columnæ galvanicæ intermedio ex hoc alkali obtenta, tanquam metalli et hydrogenii conjunctio haberetur. Nonne, inquit chymicus Anglus, hujus substantiæ compositio, amalgamatis ammoniacalis compositioni a GAY-LUSSACIO et THENARDO stabilitæ, omnino respondere videtur? Potassium tale quale illud obtinemus, omnibus metallicis proprietatibus, excepta tamen densitate, gaudet; gravitas ejus specifica, aquæ gravitate quidem inferior. Proprietates suas metallicas verosimiliter e substantia sua metallica stricte tali, uno verbo e basi sua, levitatem suam ex hydrogenio, quod sibi copulatum habet, assumit. Eodem quidem modo (MURRAYUS semper loquitur) proprietates amalgamatis metallici, ab hydrargyro, qui ejus basim sistit, levitas illius relativa ab hydrogenio, quocum electricitatis vel potassii intermedio conjunctum est, derivantur.

§ VII.

DE POTASSA.

Alkali fixum, quod potassæ nomine salutamus, metalli cujus-

---

(24) Vid. § VII. pag. 48.

dam potassii dicti, oxidum sistit. E plantarum quarumdam cineribus, cineres lixiviando extricatur. Hoc modo potassam obtineri manifestum est, sed quo producatur modo haud liquet. Multas inter et varias quidem de hac re hypotheses, duæ inclaruere præsertim, quas hic translaturi sumus. Arbitrantur quidam, potassam in plantis, e quibus elicitur, præexistere, et in ipsis quidem acido cuidam vegetabili, quo aquâ insolubilis redditur, unitam esse. Hanc juxta hypothesim, alkali ab acido, ignis ope liberatum, inter cineres combustione productas apparet et a cineribus, lixiviando, separatur. Posterioris hypotheseos sectatores, potassæ in plantis præexistentiam denegant, ipsamque sub combustione formari putant.

Potassa in metallum, potassium dictum, et oxygenium resolvitur, cum ejus hydras ceu potassa caustica, strenuioris columnæ galvanicæ actioni submittatur. In hacce quidem operatione aqua columnæ disjungitur : oxygenium ad extremum positivum tendit, dum hydrogenium, hydrati potassæ occurrens, eum resolvit, oxygenium ejus in aquam convertendo, metallumque nativam ad formam revocatum, secum ad extremum negativum transfert, ubi cum adstante hydrargyro amalgama efformat.

Aliam juxta electricitatis hypothesim, eam nimirum, in qua duo fluida electrica diversa admittuntur, fluidum nempe vitreum et resinosum, phænomenum, de quo agitur, ita interpretari poterimus :

In hoc autem systemate fluidum vitreum in polo vitreo, quem positivum vocavimus, oriri dicitur; dum vero fluidum resinosum, in polo resinoso, quem negativum diximus, exsurgat. His positis, si supponamus oxygenium oxidi potassii e

aquæ, quam oxidum illud continet, electro-resinosum, metallum autem electro-vitreum sistere, tunc 1) amborum extremorum actione, oxygenium tanquam electro-resinosum polo vitreo attrahetur, metallum vero, ut electro-vitreum, polum resinosum versus properabit. Tunc 2) victa inter oxygenium et metallum affinitate, propter vim quâ oxygenium polo vitreo attrahitur, et metallum ad polum resinosum properat, duo hæc corpora a se invicem separari debent, et inde adhuc potassæ in oxygenium et metallum resolutio.

Potassium quoque obtinetur, cum mediante apparatu pro hac re nato, nec non elata temperatura, ferrum in potassæ hydratem ceu potassam causticam reagere cogatur. Sub hac operatione aqua in hydrate potassæ contenta expelli, dein disjungi dicitur. Aquæ oxygenium cum ferro congreditur, unde ferrum oxidulatur, hydrogenium vero potassam ad statum metallicum reducit, unde potassium exoritur. Nonne melius ac majori cum fundamento phænomenum illud explicari posset, ut sequitur? Aquæ ratio, qua potassæ ratio una hydratatur a ratione una ferri, rationem unam hydrogenii separat, quod hydrogenium, apud potassam, unicæ rationi aquæ substituitur, aqua autem illa, ultimo quidem effectu, apud secundam ferri rationem locum assumit rationis unius hydrogenii, quod sui juris fit. In hacce quidem operatione duæ oxiduli ferri rationes efformantur pro ratione una potassæ, quæ ad statum metallicum revehitur. Cæterum, in omni casu, rationi consentaneum magis esse videtur dicere, oxygenium ab aqua hydratationis ferro separari, et aquæ hujus hydrogenio oxidum potassii ad metallicum statum reduci. In hac interpretatione admittere tamen debemus aquam, quæ a reductione oritur, vice sua ferro decomponi, quoniam hydrogenium evolvitur et colligi potest.

Substantiæ metallicæ, quæ obtinentur, cum potassa vel soda columnæ galvanicæ actioni submittantur, a DAVYO ut metalla vera habitæ fuerunt, unde chymicus ille, alkalia nil aliud esse, nisi conjunctiones inter has bases metallicas et oxygenium, conclusionem ceperat. Hæc autem conclusio generaliter primum admissa non fuit, variæque theoriæ de potasii et sodii natura et ipsorum cum potassa et soda relationibus propositæ fuerunt.

Aliam quidem de potassii natura, et quo obtinetur modo, interpretationem in Anglia proposuit MURRAYUS (25), interpretatio quæ cum et singulas potassii proprietates bene satis explanat, verosimilitudinem nonnullam habere visa est. Chymicus Anglus cum DAVYO, supponit, potassam reipsa ex oxygenio et basi quadam metallica conflari, et in potassii productione potassam disjungi et oxygenium a basi suâ separari; sed potassium, tale quale obtinetur, non ut veram illam basim, quacum oxygenium in potassâ copulatur, habet, illud vero tanquam hanc basim hydrogenio superstructam, considerat. Cum e. g. Alkali, de quo nunc sermo est, columnæ galvanicæ actioni sumittatur, aqua quam continet, disjungitur : oxygenium ad extremum positivum vergit; Basis alkali metallica simul cum hydrogenio ad extremum oppositum properat, ubi, omnino vel pro parte tantum, concomitante hydrogenio sese superstruens, potassium tale quale obtinetur producit.

Ille interpretandi modus non aberrat a theoria productionis potassii per actionem, quam ferrum in potassam altiori quidem

---

(25) A supplement to the second edition of a system of chemistry; pag. 47. Edinburgh. 1812.

temperatura, exercet : hoc in casu et alkali et aquæ disjunctæ oxygenium ferro attrahitur, dum alkali basis metallica, aquæ hydrogenio sese superstruens, potassium in lucem profert (26).

Potassium, ut novimus, rationem unam 7, 5 oxygenii, ut oxidum cinereum fiat, sibi adjungit; sed præterea duas adhuc oxygenii rationes sibi adjungere potest et tunc in oxidum crystallinum flavum convertitur. Oxidum illud processu altero sequenti obtinetur, potassæ hydratem (potassam causticam) cum oxido rubro hydrargyri igne urgendo. Post expulsionem aquæ in alkali caustico latentis, rationes duæ oxygenii oxidi hydrargyri cum potassa congrediuntur, unde oxidum potassii flavum; hydrargyrus autem, amisso oxygenio, ad statum metallicum reducitur. Num etiam dici potest, aquam alkali caustico expulsam disjungi, oxygenium ejus cum potassa congredi oxydum flavum efformans, hydrogenium vero cum oxydo hydrargyri, quod sic ad nativum statum revehitur, copulationem inire?

Pluries jam de hydrate potassæ locuti sumus, quin tamen

---

(26) Eo tempore, quo metalla alkalina detecta fuerunt, et priusquam theoriæ, quas supra chymico Anglo adscripsimus, in lucem prolatæ fuerint, vir doctissimus VAN MONS in epistola ad VAN MARUM conscripta, quæ in Annalibus physicis Italiæ anni 1799 inserta fuit, simili prorsus modo illorum metallorum formationem est interpretatus, et arbitratus est, alkalium fixorum causticorum affinitatem cum aqua tantam esse ut, cum hujus liquidi oxygenium *reactioni deoxidanti* columnæ cedere debeant, aquæ hydrogenium retinerent; cum autem experientia demonstratum fuerit, metalla aere sicco oxidata, oxida largiri ab eorumdem oxidorum hydratibus omnino dissimilia, opinio illa auctoritatem suam sustinere diu non potuit.

ipsius compositionem et existentiæ modum exhibuerimus : hydras potassæ, conjunctio inter oxidum potassii et aquam vulgo concipitur. Rectius forsan haberetur ut constans e superoxido potassii, in quo qualitas alkalina æquali ratione hydrogenii evoluta fuerit, quo explicandi modo oxidum illud in ratione plus minus directa cum azoto poneretur, in quo qualitates alkalinas hydrogenium quoque evolvit.

Potassæ sales acidi cujuscumque cum oxido potassii generaliter dicuntur, sed haud minori cum verisimilitudine sustinere possumus, composita illa ex acido superoxidato et metallo redivivo conflari ; quin insuper corpora illa e superoxido potassii et acidis subacidificatis constare, sustineri potest.



CAPUT II.

DE COMBUSTIBILIBUS ACIDIFICABILIBUS.

Chymicorum nonnulli tanquam vere elementaria ceu simplicia habent corpora quædam, quæ juxta alios quosdam vera composita sistunt et ab ipsis *combustibilia acidificabilia* vocantur. Talia sunt: azotum, sulfur, carbonium, phosphorus, borum, selenium etc. Qui autem iis corporibus qualitatem elementarem denegant, ea ex acido sicco et hydrogenio, aut combustibili æquivalente non oxidato conflari, eorumque acidificationem oxygenii ope, hydrogenio in aquam converso, effici dicunt. Tum acidum siccum ab efformata aqua, vel hydratatur, ut in acido carbonico, acido borico; vel subhydratatur, ut et id in acidis nitrico, sulfurico etc. locum habet. Acidum ipsum siccum, eosdem juxta chymicos, e combustibili quodam debili et quod oxygenio magis saturatur, quam hydrogenium, hoc principio in aqua scateat, conflatum sistit: immo sic explicatur, quomodo aqua erga acidum illud siccum oxidi vices agat, dum erga cætera alia corpora vices acidi sibi vindicet (27). Cæterum naturale satis videtur, aquam ut oxi-

(27) J. B. Van Mons, principes élémentaires de chimie philosophique, pag. 98.

dum agere, cum et ipsa nihil aliud quam oxidum, oxidum nempe hydrogenii, sistat.

In combustibilibus acidificabilibus acidum siccum contineri jam satis probare videtur invariabilitas rationis qua, qualiscumque sit combustibilium compositio, alia corpora saturant: etenim ratio una, 45 potassæ æque bene saturatur ratione una, 15 sulfuris, ratione 22,5 oxidi sulfuris, ratione 30 acidi sulfurosi, ratione 37,5 acidi sulfurici, ratione 16 hydrogenii sulfurati, ratione denique una sulfuris hydrogenati. In omnibus iis substantiis ratio una sulfuris continetur, quo quidem probari videtur, corpus quoddam hoc in combustibili latens, non vero oxygenium vel hydrogenium adhibitum cum oxygenio oxidi potassii congredi; corpus autem illud non nisi acidi sicci oxygenium esse potest.

Acidi sicci præexistentia in combustibilibus acidificabilibus ulterius quoque probatur modo, quo aqua in hæcce corpora reagit. Cum in tubo porcelaneo carbonium ad incandescentiæ gradum, vel sulfur ad liquefactionem usque incalescant, et per hunc tubum vapor aqueus transire cogatur, tunc e priori obtinetur hydrogenium cum oxido carbonii, e posteriori autem hydrogenium cum acido sulfuroso, et id loco acidi carbonici et hydrogenii carbonati, et loco acidi sulfurici et hydrogenii sulfurati: priori in casu, rationes 2 hydrogenii cum acido sicco carbonii remanent, et duæ rationes aquæ sese separatis duabus hydrogenii rationibus substituunt. In casu posteriori, id est quoad sulfur, ratio una hydrogenii remanet, duæ autem rationes aquæ, rationum duarum hydrogenii quæ sui juris factæ sunt, locum occupant.

Si attento paullulum animo combustibilium acidificabilium

compositionis modum consideremus, animadvertimus brevi quantitatem hydrogenii, qua ea corpora, priusquam acida evaserunt, superstructa erant, determinari quantitate oxygenii qua, ut evolveretur aciditas, opus erat: e. g. 11,5 carbonii in combustibilis acidificabilis statu rationibus 4 hydrogenii sunt superstructa, quoniam per additionem rationum 4 oxygenii aciditas detegitur et apparet, id est carbonium in acidum carbonicum transformatur: in cæteris omnibus res ita se habet.

Eo præsertim acidi præexistentia in combustibilibus acidificabilibus probatur, quo acidum illud sive acida qualitas corporibus natura omnino diversis uti per oxygenium et hydrogenium in sulfure et selenio, per chlorem in oxido carbonii, per fluorem in boro, per corbonium hydrogenio unitum, per aquam, vel per aquæ elementa etc. evolvatur.

Præexistentiæ acidorum in combustibilibus acidificabilibus idea Stahlii, viri clar. est et illius discipulorum, qui acidum illud præexistens phlogistico saturatum credebant, uti nostris quidem temporibus hydrogenio scatere putatur.

Cum directa nulla constet experientia, corpora oxidata corporibus redivivis ceu non oxidatis uniri posse, cum vero factis omnibus comprobetur, in copulationibus secundariis rationem inter æqualia oxygenii pondera stabiliri, e facili quorumdam combustibilium acidificabilium cum alkalibus et terris alkalinis copulatione, non solum in iis combustibilibus oxygenii præsentia, sed etiam quantitas præsentitur: et separatio calorici quod simul caloris intensi et luminis sub forma in iis unionibus evolvitur, probat insuper corpus quoddam, quod non nisi oxygenium esse potest, caloricum illud continere.

Dum autem nunc de combustibilibus acidificabilibus agatur, quædam hic ad hanc corporum seriem stricte spectantia referre haud alienum esse videtur. Corpora illa certis legibus, quas *expansionis* eorum *leges* vocamus, submittuntur et juxta quas illa corpora tum inter se, tum cum aliis corporibus uniuntur : incipiamus denuo per hydrogenium a quo, juxta nos, combustibilitas dependet, et quod ob hanc causam uti combustibile primum et absolutum consideramus. De corporibus ad gazis statum evectis, et quæ igitur volumine dato mensurantur, hic tantum sermo erit. Prædictæ autem leges ordine sequenti enumerari possunt :

I.

Hydrogenium expansionem voluminum 4 habet, ejusque voluminis unitas per 4 repræsentatur. Id autem ita concipitur : ratio una, 1 hydrogenii volumen duplo majus quam oxygenium occupat, quod pro unitate voluminis 2 habet. Etenim ratio una 7,5 oxygenii spatium 20 pollicum cubicorum replet, dum ratio una, 1 hydrogenii spatium 40 poll. cub. amplectatur.

II.

Volumen gazis ceu vaporis, cujuscumque combustibilis acidificabilis, cujus elementa in ordinem reductionum gazëiformium reduci possunt, hydrogenii semper volumen æquat.

III.

Cum in conjunctione duorum gazium, quorum unum e

combustibili absoluto vel relativo provenit, alterum e comburenti absoluto quoque vel relativo, numeri ipsorum volumina repræsentantes, æquales inter se reperiantur, nulla tunc observatur condensatio, et compositum ex hac unione ortum, expansionem quam repræsentat summa numerorum expansionem elementorum ipsius exhibentium, habet. Cum e. g. 40 poll. cub. vaporis carbonii, cum 40 poll. cub. oxygenii conjungantur, nulla facta condensatione, expansio oxidi carbonii, quod hac ex conjunctione oritur, ad 80 poll. cub. evehitur ac remanet.

Hæc regula generalis sequentem exceptionem, et quidem in acidi sulfurosi formatione, patitur : ibi etenim 40 poll. cub. vaporis sulfuris cum 40 poll. cub. oxygenii congrediuntur, expansione ad voluminis dimidium reducta. Exceptionis illius causa in eo verosimiliter invenitur, quod ex hoc congressu corpus acidum, acidum nempe sulfurosum enascatur.

IV.

Cum vero in eorumdem gazium unione, prædicti numeri inter se æquales exhibeantur, tunc condensatio et quidem voluminis minoris per volumen majus condensatio observatur, perinde ac si majus illud volumen ad dimidium reduceretur et cum minori ad volumina paria congrederetur, ita ut compositum ex hac unione ortum, expansionem gazis volumine prævalentis habeat. E. g. 40 poll. cub. azoti, cum 20 poll. cub. oxygenii, ut azoti oxidulum constituant, congrediuntur: coarctatio manifesta locum habet, et volumen totum ad azoti expansionem reducitur: 20 poll. cub. oxygenii, cum 40 poll. cub.

hydrogenii ad formationem aquæ uniuntur cujus vapor expansione per 40 poll. cub. exhibita, gaudet (28).

V.

Cum duo gazia, ambo a combustibili absoluto vel relativo provenientia simul congrediantur, volumen condensatur et ad dimidium sui reducitur, ita ut corpus ex hoc congressu natum, expansione quam repræsentat dimidia summa numerorum, expansionem elementorum ipsius exhibentium gaudeat. E. g. 40 poll. cub. vaporis carbonii, cum 40 poll. cub. azoti congrediuntur, et expansio radicalis borussici (29) ex hac unione nati, ad 40 poll. cub. vel ad $\frac{80 \text{ p. c.}}{2}$, reducitur. 40 poll.

---

(28) Quando copulatio ita perficitur ut magna *citra rationem* (sous-rapport) quantitas materiæ comburentis, magnæ *ultra rationem* (sur-rapport) quantitati materiæ combustibilis uniatur, uti et hoc in aere atmosphærico contingit, tunc prioris ceu comburentis condensandi potentia ad nihilum quasi reducitur, et volumen totum mutationem nullam experitur. Ex hac patet circumstantia, in copulationibus, ubi 4 volumina combustibilis ad ipsorum expansionem 2 volumina comburentis elevare videntur, 4 illa combustibilis volumina a comburenti ad expansionem suam reduci : et reipsa quodcumque gaz facilius multo condensari debet, copulationis infra expansionem proportionalem suam beneficio, quam, sine interveniente calorico, ultra eamdem expansionem dilatari. Et cum in prædicto exemplo, 2 volumina oxygenii cum 4 voluminibus azoti congredientia, ad azoti expansionem reducantur, azotum coarctari et oxygenium nullo modo rarefieri, credi licet : opinionis quoad hoc objectum differentia tanquam interpretatio duplex considerari potest.

(29) *Cyanogenium* Gay-lussac.

cub. vaporis sulfuris, cum 40 p. c. hydrogenii copulationem ineunt, et expansio hydrogenii sulfurati, quod inde oritur, ad 40 p. c. vel ad voluminis sui medietatem condensatur. 40. p. c. vaporis phosphori cum 40 p. c. hydrogenii, phosphorum hydrogenatum constituendi causa congrediuntur, cujus voluminis unitas vel expansio per 40 p. c. quoque repræsentatur.

VI.

Cum composito (gazeïformi), ex unione duorum combustibilium *relativorum* provenienti, volumen unum ceu 40 p. c. alterius cujuscumque combustibilis opponatur, condensatio nulla animadvertitur et expansio novi hujus compositi, quod inde oritur, per summam numerorum elementa ejus exhibentium, repræsentatur: e. g. 40 p. c. radicalis Borussici cum opponantur 40 p. cubicis hydrogenii, acidum Borussicum (30) constituunt, quod expansione 80 p. cubicis exhibita, gaudet. Si tamen res ulterius protraheretur, id est si 80 p. cubicis secundi hujus compositi, 40 p. c. combustibilis alicujus adhuc opponerentur, condensatio locum haberet expansioque ad 80 p. cubicos primitivos reduceretur, propterea quod expansio nullius corporis gazeïformis, quodcumque sit illud corpus, ultra 8 volumina vel 80 p. cubicos protrahi potest. Hac de re alcool sulfuris (liquor LAMPADII) nobis exemplum præbet: in hoc enim composito quod ex unione duorum combustibilium *relativorum* inter se oritur, 40 p. c. vaporis sulfuris, primo loco, cum 40 p. cub. vaporis carbonii congrediuntur, et expansio juxta le-

---

(30) *Hydrocyanicum* GAY-LUSSACII.

gem stabilitam (leg. V) ad 40 p. c. reducitur: ad hæc, 40 p. c. vaporis sulfuris, secundo loco, opponuntur, et propter legem expansio ad 80 p. c. remanet; et cum liquoris LAMPADII volumen naturale ultra hanc expansionem extendi non possit, duo alia vaporis sulfuris volumina, quæ secundæ huic conjunctioni adhuc addenda sunt, ut compleatur copulatio, successive condensantur ita, ut expansio sulfureti carbonii ad 80 p. cubicos remaneat.

VII.

Cum composito (gazeïformi), quod ex unione combustibilis *relativi* cum combustibili *absoluto* sive hydrogenio oritur, 40 p. c. alterius cujuscumque combustibilis opponantur, condensatio locum habet et expansio ad voluminis sui medietatem reducitur: e. g. 40 p. c. phosphori hydrogenati cum opponantur 40 p. c. hydrogenii, hydrogenium phosphoratum producunt, cujus expansio per 40 p. cubicos exhibetur. Si tamen continuaretur copulatio et 40 p. cubicis secundi hujus compositi, 40 p. cubici combustibilis cujusdam conjungerentur, nulla amplius observaretur condensatio, et expansio ad 80 p. cubicos remaneret. Illud in formatione ammoniacæ observare possumus: ut hoc alkali constituant, 40 p. c. hydrogenii, primo loco, cum 40 p. cubicis azoti congrediuntur, et juxta legem (leg. V), expansio ad medietatem voluminis reducitur : ad hæc, 40 p. c. hydrogenii, secundo loco, opponuntur, et expansio pariter ad dimidium voluminis condensatur: 40 p. c. hydrogenii, ut compleatur copulatio, tertio loco, accedunt, nulla coarctatio animadvertitur, et expansio ad 80 p. cubicos, quæ ammoniacæ expansionem sistit, remanet.

VIII.

Omnia combustibilia quorum aciditas per oxygenii quantitatem numero pari repræsentatam, omnino evolvitur, oxidum primum ceu oxidulum non habere videntur: omnibus autem iis primus oxidationis gradus conceditur, quæ suam, impari oxygenii rationum numero complent aciditatem: ita fit ut carbonium, cujus acidum completum rationes 4 oxygenii continet, oxidulo, in statu saltem incombinato orbetur; sulfuri vero, cujus acidum completum rationes 3 oxygenii includit, primus oxidationis gradus ceu oxidulum sulfuris concedatur.

IX.

Omnia combustibilium acida, in quibus quantitas oxygenii impari numero repræsentatur, non nisi rationi aquæ vel oxidi conjuncta existere possunt: in hoc quidem casu numerum oxygenii copiam referentem complere et, ut ita dicam, exæquare videntur. Talia sunt acidum sulfuricum tribus oxygenii rationibus conflatum, acidum nitricum oxygenii rationes 5 includens, acidum oxalicum, quod tribus etiam oxygenii rationibus efficitur.

Hæc tamen regula generalis exceptionem pati videtur in acidis metallicis, quæ quamvis rationum oxygenii impari numero conflata, existentia prorsus libera et incombinata gaudent. In iis autem acidis prima oxygenii ratio tanquam oxygenii acidi sicci partes agens considerari potest; et hoc posito, acida metallica considerari poterint, ac si oxygenii rationum pari numero constarent.

Existentia autem omnino libera iis conceditur combustibi-

lium acidis, quorum pari numero oxygenii copia exhibetur : acidum carbonicum rationibus oxygenii 4, acidum sulfurosum rationibus duabus oxygenii conflatum hinc referri possunt.

X.

Omnia combustibilium acida completa, in quibus oxygenii quantitas impari numero repræsentatur, *subacida* habent, quorum numerus par oxygenii copiam exhibet. E. g. acida sulfuricum et nitricum, quæ impari oxygenii numero complentur, *subacida*, sulfurosum et nitrosum habent, quæ ambo oxygenii copiam pari numero exhibitam continet; et, vice versa, cuncta combustibilium acida completa, in quibus oxygenii quantitas numero pari repræsentatur, *subacida* habent, quorum oxygenii copiam numerus impar exhibet. Ita fit, ut acidum carbonicum, quod pari numero rationum oxygenii completur, *subacidum* habeat, acidum nempe carbonosum seu oxalicum, quod oxygenii copiam numero impari repræsentatam continet. Hoc enim acidum, ut neminem fugit, rationibus 3 oxygenii conflatur.

In acidis, quæ propter imparem oxygenii numerum existentia incombinata privantur, tanquam duplex interpretatio supponi potest, aquam vel oxida quæ, imparem numerum ad parem elevando, liberam ipsis existentiam largiuntur, illis acidis oxygenium suum cedere et sic ad hydrogenii vel metalli redivivi statum reduci.

Comburentium acidificabilium acida sicca, quæ oxygenium suum cedere nequeunt, non magis acidis impari rationum oxygenii numero conflatis uniendi sese facultate gaudent; et

reipsa copulatio inter acidum sulfuricum neque acidum hyponitrosum, neque acidum nitricum neque oxalicum cognoscitur : copulationes autem observantur inter rationes 2 chloris et rationem unam oxidi carbonii, unde acidum muriaticum siccum acido carbonico (4 rationibus oxygenii conflato) unitum oriuntur; inter rationes duas chloris et rationem unam phosphori, unde acidum phosphoricum (pari rationum oxygenii numero conflatum) et acidum muriaticum siccum formantur; inter rationem unam acidi fluorici sicci et rationem unam acidi boracici, quod pariter oxygenii rationum pari numero formatur, et sic ulterius : quæ omnia interpretationis in auxilium veniunt, juxta quam oxygenium oxidorum vel aquæ ad acida impari rationum oxygenii numero constantia, transfertur.

§ I.

DE SULFURE.

Plerique inter chymicos sulfur tanquam corpus elementare et simplex habent : ab aliis tanquam combustibile acidificabile, acido sicco et hydrogenio conflatum, consideratur. Hydrogenium in hocce combustibili contentum esse, haud magna cum difficultate probatur, immo hydrogenii quantitas assignari potest. Sulfur etenim cum oxygenio acidum sulfuricum efficere, neminem fugit : illud autem oxygenium cum hydrogenio, quo acidum siccum superstructum est, congreditur, aquam efformat, quæ aqua acido sicco sese conjungens, acidum sulfuricum *commune* constituit. Sed diximus, quantitatem hydrogenii, quo acidum siccum in sulfure superonustum est, ex eo interpretandi modo determinari posse; et quidem ratio una, 15

sulfuris in combustibilis acidificabilis statu, tribus hydrogenii rationibus superstruitur, quoniam rationes tres oxygenii requirantur, ut aciditas completa in sulfure evolvatur; id est ut sulfur in acidum sulfuricum convertatur : atqui tribus oxygenii rationibus opus est, ut totidem rationes hydrogenii in aquam permutentur.

Illius de sulfuris compositione opinionis per aliquot tempus particeps fuit DAVYUS (31), qui oxygenii una et hydrogenii præsentiam in sulfure admittebat, quod ultimum in metallis quoque existere arbitrabatur : quibus vero chymicus ille innitebatur rationibus, ut suam postea non sustineret opinionem, nos fugit.

Cum nullum cognoscitur corpus stricte reductum ceu redivivum, quod cum hydrogenio vel cum alio redivivo corpore copulationem, juxta rationes determinatas, instituat, et hydrogenium æque ac metalla, hasce juxta rationes, cum sulfure copuletur, ex hac sola circumstantia, in hocce corpore oxygenii præsentiam statuere possumus.

Cum ratio una, 15 sulfuris cum una ratione 1, hydrogenii congrediatur, substantia gazeiformis, hydrogenii sulfurati nomine salutata, ex hoc congressu oritur. Gaz illud obtinetur, hydrosulfuretum ferri acido sulfurico diluto conspergendo. Phænomenum, quod in hac operatione observamus, id cum plerisque chymiæ phænomenis commune habet, quod duplici modo explicandum nobis appareat. Dicitur, primo loco : aqua decomponitur, oxygenium cum ferro congreditur quo congres-

---

(31) Memoir of Chymistry, *et* Chymical philosophy, Book 1.

su ferrum oxidatur, dum hydrogenium sulfuri copulatum sui juris fit. Sequenti autem modo phænomenon illud explicari posse credimus: singula aquæ ratio, quin decomponatur et acidi quidem intermedio, apud ferrum rationis unius hydrogenii locum assumit, quod hydrogenium in statu *nascenti* et calorico, quod metallum ab aqua secrevit conjunctum (32), sulfur dissolvit vel, ut aiunt chymici, in solutionem excipit, et ita hydrogenii sulfurati sub forma evolvitur.

Gaz hydrogenium sulfuratum colores vegetabilium cæruleos in rubros convertit: proprietatibus ergo acidis gaudet, sed quomodo in hoc gazi aciditas concipienda? an aciditas illa oxygenio, quod continet gaz, attribuetur, diceturque, ob dominantem in eo vim comburentem, gaz illud acidum esse? Hæc omnia vaga satis videntur, et demonstrari non facile possunt: videamus autem, an nostra combustibilium acidificabilium theoria, nos hac de re docere nihil poterit: si sulfur consideremus tanquam ex acido sicco et hydrogenio conflatum, dicemus hydrogenium sulfuratum acidum esse, quod acidum *per solutionem* vocamus. In hoc quidem casu, in quo aciditas in sulfure præexistens supponitur, hydrogenium superstructum vel *hydrogenationis*, tolli et dissolvi ab hydrogenio, quod sulfuri conjungitur vel hydrogenio *solutionis*, et ita aciditatem evolutam esse, dicemus. Attamen, hydrogenii sulfurati puri aciditatem phy-

---

(32) Nobismetipsis repugnantia loqui primo intuitu videri possemus, cum hic, hydrogenium *calorico conjunctum* dicemus, dum (§ 1, pag. 11) hydrogenium omni copulatione cum calorico expers esse, dixerimus: monendum est itaque, nos nullo modo intelligere caloricum hic *chymice* cum hydrogenio copulatum esse, uti principium illud cum oxygenio copulatur.

sicam chymici quidam denegarunt, ipsumque tantum acidum esse propter aliquam acidi sulfurosi quantitatem, quo plerumque inquinatur, dixerunt (33).

Ratio una, 15 sulfuris cum rationibus duabus, 15 oxygenii congrediens, acidum snlfurosum efficit cujus expansio a regula generali prorsus aberrat : etenim in ejus formatione, 40 poll. cub. vaporis sulfuris, cum 40 poll. cub. oxygenii congrediuntur, expansione ad dimidium voluminis reducta; juxta vero stabilitam legem coarctatio nulla observari deberet (34).

Acidum sulfurosum ut constans e rationibus paribus oxidi sulfuris et acidi sulfurici, considerari potest et reipsa in hæcce elementa sulfis resolvitur, cum in vasis clausis, donec in sulfatem et in sulfuretum reducatur, calefiat. Duplicem illa compositio interpretationem nobis præbet, et quodammodo acidi sulfurosi a generalibus expansionis legibus aberrationem explanat.

Cum ratio una, 15 sulfuris cum rationibus tribus, 22,5 oxygenii congreditur, acidum sulfuricum, ut jamjam diximus, efformat. Ex his patet, acidum sulfuricum inter ea acida annumerari, in quibus aciditas impari rationum oxygenii numero completur, et ideo non nisi rationi aquæ vel oxidi cujusdam conjunctum acidum illud existere posse (35); acidum tamen sulfuricum considerari posset ut numero pari rationum oxy-

---

(33) LAMPADIUS in Schweigers Journal. 1802.

(34) Vid. cap. II. leg. III.

(35) Cap. II. Leg. IX.

genii completum, sed in quo aciditatem hydrogenii ratio una evolvit. Illud quoque habere possemus ac si ratione una acidi sulfurosi, rationi aquæ superoxygenatæ conjuncta, constaret.

Tertia inter sulfur et oxygenium conjunctio acida novissimis hisce temporibus a chymicis detecta fuit : hoc acidum rationibus 2,5 oxygenii et ratione una sulfuris, unde acidi *hyposulfurici* nomine salutatum est, constat. E mutua reactione acidi sulfurosi et superoxidi manganesii aqua diluti obtinetur : rationes duæ acidi sulfurosi cum ratione superoxygenii, quod superoxido manganesii inhæret, congrediuntur et acidum, ex hoc congressu natum, cum oxido manganesii in conjunctione remanet, compositum *neutrum* efformans, quamvis hoc in composito ratio una oxidi rationibus duabus acidi sulfurosi et ratione una oxygenii saturetur.

Acidi hyposulfurici constitutionem duplici interpretari modo possumus, si acidum illud consideremus ut acidum sulfuricum, acido sulfuroso copulatum, quod acidum sulfuricum in dimidia aciditatis suæ parte acido sulfuroso extinctum fuerit : cum, extra contactum aëris, acidi hyposulfurici sales igne urgeantur, acidum sulfurosum emittunt et in sulfates completos convertuntur; dum vero iidem sales, non excluso aëre, calefiant, acidum sulfurosum acidificationem complet suam, et sal in supersulfatem convertitur, dummodo formam illam salinam induere possit. Ille hyposulfatum agendi modus secundæ interpretationi, quam de natura eorum acidi dedimus, omnino respondet.

Cum acidum sulfuricum oxido cuidam metallico copulatur, concipi potest, oxygenium oxidi uniri tribus ejusdem principii rationibus, quas in acido sulfurico sulfur jam continet, et sa-

lem, qui inde nascitur, e copulatione inter acidum, quod 4 oxygenii rationibus scatet, et metallum redivivum oriri : qua interpretandi methodo explicatur, quomodo metallorum debilium sulfates in metallum reducantur per hydrogenium, quod metalla fortiora ex aqua evolvunt, vel in hujus liquidi loco cedunt : in hac enim hypothesi satis esset, si hujus acidi quarta oxygenii ratio per hydrogenium in aquam convertatur, ut ex inde metallum sub ipsa forma, qua in copulatione existit, separaretur.

Constat experientia, copulationes insigniores inter combustibilia acidificabilia respondere *rationi proportionali* (36), quam unum aut alterum combustibile, et sæpius ambo combustibilia simul cum oxygenio agere possunt, ut eo principio saturentur :

Sic carbonium, quod aciditatem suam 4 oxygenii rationibus complet, quatuor quoque rationes sulfuris, in alcoole LAMPADII assumit; sic sulfophosphorus, in copulationibus suis limpidis et sponte inflammabilibus constat rationibus 2 sulfuris et ratione una phosphori, sive e tribus phosphori rationibus et una sulfuris conflatur, quod iterum rationibus oxygenii, quibus acida completa unius et alterius combustibilis formantur, respondet. In basi existentiæ animalis rationes 5 carbonii cum ratione una azoti unitæ sunt, quod denuo cum rationum oxygenii numero, quibus ut azoti aciditas completa evolvatur opus est, congruit. Relationes illas ad alia combustibilia acidificabilia non extendimus, qualia selenium, arseni-

(36) Au rapport.

cum, tellurium, quorum copulationes cum sulfure haud exacte omnino suis in rationibus cognoscuntur.

Metalla cum sulfure tot *sulfurationis*, quot cum oxygenio *oxidationis* gradus, habent. Pleraque inter hæc connubia perfectius multo in natura efformata inveniuntur, quam arte produci possint: in illis connubiis sulfur cum redivivo metallo uniri dici potest, ut et duplici quidem interpretatione, oxygenium acidi sicci sulfuris ad metallum transgredi, et sulfuris combustibile in statu reducto cum metallo oxidato copulationem inire, sustinere possumus. E copulatione juxta rationes determinatas, metallorum reductorum cum sulfure firmissimum de existentia oxygenii in sulfure argumentum deduci posse, jam diximus.

Metallum sodæ vel sodium, quod unico tantum oxidationis gradu gaudet, unicum quoque gradum sulfurationis et quidem *sulfurationis hydrosulfureae* habet: hydrosulfuretum illud obtinetur cum ratio una metalli et rationes duæ hydrogenii sulfurati mutuam in reactionem cogantur: gaz ad dimidium volumen coarctatur, et hydrogenium simplex hydrogenii sulfurati loco invenitur. Sulfur a dimidia parte hydrogenii sulfurati metallo separari, quod metallum dein cum altera medietate copulatur, dici licet; necnon, secunda explicatione, ab integra gazis copia sulfur omne et dimidiam hydrogenii partem et sic in sulfuris hydrogenati statu, metallo resumi, concipi potest. Quoad ipsum compositum, illud sulfuretum hydrosulfuratum, et etiam supersulfuretum hydrogenatum sistere dici poterit; et cum metallum alkali, quod unicum tantum oxidationis gradum habet, duobus sulfurationis gradibus donari nequeat, concipere debemus connubium, metallum inter et sulfur desinere, ut sulfuris intermedio inter metallum et hy-

drogenium stabiliatur. Tertio loco admitti potest, metallum alkali, ad instar hydrargyri cum hydrogenio copulationem inire, et in hacce copulatione secundam sulfuris rationem assumendi facultatem acquirere. Illa si interpretatio auctoritatem quamdam sibi vindicare posset, hydrates potassæ et sodæ, barytæ et Strontianæ illorum corporum metalla sisterent, quæ, ratione copulationis suæ cum hydrogenio, secundum oxidationis gradum capiendi facultatem acquisiverint. Cum illa composita acido quodam aqua diluto conspergantur, pro quavis ratione metalli rationes duæ hydrogenii sulfurati obtinentur.

Cum potassa sulfur, sulfureta modo simplicia, modo duplicia et quidem ulterius proportionata efficit. Prius compositum ceu sulfuretum simplex ratione una, 15 sulfuris et ratione una 45 potassæ conflatur : in contactu cum aqua, in hydrosulfuretum hyposulfiti conjunctum, resolvitur. Hac in reactione dimidia tantum aquæ ratio disjungitur, et ejus elementa sulfuretum, sua vice, decomponunt. Hydrogenii ratio dimidia cum dimidia ratione sulfuris congreditur, unde hydrogenium sulfuratum quod, cum dimidia alkali parte copulationem iniens, hydrosulfuretum constituit. Aquæ dimidia oxygenii ratio cum altera dimidia sulfuris ratione copulatur, qua ex copulatione oxidum sulfuris, quod cum altera dimidia alkali parte sese conjungens, hyposulfitem in ortum ducit. Hoc ita phænomenum interpretari quoque licebit : ratio dimidia 7, 5 sulfuris in loco (37) dimidiæ rationis hydrogenii, cum dimidia ratione aquæ congreditur, et acidum hyposul-

---

(37) En échange.

furosum efformat : dimidia illa hydrogenii ratio cum ratione dimidia sulfuris hydrogenium sulfuratum producit : gaz illud cum dimidia alkali parte congrediens hydrosulfuretum efformat, oxidum autem sulfuris, cum altera parte alkali copulationem instituens, hyposulfitem producit.

Supersulfuretum ratione una, 45 potassæ, et rationibus duabus, 30 sulfuris constat. Iisdem in circumstantiis, id est in reactione cum aqua, in sulfuretum hydrogenatum subhypofiti conjunctum, resolvitur. Hic, ut præcedenti in casu, dimidia tantum aquæ ratio disjungitur : ratio dimidia hydrogenii cum ratione integra sulfuris congreditur, sulfur hydrogenatum constituens, et ratio dimidia oxygenii cum altera sulfuris ratione copulatur et sulfuris suboxidum efformat. Sulfur hydrogenatum cum certa potassæ copia congreditur, sulfuretum hydrogenatum efformans, dum altera potassæ pars cum sulfuris suboxido copulationem ineat, et sic subhyposulfitem producat.

Chymici quidam contendunt, metallum in statu redivivo in supersulfuretis alkalinis contineri, alii contra opinionem illam omnino rejiciunt, metallumque oxidatum ibi existere arbitrantur. Qui posteriorem hanc hypothesim amplectuntur, sequenti ratiocinio suam sustinere opinionem conantur : cum, *inquiunt,* supersulfuretum aqua dissolvatur, in sulfuretum hydrogenatum et subhyposulfitem, ex suboxido sulfuris et alkali conflatum, resolvitur. Atqui, *aiunt,* si metallum in supersulfureto redivivum foret, sulfuris suboxidum non formaretur; oxygenium enim dimidiæ rationis aquæ disjunctæ non cum sulfure, sed cum metallo, metallum oxidandi causa, congrederetur : attamen formatur sulfuris suboxidum, oxygenium

cum sulfure congressum est, nam si acidum quodcumque dissolutioni aquosæ immergatur, suboxidum sulfuris præceps fertur : metallum ergo in supersulfuretis redivivum existere non potest.

Inter chymicos quidam non solum in statu redivivo in supersulfuretis alkalinis metallum adesse arbitrantur, sed contendunt insuper, corpora illa aqua dissolvi posse, quin et metallum oxidetur et sulfur cum hydrogenio copuletur : contendunt, inquam, ea non fieri, nisi cum acidi cujusdam additione, metallum ad oxidationem in detrimento aquæ cogatur, et sulfur cum hujus liquidi hydrogenio copulationem instituere debeat.

E variis et accuratissimis, quæ hunc in scopum unus condiscipulorum (38) meorum instituit periculis, omnis hac de re contentio ad sequentia facta reduci videtur :

Cum miscela, rationibus paribus hydratis potassæ et sulfuris conflata ad ignem incandescentiæ albidæ urgeatur, aqua expellitur, sulfur suboxidatur et alkali in suboxidum convertitur : si quod inde oritur sulfuretum, aqua dissolvatur, priorem alkali oxidationem recuperat, oxygenium in sulfuris medietatem recedit et hydrogenium aquæ, quæ ad reoxidandum metallum inserviit, cum altera sulfuris medietate congreditur.

Cum eamdem ad temperaturam in se reagunt rationes pares subcarbonatis potassæ et sulfuris, supersulfuretum simul

(38) Vir ornat. Marée, in Universitate Lovaniensi nuper studiosus, cujus dissertatio «*De Sulfuretis*» ab Academia Regia Bruxellensi præmio ornata est.

cum carbonate neutro producuntur. Si eadem in experientia ratio sulfuris ad duplum evehatur, fortiori potius quam minori adhibita temperatura, acidum carbonicum expellitur, acidum formatur sulfuricum, et sulfuretum denuo alkali suboxidatum continet. Hic acidi carbonici expulsio suboxidatione metalli alkali determinatur, quæ suboxidatio necessaria conditio esse videtur expulsionis acidi carbonici, inter quod et suboxidum nulla copulatio habetur. Noverunt jam chymici, acidum carbonicum, *viâ humidâ*, sulfuris intermedio a subcarbonatibus alkalinis separari non posse.

Si sulfuretum efformatur, hydrogenium sulfuratum coarctatum diu retinendo super hydratem vel subcarbonatem potassæ incandescentia rubra ignitum, aqua vel acidum carbonicum expelluntur, alkali suboxidatur, et ratio dimidia sulfuris simul et dimidia ratio hydrogenii sulfurati cum suboxido congrediuntur. Si reactionis illius productum aqua dissolvatur, in potassam ad pristinum oxidationis gradum evectam, et in hydrogenium sulfuratum, quod cum alkali hydrosulfuretum efficiebat, resolvitur : ratio aquæ dimidia decomponitur, oxygenium suum metallo, hydrogenium vero dimidiæ rationi sulfuris concedit, et hydrosulfuretum, quod inde oritur, cum suam post crystallisationem accurate siccatur, et ad rubedinem usque, extra contactum aëris, calcinetur, pristinam suam compositionem recuperat, scilicet in alkali suboxidum, in sulfuretum et in hydrogenium sulfuratum denuo convertitur.

Iisdem constat experimentis, sulfureta quædam metallica in alkalibus causticis liquidis dissolvi, et elementa dimidiæ rationis aquæ inter ipsorum constituentia dispertiri ita, ut sul-

fureta hydrogenata *suboxidata* (39) et in alkali soluta enascantur : connubia illa acido quocumque, et quidem acido carbonico, decomponuntur : sulfuretum hydrogenatum *suboxidatum* præceps fertur ab hoc statim tempore, quo alkali ad subcarbonatis statum usque saturetur; et eadem quidem sulfureta *non oxidata* (40) in alkalium subcarbonatibus haud dissolvi possunt, nisi pro parte decomponantur et alkalibus nonnullam sulfuris sui partem cedant, ut inde sulfuretum hydrogenatum enascatur, in quo deinceps idem sulfuretum suboxidatum dissolvitur.

Priori in connubio sulfur metalli cum alkali hydrosulfurohyposulfitem formare, et in hocce composito metallum redivivum dissolvi, dici potest : quam juxta interpretationem, si connubium acidi intermedio deletur, oxygenium acidi hyposulfurosi ad metallum et hujus acidi sulfur ad hydrogenium sulfuratum transire deberet. Concipi licet pariter, sulfuretum metallicum, quin alteratione quavis afficiatur, in alkali dissolvi et eo ipso momento, quo acidi intermedio præceps fertur, elementa aquæ sua inter constituentia distribuere. Quoad ipsum præcipitatum cum, ignis intermedio, in sulfuretum, metallum redivivum et in dimidiam aquæ rationem resolvatur, præcipitatum illud subhydrate sulfureti *non oxidati* conflari, admitti potest. Interpretationem illam generaliter satis receperunt chymici et oxida, quæ hydrogenii sulfurati vel hydrosulfureti cujusdam intermedio ab acidis præcipitantur,

---

(39) A sous-oxide.

(40) A métaux réduits.

tanquam hydrates completos sulfureti *non oxidati* nonnulli consideraverunt.

Cum e prædictis ortum sit experimentis in formatione sulfuretorum simplicium cum alkalibus causticis (si ad sufficientem temperatura gradum elevetur), alkali oxygenii medietatem ad sulfur transire, unde combustibilis hujus suboxidum enascitur, concipi potest, in dissolutione talis sulfureti suboxidum illud metallicum ad statum reduci hydrogenio aquæ, qua alkali oxidatio restituta fuit, et sulfur dein dimidiæ rationis aquæ elementa duo inter ipsius substantiæ æqualia pondera distribuere : sed sulfuris suboxidum sulfuris sui medietatem aquæ hydrogenio concedere et sic in oxidum sulfuris permutari dici quoque licet.

§ II.

DE CARBONIO.

Carbonium quod, ut supra diximus, a quibusdam tanquam corpus simplex habetur, ab aliis autem ut ex acido carbonico sicco et hydrogenio conflatum, substantia est in natura überrime obvia, et quidem sæpissime substantiis vegetabilibus et animalibus, ut in carbone vulgari ligneo, in carbone animali, plumbagine, lithantrace etc. conjuncta reperitur.

Carbonium corpus est nigrum infusibile et sic igne fixum, alkalibus et quibuscumque substantiis oleosis et pinguedinosis insolubile; electricitatem conducens et excitans, totam fere lucem absorbens, basim existentiæ vegetabilis sistit, et azoto conjunctum existentiæ animalis basim constituit. Fibræ vegetabilis, e qua originem ducit suum, corporum organicorum colo

res sibi adjungendi proprietatem servat, et odores insuper olfactui fœtidos delendi facultate pollet. Substantias gazeïformes plerasque absorbet et earum copulationes facilitat. Combustibile acidificabile (41) sistit quod, cum elementa aquæ inter ipsius substantiæ rationes æquales dispertiri nequeat, nec oxidum primum, nec acidum hydrogenatum habet. Ratio carbonii ponderata, numero æquipollenti 11, 5 donatur, mensurata vero volumen 40 poll. cubicorum, qui 11, 5 granis æquivalent, adæquat.

Carbonium in statu puritatis in adamante reperiri, adamantemque igitur carbonium purum esse et quacumque materie aliena orbatum, chymici quidam contendunt: eo in illorum opinio innititur, quod adamas, calori strenuo expositus, totus in acidum carbonicum convertitur. Legimus apud auctores, anno 1797 GUYTONIUM (42) foco lentis fortissimæ adamantem, sub campanula gazis oxygenii plena collocatum, exposuisse: immissis radiis solaribus statim adamantis superficiem nigro tingi colore animadvertit: hic et illic splendentia quædam puncta, et quasi in statu ebulitionis constituta videbantur. Lumine intercepto ruber adamas et pellucidus apparebat, pondere manifeste imminutus: elapsis 48 horis continuatum fuit periculum adamasque minori, quam 20 minutorum spatio prorsus disparuit. Instituta gazis sub campanula latentis analysi,

---

(41) Discrimen inter combustibile acidificabile proprie dictum et metallum acidificabile in eo situm est, quod hoc connubium cum hydrogenio recuset, illud patiatur.

(42) GUYTON-DE-MORVEAU.


inventum est gaz illud acidum carbonicum sistere, et insuper volumen ejus idem ac illud adhibiti gazis oxygenii, remansisse. Hoc autem periculo fretus statui posse arbitratus est GUYTONIUS, adamantem carbonium purum esse, et imprimis oxygenio non scatere, uti illud nonnulli voluerunt: si enim, inquit, oxygenium contineret, gaz, peracta experientia collectum, non idem ac adhibitum oxygenium volumen exhibuisset.

Carbonium primo oxidationis gradu vel oxidulo carere jamjam dictum fuit: si tamen separate (si liceret) compositum e 40 p. c. vaporis carbonii cum 20 p. c. oxygenii conflatum, uno verbo oxidulum carbonii reperiretur, oxidulum illud expansione tantum 40 p. cubicorum gaudere videremus: hoc in casu volumen oxygenii omnino condensaretur volumine vaporis carbonii, cujus expansio duplex est, et id propter legem qua, cum numeri gazium volumina repræsentantes inter se inæquales exhibeantur, condensatio observatur, et quidem volumen minus majori volumine absorbetur: hoc verosimiliter locum habet in substantiis organico-vegetabilibus, in quibus oxiduli carbonii constituentia reperiuntur, sed ab ipsis indisjuncta separari nequeunt. Carbonii autem oxidulum ibi ex unione oxidi carbonii cum carbonio non oxidato oriri, concipi potest.

Primum vero apparens carbonii cum oxygenio connubium illud est oxidi carbonii, in quo rationes duæ, 15 oxygenii cum ratione una, 11, 5 carbonii coeunt, vel etiam in quo 40 poll. cub. vaporis carbonii cum 40 p. c. oxygenii conjunguntur, ulla absque condensatione juxta eam legem qua, dum in copulatione duorum gazium, quorum unum e combustibili *absoluto* vel *relativo* provenit, alterum e comburenti *absoluto* quoque

vel *relativo*, numeri ipsorum volumina repræsentantes, inter se æquales reperiantur, coarctatio nulla observatur. (Leg. III).

Ea quamquam oxidi carbonii compositio recte stabilita videatur, tamen haud secus ac pleraque chymiæ corpora multiplicem oxidum carbonii interpretationem pati potest : et reipsa quid impediret, quin oxidum illud ex acido oxalico et oxidulo carbonii conflaretur ? Quod connubium sequenti modo repræsentari posse credimus :




11, 5 carbon. + 22, 5 oxyg. . . . . = rat. 1 acid. oxalici,
11, 5 carbon. + 7, 5 oxyg. . . . . = rat. 1 oxidul. carb.;

23 carbon. + 30 oxyg. . . . . = rat. 2 oxidi carbonii.

Carbonii oxidulum non dari, et propterea eam oxidi carbonii compositionem possibilem non esse, objici posset : sed præter oxiduli carbonii existentiam in statu saltem copulationis supra jam statuerimus, ex eo insuper existentia illa probatur, quod carbonium ad pares rationes cum chlore copulari queat.

Oxidi carbonii existentiæ modus tertia quidem interpretatione explicanda venit : oxidum illud tanquam copulationem inter rationes duas oxiduli carbonii et rationem unam acidi carbonici considerare licet, et ita oxiduli carbonii subcarbonatem sistere credi potest; quod iterum exhiberi licet ut sequitur :



Rat. 1 carbon. + rat. 4 oxyg . . . . . . = rat. 1 acid. carbonici,
Rat. 2 carbon. + rat. 2 oxyg. . . . . . . = rat. 2 oxiduli carb.;

Rat. 3 carbon. + rat. 6 oxyg. . . . . . . = rat. 3 oxidi carbonii.

E secunda carbonii cum oxygenio copulatione, oritur acidum carbonosum ceu oxalicum : ratio una ponderata 11,5 carbonii cum rationibus tribus, 22, 5 oxygenii congreditur : acidum oxalicum e reactione carbonii organisati sive sacchari in acidum nitricum exsurgit (43). Hac autem in operatione, quæ ita repræsentari posset :

11, 5 carbonii + 17 aquæ;
22, 5 oxygenii ...... + 28, 5 gazis nitrosi;

34, acidi oxalici + 17 aquæ + (28, 5 gazis nitrosi),

rationes tres 22, 5 oxygenii acidi nitrici, cum ratione una, 11, 5 carbonii, quam saccharum suppeditat, congrediuntur, unde 1) ratio una, 34 acidi oxalici sicci, quod cum incombinatum manere nequeat, (44) primam aquæ rationem, dein crystallisandi causa secundam sibi adjungit : 2) ratio una, 28, 5 gazis nitrosi quod evolat. Operationis hujus theoria e duabus hisce rebus unam supponit : vel prima aquæ ratio pro temporis momento secedit, ut carbonii subacidificatio per oxygenium acidi nitrici fieri possit; vel acidum oxalicum tale

(43) Cum nuper in Laboratorio Universitatis nostræ, saccharum et acidum nitricum, juxta rationes a doctissimo Professore Van Mons exhibitas immixta fuerint, et in se *frigide* reagentia relicta essent, elapsis aliquot horis miscela in massam crystallinam incolorem, quæ acidum oxalicum purissimum erat, conversa inventa est.

(44) Acidum oxalicum in eorum, ut patet, acidorum numero reperitur, in quibus rationum oxygenii copia *impari numero* repræsentatur; non nisi ergo ratione aquæ vel oxidi conjunctum existere potest. Vid. Cap. II. leg. IX.

quale nobis apparet, nihil aliud est, quam carbonium organisatum, rationibus tribus oxygenii superstructum (45).

Acidum carbonosum haberi potest tanquam acidum carbonicum, in quo ratio una hydrogenii, aciditatem *oxalicam,* id est acido oxalico propriam, evolvit : hoc revera, primo quidem intuitu, difficile satis conceptu videtur, sed quo res se habeat modo, exponemus : novimus jamjam, acidum oxalicum propterea, quod impari rationum oxygenii numero conflatum sit, non nisi aquæ rationi copulatum existere posse : sed nonne concipi potest, aquæ illius oxygenium sese acido oxalico superstruere, illud ideo in acidum carbonicum convertere, qua conversione aciditas *propria* vel oxalica disparet, quam denuo aciditatem hydrogenium ejusdem rationis aquæ evolvit ?

Cum superoxidum manganesii et superoxalas potassæ vel acidum oxalicum cum tantillum aquæ simul agitentur, effervescentia locum habet, et colore intense rubro liquidum induitur (46); qui color haud multo post nova cum effervescentia disparet. Acida sulfuricum, aceticum et muriaticum eodem cum superoxido, sed medietate oxygenii sui orbato, solutiones plus minus rubras præbere possunt. Iis in copulationibus, quæ sales ex hyposuboxido manganesii conflatas sistunt, dici potest, partem non superoxidatam acido saturari, vel etiam composita illa existere copulationis jam inchoatæ beneficio inter superstitem acidi oxalici combustibilitatem et superoxygenium hyposuperoxidi affinitate quadam ad acidi carbonici formationem,

---

(45) Surcombiné.

(46) Ut coloris illius excitatior lux videatur, liquidum colari debet.

quæ inchoata copulatio, interveniente calorico, peragitur. Ammoniureta, pulvis sic dictus *intactilis*, oleum deflagrans, hydrosulfureta, quæ præcipitatione *directa* obtinentur, argentum et hydrargyrum, quæ ab ipsorum acidis acidum oxalicum separat, ictu deflagrant et simili verosimiliter compositione gaudent, dum eadem metalla cum per oxalates præcipitantur, nullo quocumque modo deflagrantia inveniuntur.

Acidum oxalicum tanquam salem ex oxido carbonii et acido carbonico conflatum considerare possumus: Professor doctissimus Van Mons acidi oxalici mirandam vere conversionem in acidum carbonicum obtinuit; quin insuper, cum acidum oxalicum una cum muriate oxidi auri mutuam in reactionem posuerit, metallum redivivum in crystallos abire vidit. Acidum oxalicum gazeïforme et anhydricum expansione per 40 poll. cub. repræsentata gaudet. Illius hydras primus tanquam voluminibus paribus oxidi carbonii, acidi carbonici et vaporis aquæ conflatus considerari potest.

Acidum carbonosum cum oxidis metallicis congreditur, composita *oxolates* dicta efformans. Composita illa cum igni sat strenuo exponantur, in metallum redivivum (dummodo metallum non nimis strenuum sit) et in acidum carbonicum resolvuntur; ex quo quidem facto chymici quidam, oxalates illos non ex acido carbonoso et oxido metallico, sed simplicius ex metallo redivivo et acido carbonico conflari, concludere non dubitarunt. Majori autem cum verosimilitudine, et secunda quidem interpretatione, dici posse nobis videtur in horum oxalatum decompositione per ignem acidum oxalicum, cum ex una parte oxido metalli conjunctum manere nequeat, nec ex altera parte in statu incombinato existere, acidum, inquam, illud cum oxidi oxygenio congredi, quo ex congressu liberam

et incombinatam recipit existentiam, quo etiam in acidum carbonicum convertitur, et oxidum metallicum ad statum redivivum reducitur.

Acidum carbonosum cum ammoniaca, oxalatem neutrum hujus alkali efformat, qui ratione una acidi oxalici et ratione una ammoniacæ conflatur; qui vero, duplici quidem interpretatione, considerari potest ac si ratione una, 4 vol. cyanogenii et rationibus quatuor, 16 vol. vaporis aquæ constaret. Hoc, primo intuitu, fateor, non apparet, sed si et ammoniacam et acidum oxalicum in elementa sua reducamus, rem ita fieri posse, facile et brevi liquet. Etenim

13, 5 azoti + 3 hydrog. .... = 16, 5 ammoniacæ,
11, 5 carb. + 22, 5 oxygen. + 8, 5 aquæ = 42, 5 acidi oxalici;

25, cyanogen. + 25, 5 aquæ + 8, 5 aquæ = 59 oxalatis ammon.

Tertium carbonii cum oxygenio connubium productum profert gazeiforme, acidi carbonici nomine insignitum : rationes ponderatæ quatuor, 30 oxygenii et ratio una 11, 5 carbonii, vel 40 poll. cub. vaporis carbonii, cum 80. p. c. oxygenii, ejus constituentia sistunt. Acidum carbonicum, cujus voluminis unitas per 80 p. c. ceu per 8 volumina repræsentatur, eadem, qua oxidum carbonii expansione gaudet; et revera in ejus formatione per hoc oxidum, cui 40 p. c. oxygenii adduntur, dicere possumus volumina 4 vaporis carbonii absorberi, a voluminibus 8 oxygenii, vel potius volumina 4 oxygenii a voluminibus 8 oxidi carbonii condensari, et hoc utroque in casu juxta legem, qua volumen minus ad majoris voluminis expansionem reducitur. Cum acidum carbonicum expansionem habeat oxygenii, quod illius compositionem ingreditur, dici po-

test, ut supra, carbonium in oxygenio dissolvi, vel etiam oxygenium ad voluminis sui medietatem coarctari, et tunc unionem inter volumina paria, et absque condensatione perfici.

Qui autem carbonium ut corpus simplex considerant, arbitrantur rationes 4 oxygenii pure ac simpliciter cum carbonii ratione una congredi, et inde acidum carbonicum enasci: qui vero carbonium habent tanquam combustibile acidificabile, acido carbonico sicco et hydrogenio conflatum, admittunt quatuor rationes oxygenii totidem hydrogenii superstructi rationes in aquam convertere, aciditatem ita in carbonio evolvere acidum carbonicum producentes.

Gaz acidum carbonicum inter fluida constanter gazeïformia annumeratur : gaz illud igitur, *aiunt chymici*, nec frigore nec compressione in illud exercitis, statum mutat, nec ab aqua absorbetur, sed potius pressionis benificio inter aquæ particulas interponitur ; si aqua vel aliud quodcumque liquidum gaz illud continet, ablata pressione, aut aqua ad ebulitionis gradum evecta, acidum carbonicum liberam recuperat expansionem et in auras avolat,

Si tamen aliquando, qualicumque condensationis medio, obtineretur, ut gazia illa quæ *permanentia* dicuntur et quæ statum gazeïformem chymicæ cum calorico copulationi non debent, vel qualitati cuidam quæ a calorico non dependet, ad statum liquidum cogerentur, primum acidum carbonicum hanc formæ mutationem experturum esse credimus : sequentur forsan acidum sulfurosum, chlores, hydrogenium sulfuratum et selenuratum, et in genere cuncta gazia *composita*, id est, hydrogenio et oxygenio exceptis, omnia, ad statum liquidum vel solidum die quadam reducta fore, temere for-

tassis non arbitramur. Qui fit, ut iodes, quem inter et chlorem tam exiguum interest discrimen, solidus sit, et chlores liquari non possit? An in aquis mineralibus, acidulis dictis et arte paratis, acidum carbonicum ad vigesimam voluminis sui partem reductum, solummodo interpositum existere putatur acidum illud quod aqua insolubile invenitur? Illud juxta nos haud facile credi posset, imo acidum carbonicum in prædictis aquis, pro maxima parte, ad statum liquidum condensatum esse arbitramur. Quonam in statu reperiuntur ammoniaca, gaz acidum muriaticum, chlores etc. quibus pressionis intermedio solutiones aquosæ supersaturantur, et e quibus solutionibus, ablata compressione, in auras avolant?...

An acidum carbonicum in vinis et cerevisiis *spumescentibus* gazeïforme est, priusquam sustollatur obturamentum, quo spatium quod amplecti potest coarctatur?... totam acidi carbonici copiam, quod inde evolat, ibi jam formatam non existere, duplici interpretatione dici posse fatendum est.

Frigus autem invocandum non erit in gazium illorum liquefactionis auxilium, nam præterea quod status eorum gazeïformis non tam a calorico quam a pressione atmosphærica dependet, sola temperaturæ imminutione efficitur ut, sine adaucta pressione, eadem vasis capacitas majus volumen gazis continere possit. Sic frigus, in hoc casu, noxium esset potius quam commoda suppeditaret: non frigore, sed pressione et calore vapor aqueus in olla Papiniana condensatur.


Acidum carbonicum id peculiare habet, quod subcarbonates et carbonates neutros cum oxidis aqua solubilibus, sed subcarbonates tantum cum insolubilibus aut parum solubilibus efformet. Cum tamen dimidia illa ratio acidi carbo-

nici, quæ oxidis insolubilibus, uti terris alkalinis, adjungitur, illarum terrarum causticitatem et quidem alkalinitatem prorsus extinguat, dimidia illa ratio ut ratio integra, rationem integram Calcis, Barytæ, Strontianæ etc. ad neutralitatem usque saturans, a quibusdam habita est, dictumque fuit Carbonates neutros alkalium verorum, Potassæ, Sodæ et Ammoniacæ, in quibus quantitas duplex acidi carbonici invenitur, *supercarbonates*, id est integris rationibus duabus acidi carbonici conflatos sistere; sed in hoc casu illi supercarbonates, ut acidi excessum habentes, ipsi qualitates acidas exhibeant oporteret, dum e contra in statu plane neutro prodeant. Ad id animum non intenderunt, dimidia illa ratione acidi carbonici, has terras alkalinas prorsus reddi insolubiles, et quod causticitas et quidem alkalinitas, solubilitatem earum terrarum in aqua supponant. Generali igitur modo enunciari posset, oxida quorum subcarbonates aqua dissolvi non possunt, carbonates neutros, adjuncta sibi secunda acidi carbonici ratione dimidia, efformare non posse : addi liceret, caracterem alkalibus veris proprium in eo consistere quod, acido carbonico complete saturare queant,

Ratio una, 11, 5 carbonii cum una ratione 13, 5 azoti congrediens, efficit compositum volatile, gazeïforme, radicalis Borussici, vel etiam cyanogenii nomine insignitum. In hujus substantiæ formatione, 40 poll. cub. vaporis carbonii cum 40 p. c. azoti coeunt, gazium volumine ad medietatem coarctato, juxta legem, qua condensatio ad dimidium voluminis observatur, si duorum gazium unum et alterum e combustibili acidificabili proveniat (47).

(47) Vid. Cap. II. Leg. V.

Obtinetur cyanogenium, si carbo animalis cum subcarbonate potassæ igne urgeatur (48): hac autem in reactione quam ita exhibere possumus,



rat. 1 azoti + r. 1 carbon. + r. 2 carbonii,
potassa .... + r. 2 acidi carbonici;

Cyanuretum potassæ + (r. 4 oxidi carbonii)

carbo animalis, nec non potassæ subcarbonas, disjunguntur: prioris rationes duæ carbonii, acido carbonico posterioris sese superstruunt, unde oxidum carbonii, quod sui juris fit, enascitur. Remanent ergo ratio una, 11, 5 carbonii et ratio una 13, 5 azoti, rationem unam 25 cyanogenii constituentes, quod cum potassa congrediens, cyanuretum hujus alkali efformat.

Radicale Borussicum sive cyanogenium duplici interpretatione considerari posset tanquam oxalas neuter ammoniacæ, qui omni sua aqua, quocumque modo, orbatus fuerit: et reipsa, ut supra jam vidimus, (49) 25 cyanogenii + 34 aquæ = 59 oxalatis ammoniacæ, et proinde, 25 cyanogenii = 59 oxalatis ammoniacæ — 34 aquæ etc.

Priusquam ulterius progrediamur, observare nobis liceat, cyanureta cum sulfuretis magnam habere analogiam, et eodem fere modo ac sulfureta cum aqua dissolvuntur, sese conferre.

Cum ideo obtinuimus cyanuretum alkalinum, de quo modo diximus, aqua illud dissolvimus: tunc aquæ rationes duæ dis-

(48) Ut juxta rationes rite determinatas fiat operatio, duæ rationes subcarbonatis potassæ adhiberi debent pro ratione unâ carbonis animalis.

(49) Pag. 80.

junguntur: 3/4 partes duarum rationum hydrogenii hujus aquæ cum 1/2 ratione azoti congrediuntur, Ammoniacam quæ sui juris fit, efficientes: 1/4 pars hydrogenii quæ remanet, cum dimidia cyanogenii indisjuncti ratione congreditur et acidum Borussicum ceu hydrocyanicum constituit. Oxygenium autem e duabus aquæ disjunctæ rationibus proveniens, cum dimidia carbonii ratione, quæ oritur e medietate cyanogenii disjuncti, congreditur, et inde acidum carbonicum enascitur. Hoc acidum, et simul acidum hydrocyanicum natum, cum potassa congrediuntur, unde carbonato-hydrocyanas potassæ, aqua solutus, efformatur.

Ex dictis satis illucescit, acidum hydrocyanicum ex unione rationis unius hydrogenii cum ratione una cyanogenii suam originem ducere. Constat ergo, acidum illud e ratione una, 25 cyanogenii, et ratione una, 1 hydrogenii, et proin numerum æquipollentem 26 habet. In hac unione 40 poll. cub. cyanogenii, cum 40 p. c. hydrogenii, nulla facta condensatione, congrediuntur (50).

Acidum tamen hydrocyanicum duplici interpretatione considerare possemus ac si super-azoturetum (51) carbonii, carbonio hydrogenato (52) conjunctum, sisteret. Reipsa

rat. 2 azoti + r. 1 carbonii,
+ r. 1 carbonii + r. 2 hydrogenii;

rat. 2 azoti + r. 2 carbonii + r. 2 hydrogenii... = rat. 2 acid. hydrocyanici etc.

---

(50) Vid. Cap. II. leg. VI.

(51) Super-azoturetum carbonii, 2 *azot. et* 1 *carbon.*

(52) Carbonium-hydrogenatum, 1 *carbon. et* 2 *hydrogen.*

Cum in liquorem quem, cyanuretum potassæ aqua dissolvendo, supra obtinuimus et in quo carbonato-hydrocyanas potassæ continetur, immergamus solutionem salis cujusdam ferrei, sulfatis e. gr. præcipitatum illico observatur, quod separatum et desiccatum, cærulei Berolinensis, Borussiatis vel hydrocyanatis ferri nomine salutamus. Hac in reactione sequenti modo exhibita,

Potassa + acid. hydrocyanicum + acidum carbonicum
acid. sulfuricum + oxidulum ferri . . .

sulfas potassæ + hydrocyanas ferri + (acidum carbonicum)

acidum sulfuricum sulfatis ferri cum potassa congreditur, alkali hujus sulfatem, qui aqua dissolvitur, efficiens: oxidulum ferri cum acido hydrocyanico copulationem instituens, efficit hydrocyanatem ferri qui præceps fertur, dum acidum carbonicum sui juris fit.

Ex iis itaque videmus, cæruleum Berolinense verum salem sistere, e combustibili oxidato, scilicet oxidulo ferri, et cyanogenio ortum. Cum ita hydrocyanatem ferri consideremus, nonne dicere possumus, in formatione ejus conjunctionem inter oxidulum ferri et cyanogenium tale quale sit, locum habere? hoc in casu diceremus ut sequitur: ratio una aquæ, quin disjungatur, apud ferrum rationis unius hydrogenii locum assumit; hydrogenium illud, aciditatem in cyanogenio præexistentem evolvit, acidum hydrocyanicum generans, quod cum ferro, ratione una hydrogenii orbato congrediens, ferri hydrocyanatem constituit: vel quod et idem sonat, 34, 5 hydratis acidi hydrocyanici a ferro rationem unam hydrogenii amovet, et cum metallo, ratione una hujus combustibilis orbato congreditur, et reipsa, 34, 5 + (25—1) = 58, 5 = nu-

mero æquipollenti quo hydrocyanas ferri donatur. Id ita fieri ex eo satis probatum videtur, quod utroque in casu hydrocyanas ferri obtinetur, si nimirum vel sal oxidulatus, vel oxidulo-oxidatus adhibeatur.

Rationes pares acidi ferro-borussici et oxiduli ferri, Borrussiatem ferri album efficiunt qui, vel simpliciter ut ferro-borussias ferri, vel ut ferro-borrussias ferri hydratatus considerari potest : priorem juxta interpretationem, salis hujus oxidulum dimidiam oxygenii rationem sibi vindicando in Borussiatem convertitur; juxta posteriorem, ratio ferri redivivi in suboxidum transit, et compositum hydratatum remanet. Idem acidum ferro-borussicum cum pari ratione potassæ salem efformat ferro-borussiatis potassæ nomine insignitum : sal ille, duplici quidem interpretatione, tanquam Borussuretum potassii hydratatum considerari posset.

§ III.

DE CARBONIO ORGANISATO SIVE DE SUBSTANTIIS ORGANICO-VEGETABILIBUS.

Medium nullum certius, quo ad elementorum substantiæ cujuscumque notionem perveniamus, quam illud quod nobis methodus analytica ceu analysis exhibet : cum vero analysis ipsa plus minusve accurata esse potest, notiones plus minus certas de elementis corporis analysati, pro hac accuratione, habebimus, quod quidem ex analysi substantiarum quarumcumque organicarum quotidie probatur.

Ad analysim instituendam corporum illorum, de quibus nunc sermo est, corpora illa veteres ignis actioni submitte-

bant, cunctaque sub hac combustione formata ut eorumdem corporum elementa considerabant : sic obtinebant acidum aceticum, oleum empyreumaticum, oxidum carbonii, hydrogenium carbonatum, carbonem etc. etc. et, ut modo diximus, omnia hæc corpora substantiarum periculis suis submissarum elementa credebant. Eorum vero analyseos methodum inaccuratam esse manifestum est, chymiaque hodierna nobis evidenter probat, cuncta hæc a veteribus obtenta corpora substantiarum organicarum non *educta*, sed *producta* esse, quæ e variis elementorum verorum inter se copulationibus oriebantur. Quibus addi potest, has copulationes pro ignis actione plus minus intensa, necnon pluribus aliis circumstantiis diversas esse posse : producta igitur varia quoque esse debebant, ita quidem, ut e nova quacumque analysi novum productum oriretur : hoc autem modo non nisi incerta de corporum vegetabilium elementis cognitio haberi poterat.

Corpora vegetabilia analysandi variæ methodi, nostris quidem temporibus a chymicis pluribus propositæ sat superque omnibus innotescunt, ut ipsas singulatim et ex ordine enarrare non debeamus : dicere nobis sufficiat, has methodos in convertendo substantias vegetabiles in aquam et acidum carbonicum consistere; quod quidem nobis probat carbonium, oxygenium et hydrogenium principia vegetabilium constituentia et immediata esse. Quæ sequuntur tanquam generalia juxta hanc methodum stabilita fuere.

Substantiæ quædam vegetabiles sunt, in quibus ratio oxygenii ad hydrogenii rationem ea præcise est, qua aqua formatur, cui aquæ quantitas certa carbonii additur, ita ut ratio illa carbonii certæ quantitati aquæ adjuncta, elementorum

harum substantiarum rationes exhibeat: aliæ sunt in quibus oxygenium majori copia adest, quam ut cum hydrogenio aquam efformet: tertiæ tandem adsunt in quibus excessus hydrogenii reperitur: his autem consideratis, sequentem in genere conclusionem capere licet: 1) acida semper est substantia vegetabilis qualiscumque, in qua oxygenium in majori copia adest quam ut cum hydrogenio aquam efficiat; 2) resinosa vel oleosa est ea substantia vegetabilis, in qua oxygenium minori in copia quam ut cum hydrogenio aquam efformet, reperitur, vel in qua excessus hydrogenii observatur; 3) nec oleosa nec resinosa ea substantia est, in qua ratio oxygenii ea præcise reperitur quæ cum hydrogenio aquam constituit: saccharum, gummi, amylum cet. præcipua hujus classis corpora sistunt.

Saccharum, amylum, gummi, lignum nonnisi in organisatione ipsorum carbonii per majorem aut minorem aquæ copiam inter se differunt. Saccharum pro ratione una carbonii rationes duas aquæ habet: corpus omnium perfectissima organisatione vegetabili donatum sistit. Amylum pro rationibus 3 carbonii rationes 4 aquæ continet: gummi pro 5 rationibus carbonii rationes 10, 5 aquæ. Lignum e rationibus paribus carbonii et aquæ conflatur, et sic saccharum suborganisatum sistit. Varia illa corpora ad compositionem sacchari et ligni reduci possunt, dicique potest, gummi e rationibus paribus materiæ sacchari et amyli conflari: amylum ex rationibus paribus materiæ sacchari et ligni suborganisati vel sacchari hyposuborganisati, suam originem ducere. Olea pinguia et volatilium plurima saccharum suborganisatum et hydrogenatum sistunt. Nonnulla vero qualia naphta fossilis, oleum terebinthinæ, oleum citri, carbonium omnino deorganisatum sistunt.

Saccharum igitur, ut jamjam stabilivimus, carbonium aqua organisatum sistit : basim existentiæ vegetabilium efficit, et alternatis cum hydrogenio conjunctionibus et suis ab aqua disjunctionibus elementa nutritioni earum et augmento necessaria plantis suppeditat. Sacchari analysis probat substantiam illam principiis aquæ inter carbonium divisis conflari : cum autem hæcce principia diverso modo inter unam vel plures carbonii rationes distribui possint, sacchari formationem diversimode quoque concipere possumus, dummodo tamen prædicta ibi elementa et easdem quidem juxta rationes reperiamus. Saccharum etenim quod ratione una 11, 5 carbonii, rationibus duabus, 17 aquæ organisati constare dicitur, duplici interpretatione, ut oxidum carbonii rationibus duabus hydrogenii superstructum considerare licebit : oxidum carbonii e ratione una 11, 5 carbonii et rationibus duabus, 15 oxygenii conflatur : si vero concipiatur has duas oxygenii rationes duabus rationibus hydrogenii in aquam converti, ratio una, 11, 5 carbonii cum rationibus duabus, 17 aquæ prostabunt, quæ autem carbonii organisati vel sacchari elementa efficiunt, quæ sequenti res posita modo clarius patet :

11, 5 carbonii + 15 oxygenii
+ 2 hydrogenii

11, 5 carbonii + 17 aquæ . . . . . = rat. 1 sacchari.

Nil impedit, quin dicamus, saccharum e ratione dimidia oxidi carbonii, dimidia ratione carbonii hydrogenati, et aquæ ratione integra conflari : hoc enim compositum, per disjuuctionem in rationem unam carbonii et rationes duas aquæ resolvitur. Pariter concipi potest, saccharum ratione dimidia acidi carbonici et dimidia ratione hydrogenii carbonati forma-

tum sistere : hanc juxta compositionem in qua carbonii organisati elementa quoque reperiuntur, optime, ut infra videbimus, acidi carbonici formatio et evolutio in plantis, lucis influentiæ substractis, explicari videtur.

In processu vegetationis et præsertim dum plantæ lucis influxu orbantur, acidum carbonicum efformatur et evolvitur : phænomenum illud quotidie sub oculis nostris iteratum, haud minus ac pleraque naturæ phænomena duplici interpretatione gaudet : quidam etenim putant, vegetabilia noctis tempore certam oxygenii quantitatem absorbere, quod oxygenium cum certa carbonii ipsarum copia congrediendo acidum carbonicum, cujus evolutio observatur, efformat. Attamen experientiâ constare videtur, carbonium sincerum cum oxygenio non nisi caloris rubri intermedio congredi posse.

Ad aliam alii recurrerunt chymici interpretationem, quæ conceptu facilior multo videtur, et quidem ita sunt locuti : acidum carbonicum, quod efformatur et evolvitur cum plantæ luci substractæ sunt, *indirecte* e congressu oxygenii atmosphæræ cum hydrogenio carbonii organisati in ipsa planta contenti provenit. Concipi enim potest, rationem unam carbonii organisati e ratione dimidia acidi carbonici et dimidia ratione hydrogenii carbonati, vel quod et idem sonat, e ratione integra prioris et integra ratione posterioris constare, quod autem duabus carbonii organisati rationibus respondet. Productum illud ita conceptum, rationem unam acidi carbonici, rationem unam carbonii et rationes quatuor hydrogenii pro elementis habet. Si nunc vero rationes quatuor, 30 oxygenii cum rationibus quatuor, 4 hydrogenii in hydrogenio carbonato latentis congrediantur, oritur 1) ratio una acidi carbo-

nici quæ in auras evolat; 2) ratio una carbonii cum rationibus quatuor aquæ: duæ harum quatuor aquæ rationum cum carbonio congrediuntur, novum carbonium organisatum efformantes, quod duabus aliis aquæ rationibus vel dissolvi, vel saltem hydratari potest. Ita novum semper eodem tempore efformatur saccharum, quod vice sua easdem experiri mutationes potest. Ille phænomenum, de quo agitur, concipiendi modus non solum acidi carbonici evolutionem plane exponit, sed etiam quomodo evolutio illa plus minus protrahi possit, quin et ipsam plantam alteratione quavis sensibili afficiat. Si enim tota acidi carbonici copia, quod in suppositis circumstantiis evolvitur, detrimento carbonii in planta latentis efformaretur, illa, cum et præcipuum existentiæ suæ elementum sine intermissione deperdat, brevi alterationem quamdam sibimetipsi nocuam experiretur, et haud facile noctem peragere posset, quin mane debilitata et quasi exhausta prorsus evaserit. Si tamen privatio lucis diutius permaneat, et quidem per dies aliquot protrahatur, planta tandem decoloratur et albescit: ipsam radiis solaribus iterum exponere, ut colorem viridem recuperet, sufficit. Phænomenum illud (53), haud minus attentione nostra dignum, non ab omnibus eodem modo explicatur. Inter lucis influxum chymicum in plantis et ipsarum colores peculiarem quamdam relationem existere, neminem fugit. Novimus quoque oxygenium e solis plantarum partibus colore viridi tinctis exhalari, cum et illæ vitali lucis influentia fruuntur, et observatione quidem constat, vegetabilium partes lucis absentia decoloratas, nullum ut antea oxygenium largiri. Hinc consequentiam statuere quidam decolorationem

(53) *Gallice* sub nomine *étiolement* intelligitur.

huic oxygenii retentioni adscribi debere: color autem viridis ad oxygenii evolutionem, et carbonii copiam, quo tunc plantæ abundare videntur, referebatur. Huic tamen theoriæ opposuerunt alii oxygenium in plantis lucis influentia privatis reclusum, ibi non in statu suo oxygenii, sed in statu acidi carbonici reperiri; et quo carbonium modo colorem viridem producere possit, haud omnino elucescit. Alia phænomenum illud interpretandi methodus proposita fuit, et arbitrantur quidam mutationes, quas in hisce circumstantiis vegetabilia experiuntur, a substantiis acidis vel alkalinis quibus tunc abundant, dependere. Acida reipsa colores vel debilitant, vel omnino destruunt, uti et illud manifeste locum habet dum flos quidam, rosa e. gr. acidi sulfurosi gazis actioni exponatur. Decoloratio igitur, quam vegetabilia luce privata experiuntur, acidi carbonici præsentiæ adscripta fuit, quod hisce in circumstantiis sin formetur, abundanter saltem evolvitur: et viridem infusi cujusdam vegetabilis colorem acido carbonico prorsus destrui inventum est, quod quidem huicce opinioni favere multum videtur. Hujus theoriæ sectatores ita hac de re ratiocinantur: planta cum radiis exponatur solaribus, acidum carbonicum disjungitur, et sic ejus influentia deletur: illa autem disjunctio, inquiunt, non coloris reproductioni solum favet, sed etiam in libertatem forsan constituit materiam quamdam alkalinam, cujus actio renascens per hanc acidi separationem ad productionem coloris viridis maxime contribuere potest.

§ IV.

FERMENTATIO ET EJUS PRODUCTA.

Hanc priusquam sectionem aggrediamur, dicenda quædam

supersunt de carbonio hydrogenato, de quo hic sæpe sæpius agetur.

E congressu rationis unius, 11, 5 carbonii cum rationibus duabus, 2, hydrogenii, oritur carbonium hydrogenatum cujus compositio, oxidi carbonii compositioni respondet, ea tamen cum differentia, quod prius duas hydrogenii rationes, posterius autem duas rationes oxygenii contineat : eo quidem modo, si duæ rationes carbonii inter totidem rationes aquæ dividi possent, rationes duæ, 15 oxygenii hujus aquæ cum ratione una, 11, 5 carbonii, una ex parte, rationem unam, 26, 5 oxidi carbonii efformarent, dum, e parte altera rationes duæ, 2 hydrogenii cum altera ratione carbonii, carbonii hydrogenati rationem unam 13, 5 in ortum ducerent. In carbonii hydrogenati formatione successive considerata, 40 poll. cub. vaporis carbonii, cum 40 p. c. hydrogenii, primo loco, congrediuntur, expansione ad volumina 4 vel ad 40 p. c. reducta. Ad hæc 40 p. c. hydrogenii, secundo loco, accedunt, et juxta legem stabilitam expansio iterum ad 40 p. c. reducitur (54).

Carbonium hydrogenatum obtinetur partes 3 acidi sulfurici cum parte 1 alcoolis strenuioris igne urgendo. Cum autem alcool e carbonio hydrogenato et aqua conflatur, illa, juxta quosdam, acido sulfurico suspicitur, et ita a carbonio hydrogenato, quod sui juris fit separatur : alii contra, duplici interpretatione, contendunt reactionem illam non in simplici et pura hac aquæ a carbonio hydrogenato separatione consistere, quæ quidem separatio mere physica foret, et ita phæ-

(54) Vid. Cap. II. Leg. VII.

nomenum de quo agitur, interpretantur : copulatio locum habet acidum sulfuricum inter et alcoolem dimidia aquæ suæ copia orbatum, unde sulfas ætheris exoritur. Cum ista copulatio calefiat, ab ea ætheris ratio dimidia separatur, et sic in supersulfatem reducitur. Separata ætheris dimidia ratio aquam suam amittit, quæ cum supersulfate in retorta remanet, dum carbonium hydrogenatum ita in libertatem constitutum, sui juris fiat.

Carbonium hydrogenatum et purissimum quidem ex oleo terebinthinæ strenuioris ignis intermedio extricatur. Oleum illud rationes 5 carbonii, et rationes 8 hydrogenii pro elementis habet : atqui ratio una carbonii cum duabus rationibus hydrogenii, carbonium hydrogenatum constituunt; ut illud ergo obtineatur, ratio una, 11, 5 carbonii ab una ratione 65, 5 olei terebinthinæ separetur oportet. Transgrediendo dicemus ab olei hujus ratione una, rationes 4 carbonii hydrogenati præberi : diximus etenim hoc oleum rationibus quinque 57, 5 carbonii et rationibus octo, 8 hydrogenii, simul 65, 5 conflari : atqui olei terebinth. 65, 5 — 11, 5 carbon. = 54 = (13, 5) × 4, id est quater 13, 5, vel = 4 carbonii hydrogenati rationibus.

Ratio una, 11, 5 carbonii cum rationibus quatuor, 4 hydrogenii hydrogenium carbonatum de quo hac etiam in sectione sermo erit, constituunt. Ejus in formatione successive considerata, 40 p. c. vaporis carbonii, cum 40 p. c. hydrogenii primo loco, congrediuntur, expansione ad medietatem voluminis reducta. Huic composito 40. p. c. hydrogenii denuo apponuntur, iterumque expansio ad volumen dimidium sive ad 40 p. c. reducitur. Tertio loco, 40 p. c. hydrogenii acce-

dunt, nulla facta condensatione, expansio ad 80 p. c. remanet, et denique 40 p. c. hydrogenii, ut compleatur copulatio, quarto loco, in conjunctionem veniunt, et juxta legem supra stabilitam condensantur, et ad 80 p. cubicos, hydrogenii carbonati unitatem voluminis repræsentantes, expansio remanet.

Hydrogenium carbonatum quod etiam gaz paludosum quoniam tempore calido prope paludes et aquas stagnantes exhalatur, aer inflammabilis gravis etc. appellatur, considerari quoque potest ac si voluminibus paribus carbonii hydrogenati et hydrogenii simplicis, sine coarctatione adunatis, constaret. Quibus præmissis, de fermentatione est agendum.

Fermentationis nomine designari solet motus ille spontaneus in corporibus excitatus et qui vel alcoolis, vel acidi acetici, vel producti plus minus fœditi formationem pro exitu habet : unde fermentationis distinctio in alcoolicam ceu spirituosam, in aceticam vel acidam, et in fermentationem putridam oritur.

Si in lagenam introducuntur 5 partes sacchari, 25 vel 30 partibus aquæ diluti et intime cum fermenti (55) parte una

(55) Fermentum, quod hic physicas mere vices agit, rationibus 6 carbonii, 3 oxygenii, 3 hydrogenii et ratione 1 azoti conflatur : efficit tali modo ammoniacam suboxidulo carbonii conjunctam, vel etiam acidum hyponitrosum carbonio hyposubhydrogenato unitum.

Fermentum, quod in fructibus suavibus latitat, ibi in unione cum materia saccharina existit, et sub ipsam suam a fermento separationem, saccharum, in alcoolem et acidum carbonicum partitionem experitur. In seminibus amylaceis quæ ad cerevisiam et ad alcoolem cerealem sunt ut fructus

commixti; si insuper lagenæ huic adaptetur obturamemunt foramine pertusum et quod tubus quidam retortus et ad gaza super hydrargyrum colligenda idoneus transit; omnia, si temperatura inter 15 et 24 gradum therm. R. maneat, fermentationis alcoolicæ phænomena observantur; multæ efformantur acidi carbonici bullulæ, quæ sustollendo sese certam fermenti partem secum trahunt, ad liquidi superficiem apparent, ubi per aliquot tempus remanent, sed brevi sub campanulas sese conferunt : fermenti autem pars quam bullulæ sublevarunt, denuo fundum vasis petit, ex quo iterum, novis acidi carbonici bullulis ad superficiem tollitur. Motus ille ab inferioribus ad superiora, et a superioribus ad inferiora alternatus, magis magisque per primas fermentationis horas accrescit, liquoremque turbidum reddit : aliquot post tempus effervescentia imminuitur, et fermentatio demum prorsus absolvitur. Tunc liquor clarus, pellucidus, apparet et in lagenæ fundo observatur materies quædam alba, quæ juxta chymicorum plurimorum analysin, ex oxygenio, hydrogenio et carbonio conflata videtur, dum fermentum adhibitum azotum insuper contineat : hujus materiei depositæ quantitas fermenti disjuncti medietatem fere adæquat. Liquor continet alcoolem, aquam, minimam materiei cujusdam solubilis partem, sed sacchari pars nulla in ipso amplius detegi potest : ex iis autem sequitur, hac in experientia locum habuisse decompositionem integram sacchari, disjunctionem pro parte tantum fer-

suaves ad vinum, gluten fermenti locum tenet, et sub ipsam suam ab amylo separationem, materia saccharina certæ glutinis substantiæ parti conjuncta primo apparet, in qua deinceps fermentatio lenta excitatur; separatio illa partialis germinatione vel etiam sub aqua calefacta locum habere potest,

menti, formationem alcoolis, acidi carbonici et materiei hujus albidæ de qua supra diximus.

Juxta GAY-LUSSACCIUM alcool et acidum carbonicum, quæ obtinemus, detrimento hydrogenii, oxygenii et carbonii quæ saccharum continet, efformantur : chymicus ille saccharum e partibus 40, o carbonii, et partibus 60, o oxygenii et hydrogenii in ratione ad aquæ formationem necessaria, conflari arbitratur : hisce autem ponderibus in volumina reductis, saccharum constare putat ex :

3 vol. vaporis carbonii
3 vol. hydrogenii
1, 5 vol. oxygenii.


Atqui chymicus idem alcoolem considerat tanquam formatum ex :


2 vol. vaporis carbonii
3 vol. hydrogenii
0, 5 vol. oxygenii.

Manifestum ergo apparet, inquit GAY-LUSSACCIUS, saccharum, ut in alcoolem convertatur, volumine unico vaporis carbonii et oxygenii orbetur oportere. Duo illa volumina simul congrediendo acidum carbonicum producunt. Materia autem alba de qua locuti sumus, e partis cujusdam fermenti disjunctione oritur.

Illa fermentationis theoria, qualiscumque ingenua, ac justa apparere possit, alia quidem interpretatione, et forsan æquiori explicari posse videtur. Jam primum insociabilis omnino est cum iis, quæ jamjam diximus, carbonium scilicet cum oxy-

genio, non nisi caloris rubri intermedio congredi posse : attamen quamvis et multum absit, quin ille caloris gradus sub fermentatione de quo agitur, existat, et pro qua ut supra diximus, 25° vel 30° temperatura prorsus sufficit, acidum tamen carbonicum et magna quidem copia evolvitur : unde igitur hoc acidum originem ducat, nova interpretandi methodus nos brevi docebit. Dici enim potest : fermentatio in eo consistit, quod aeris oxygenium cum parte aliqua hydrogenii carbonii organisati, quam in aquam convertit, congrediatur. Illa fermentationis definitio, non solum satisfacienti quidem modo formationem alcoolis, sed etiam acidi carbonici evolutionem explicare videtur. Jam nobis enim innotescit, et in proprio quidem loco diximus, saccharum ceu carbonium organisatum considerari posse tanquam e rationibus paribus, acidi carbonici et hydrogenii carbonati conflatum, prioris scilicet et posterioris ratione dimidia, qua una carbonii organisati ratio repræsentatur, vel quod et idem audit, ex utriusque rationibus duabus, quibus tunc rationes quatuor carbonii organisati exhibentur : his positis, singulatim et ex ordine examinemus phænomena quæ per fermentationem in miscela sacchari et aquæ locum habuerunt, et e quibus acidi carbonici evolutio et alcoolis formatio originem duxerunt. Si, ut modo diximus, saccharum consideremus ut e rationibus duabus acidi carbonici, et e duabus rationibus hydrogenii carbonati conflatum, per rat. 2 acidi carbonici + rat. 2 carbonii + 4 hydrogenii + 4 hydrogenii repræsentari poterit : hæc data ponamus et quasi sponte sua operatio explicatur : et quidem


rat. 2 acid. carbonic. + r. 2 carbon. + 4 hydrog. + 4 hydrog.
+ 4 oxyg.


(rat. 2 acid. carbonic.) + r. 2 carbon. hydrogenati + 4 aquæ,


Hic ut jam supra diximus, rationibus quatuor, 30 oxygenii aeris, rationes 4 hydrogenii carbonii organisati vel stricte loquendo, hydrogenii carbonati in aquam convertuntur, unde oriuntur 1) rationes duæ acidi carbonici in libertatem constitutæ; 2) permutatio hydrogenii carbonati in carbonium hydrogenatum et rationes 4 aquæ : acidum carbonicum conjunctione liberatum sui juris fit, effervescentiam, de qua locuti sumus, producens : carbonii hydrogenati rationes duæ, cum todidem rationibus aquæ congrediuntur, alcoolem efformantes, qui autem alcool duabus aliis aquæ rationibus inquinatur, a quibus muriatis calcis calcinati intermedio, ut *absolutus* evadat, separari potest. Ad materiem albidam quod attinet quæ, peracta operatione, in fundo vasis subsedit, ipsa a disjunctione partis cujusdam fermenti oriri videtur; cæterum quo reipsa formetur modus nos omnino fugit (56).

---

(56) Fermentatio vinosa, in tria ut mihi videtur, exacte stadia distingui potest: sub primo stadio admodum turbulento evolutio gazis acidi carbonici observatur. Sub secundo mitiori quidem formatio alcoolis locum habet. Sub tertio denique, quod lente peragitur crassamentum sive fæces fundum petunt. Duo igitur priora stadia in partitionem sacchari in acidum carbonicum et alcoolem consistunt : ultimum vero stadium partitionem sacchari in alcoolem et acidum tartaricum sistit.

Fermentationes illæ, *spirituosa* nempe et *vinosa,* fermentationis nomine salutari solæ forsan merentur, illa enim quæ *acetosa* dicitur, motum illum fermentationi proprium non exhibet, nisi mucoso-saccharinum aut amylaceo-saccharinum ad alcoolis statum evehenda remaneant, ea sine conditione, lentissima peragitur combustione alcoolis, cujus hydrogenium, ab aeris oxygenio in aquam convertitur. Haud magis *fermentationis* nomine designari posse videtur fermentatio illa, quæ *putrida* vocatur, et quæ non nisi decompositionem sistit materiarum vegetabilium et animalium, quarum elementa, eodem in copulationis ordine, post mortem servari non possunt, in quo, *Chymiæ viventis* legibus, dum vita manebat servabantur.

Alcool cum acidis congreditur et ex hoc congressu nova oritur substantia, liquida, incolor, odoris fortis et suavis, aquæ supernatans, ætheris nomine salutata. Variæ ætheris noscuntur species, et omnes acidi nomine quod ipsorum formationi inservit, designantur. Sic ille qui e reactione alcoolis in acidum sulfuris oritur, æther sulfuricus vocatur cet.; hic autem obtinetur alcoolem sub temperatura 80° R. cum acido sulfurico distillando. In ætheris formatione, aiunt chymici quidam, reactio locum habet inter alcoolem quem aqua sua spoliavit acidum, et acidum cujus aquam alcool sibi adjunxit; sic in formatione ætheris de quo hic agitur, si acidum sulfuricum concentratum et alcoolem repræsentemus ut sequitur :


acidum siccum + 8, 5 aquæ,
17 aquæ + 13, 5 carbonii hydrogenati;


acidum sulfuricum + 22 ætheris,

dicemus acido sulfurico sicco rationes duas, 17 aquæ alcoolis absoluti excipi et retineri, et vice sua rationem 8, 5 aquæ acidi concentrati ab alcoole assumi : oriuntur inde acidum sulfuricum duabus rationibus aquæ conjunctum quod in retorta remanet, et æther sulfuricus evolvitur, et in excipulum pro hac re natum transit. Hisce autem positis, ætherem alcoole dimidia aquæ copia orbato, conflari videmus. Attamen, ut jamjam diximus, reactionem illam ita fieri nonnulli negant, ipsam sequenti modo interpretantes : conjunctio locum habet inter acidum sulfuricum et alcoolem dimidia aquæ suæ copia orbatum, unde sulfas ætheris exoritur : hac ex conjunctione, caloris intermedio, ætheris dimidia ratio separatur, quæ in excipulum transit, dum ætheris supersulfas in retorta remanet.

Dicere quoque possumus ætherem oriri e dimidia ratione alcoolis, quæ sibi carbonii hydrogenati rationem integram adjunxerit, et reipsa,

rat. 1 carbon. hydrogenat. + 8,5 aquæ . . . = rat. 0,5 alcoolis.
rat. 1 carbon. hydrogenat.

rat. 2 carbon hydrogenat. + 8,5 aquæ . . . = rat. 1 ætheris.

A proposito nostro aberrare quidem haud credimus hic monendo, alcoolem et ætherem facile inflammari, et sub combustione in aquam et acidum carbonicum resolvi. Pro utriusque rationis ætheris ceu alcoolis combustione, rationes 12 oxygenii requiruntur, et tunc rationes 2 acidi carbonici et rationes 5 aquæ si æther comburatur, et 6 hujus liquidi rationes, si alcool inflammetur, efformantur. Sub combustione ætheris e. g. quæ ita exhiberi potest :

rat. 2 carbonii . . . . . . + rat. 4 hydrog. + rat. 1 aquæ,
rat. 8 oxygenii . . . . . . + rat. 4 oxygenii . . . . ;

rat. 2 acid. carbonic. + rat. 4 aquæ + rat. 1 aquæ,

rationes 8 oxygenii cum rationibus duabus carbonii congrediuntur, rationes duas acidi carbonici efformantes : 4 aliæ oxygenii rationes cum totidem rationibus hydrogenii copulationem ineunt, rationes 4 aquæ efformant, quibus adjungitur aqua compositionis ætheris, quod ita 5 hujus liquidi rationes efficit.

Pro combustione alcoolis, quam ita repræsentare possumus,

rat. 2 carbonii + rat. 4 hydrog. + rat. 2 aquæ,
rat. 8 oxygenii + rat. 4 oxygenii . . . . ;

haberemus rat. 2 acid. carb. + rat. 4 aquæ + rat. 2 aquæ. etc.

§ V.

DE ACIDO ACETICO.

Acidum aceticum acidum sistit vegetabile organisatum, quod ex alcoole cujus hydrogenium aeris oxygenio in aquam conversum fuit, oritur. Sic, cum alcool conflatur rationibus duabus carbonii hydrogenati et rationibus duabus aquæ, vel quod et idem sonat, rationibus duabus, 23 carbonii, rationibus quatuor, 4 hydrogenii, et rationibus duabus, 17 aquæ, si rationes 4 hydrogenii in aquam convertantur, remanent rationes duæ, 23 carbonii cum rationibus 4 aquæ, quæ præcise acidum aceticum absolutum efformant, cui conjuncta alcoolis compositionis aqua, acidum aceticum dilutum sistit. Acidum aceticum, stricte tale, tres tantum aquæ rationes pro carbonii ratione una habet, sed quarta illa aquæ ratio, qua acidum aceticum *absolutum* evadit, tanquam vinculum inter acidi elementa considerari potest. Cæterum acidum aceticum illorum acidorum numero adscribendum est, in quibus aciditas impari rationum oxygenii numero completur, et sic non nisi oxido cuidam conjunctum, salem efformans, vel cum aquæ ratione una copulatum, acidum aceticum absolutum constituens, existere potest.

Acidum aceticum nihil aliud esse nisi alcoolem, cujus hydrogenium aeris oxygenio in aquam conversum fuit, vidimus: attamen cum distillationi lignum submittatur, acidum quoque aceticum vel acetum obtinetur, quod vulgo acetum ligni vel pyro-lignosum audit. Quomodo autem hic acidum aceticum formatur? non hic id amplius per elementorum alcoolis distributionem efficitur; nam quomodo alcoolis præsentia in ma-

terie lignosa concipi posset?. si alcool in ligno suspicari non liceat, in eo præsentia carbonii organisati quod materiæ cujuscumque vegetabilis partem præcipuam efficit, probari videtur : atqui, cum et acidum aceticum iisdem, ut infra videbimus, ac corbonium organisatum elementis constet, et ab ipso quidem non nisi ordine diverso, quo ejus inter se elementa conjunota sunt, differat, nonne concipere possumus sub actu distillationis, partes carbonii organisati constitutivas eo in modo et ordine inter se conjunctas fuisse, ut et inde acidum aceticum enascatur? Admitti etiam posset, acidum aceticum in ipsa ligni substantia præexistere oxido cuidam vegetabili conjunctum, cujus destruotione liberatur et apparet.

Cum acidum aceticum, ut pleraque regni vegetabilis corpora, ex aquæ elementorum distributione inter carbonium oriatur, quo formatur modus diversimode explicari poterit. Altera enim interpretatione dicere possumus, acidum aceticum constare ex alcoole, qui duas hydrogenii sui rationes pro una ratione aquæ permutavit, et quidem æque bene ac si duas ejus hydrogenii rationes, ab aeris oxygenio in aquam conversas fuisse diceretur.

Acidi acetici absoluti ratio una, duabus carbonii organisati rationibus respondet, id est, iisdem prorsus elementis constat: quanta tamen inter carbonium organisatum sive saccharum, et acidum aceticum ceu acetum differentia ! Ingens autem hoc discrimen ex eo tantum, quod in acido acetico elementa alio modo ac in saccharo ad se invicem adjuncta fuere, et diverso quidem gradu copulationem inivere, oriri videtur.

Denique acidum aceticum considerari posset tanquam conflatum e ratione una carbonii cum 1,5 ratione acidi carbo-

nici et totidem hydrogenii carbonati et ideo e rationibus quatuor carbonii, e rationibus tribus oxygenii et totidem hydrogenii, quibus accedit aquæ ratio una, ut inde acidum aceticum *absolutum* prostet.

§ VI.

DE ACIDO CITRICO.

Acidum citricum, acidum vegetabile e citro medica (57), vel ex aliis quibuscumque fructibus acidulis (58) excerptum sistit. Rationibus duabus, 23 carbonii, duabus rationibus, 2 hydrogenii et rationibus quatuor, 30 oxygenii conflatur. Numerus ejus æquipollens est ergo $23 + 2 + 30 = 55$.

Acidum citricum considerari tamen potest ac si rationibus paribus carbonii organisati et oxidi carbonii constet : elementa etenim hujus acidi, una ex parte, in 11, 5 carbonii + 17 aquæ sive in carbonium organisatum, et e parte altera, in 11, 5 carbonii + 15 oxygenii, sive in oxidum carbonii distribui possunt. Et reipsa ratio una, 28, 5 carbonii organisati + 26, 5 oxidi carbonii = 55 efficiunt, quo numero acidi citrici æquivalentia chymica repræsentatur.

Illud quoque considerare possumus tanquam e ratione una

---

(57) Citrus medica Linn. *polyadelph. icosand.*—(famille des *orangers* ou *hespéridées*).

(58) Acidum citricum plurimis in fructibus reperitur, sed citrus medica acidum illud, notabili quidem copia, et a quocumque alio acido liberum suppeditat, dum fructus rubri ut *ribes rubrum*, *cerasus vulgaris*, *rubus Idæus* cet. acidum citricum acido malico adjunctum contineant.

PELLETIER.

acidi carbonici et una ratione carbonii hydrogenati conflatum. Ea compositio acidi citrici elementa præcise continet, et insuper ratio una 41, 5 acidi carbonici + 13, 5 carbonii hydrogenati = 55, id est acidi citrici rationem unam efficiunt.

100 hujus acidi crystallisati partes, juxta BERZELIUM, 79 partes acidi sicci cum partibus 21 aquæ continent. Juxta analysim a GAY-LUSSACCIO institutam, acidum citricum e sequentibus conflari videtur :

Carbonii	33, 861
Oxygenii.........	59, 859
Hydrogenii	6, 330.

§ VII.

DE ACIDO FORMICO.

Acidum formicum acidum sistit peculiare liquidum odoris acidi pungentis, gravitatis specificæ (si ea ad aquæ gravitatem specificam comparetur), = 1, 1168, sub temperatura 16° R.

Acidum illud quod e formicis distillationis intermedio obtinetur, quod nec non e reactione acidi tartarici in superoxidum manganesii exsurgit, e ratione una 11, 5 carbonii, ratione una 1, hydrogenii et rationibus tribus 22, 5 oxygenii conflatur; et sic numerum æquipollentem 11, 5 + 1. + 22, 5 = 35 habet. Altera tamen interpretatione acidum formicum considerari potest ac si ratione una acidi oxalici et ratione una hydrogenii constaret. Tertio quidem sensu, acidum de quo agitur, ut rationibus paribus oxidi carbonii et aquæ conflatum considerare possumus; et reipsa

11, 5 carbonii + 15 oxygenii .... = 26, 5 oxidi carb.
+ 7, 5 oxygenii + 1 hydrog. = 8, 5 aquæ

11, 5 carbonii + 22, 5 oxygenii + 1 hydrog. = 35 acidi form.

Si elementa acidi formici ponderata ad volumina gazeïformia reducantur, acidum illud 80 poll. cubicis oxidi carbonii et 40 p. c. vaporis aquæ ad 80 p. cubicos sive ad 8 volumina reductis formari videmus. Acido sulfurico concentrato sua in constituentia resolvitur: oxidis argenti et hydrargyri, quorum duplicem sibi rationem vindicat, in acidum carbonicum et aquam dispertitur.

§ VIII.

DE ACIDO SUCCINICO.

Acidum succinicum, quod sub forma crystallina ex decompositione siccâ succini per ignem obtinetur, rationibus duabus, 23 carbonii, duabus rationibus 2 hydrogenii et rationibus tribus 22, 5 oxygenii constat, et sic numero æquipollenti 23 + 2 + 22, 5 = 47, 5 donatur. Duplici tamen interpretatione dicere possemus acidum, de quo agitur, rationibus paribus acidi oxalici et carbonii hydrogenati conflari, et quidem

11, 5 carbonii + 22, 5 oxygenii .... = 34 acidi oxalici,
11, 5 carbonii .... + 2 hydrog. = 13, 5 carb. hydrog.

23, cabornii + 22, 5 oxyg. + 2 hydrog. = 47, 5 acidi succinici.

Tertia elementorum distributione acidum succinicum ut ra-

tionibus 1, 5 oxidi carbonii et ratione dimidia hydrogenii carbonati formatum considerare licebit.

Generali tandem et duplici quidem interpretatione dici potest, omnia plantarum oxida duplici basi combustibili donata esse, et omnia vegetabilium acida duplici radicali, carbonio scilicet et hydrogenio scatere, et a diversis denique horum combustibilium inter se et cum oxygenio relationibus innumera discrimina oriri, quæ in iis quotidie corporibus observantur: illa si interpretatio ad substantias animales usque proferatur, dicere licet oxidorum earum bases, et ipsarum acidorum radicalia triplici compositione gaudere, et carbonio, azoto et hydrogenio, quæ variis cum oxygenio modis in relatione existunt, conflari.

CAPUT III.

DE COMBURENTIBUS ACIDIFICABILIBUS.

Alia corporum series hic adest, de quibus haud magis, quam de cæteris chymiæ corporibus, chymici inter se consentiunt: et reipsa alii ea habent corpora *simplicia* ceu *elementaria*, alii vero *composita* vera sistere dicunt, et *comburentia acidificabilia* vocant, qualia sunt chlores et iodes.

Chymici corpora, de quibus agitur, tanquam composita considerantes ea acido sicco et oxygenio conflata dicunt: quod si iis corporibus adjungatur hydrogenium, ab hoc, oxygenium superstructum in aquam converti, et ita in ipsis aciditatem evolvi. Eo modo, si chlori adjungatur hydrogenium, acidum muriaticum ceu hydrochloricum obtinetur, et si idem principium cum iode copuletur, acidum iodicum, a quibusdam hydriodicum, enascitur.

Non diu animum intendere debemus ad comburentium acidificabilium compositionem, ut animadvertamus quantitatem oxygenii qua ea corpora, priusquam acida evaserint, superstructa erant, determinari quantitate hydrogenii quam iis adjungere oportuit ut in ipsis aciditas evolveretur: e. gr. 32 chloris, in comburentis acidificabilis statu, unica tantum oxygenii ratione superstructa sunt, quoniam unica tantum ratione

hydrogenii opus est, ut in ipso chlore aciditas evolvatur. Tunc enim chlores in acidum muriaticum convertitur.

Comburentium acidificabilium acida per hydrogenium formari jamjam diximus : aciditas tamen nonnunquam per oxygenium in iis evolvitur, sed acida, quæ inde oriuntur, acida per *solutionem* nuncupantur. Hanc autem evolutionem acidam ita fieri credi potest : ratio una 7, 5 oxygenii, cum ratione una, 32 chloris congrediens, hujus comburentis superoxygenio conjungitur, et caloricum adhibito oxygenio copulatum sufficit, ut ambæ oxygenii quantitates in statu gazis teneantur, quæ tunc sui juris fiunt, aciditate comburentis acidificabilis evoluta.

Berzelius, qui opinionis illius de comburentium compositione, restricte tamen, particeps est, comburentia acidificabilia combustibili rationibus paribus oxygenii acidificato, et altera ejusdem principii ratione superstructo conflata putat, ita ut voluminibus paribus combustibilis et oxygenii constent.

§ I.

DE CHLORE.

Dixit Davyus, chlorem esse corpus simplex, quod cum hydrogenio acidum muriaticum efformet (59). Attamen ut supra

---

(59) Ea si de natura chloris opinio vera esset, et imprimis si, uti jam accidit, chlores tanquam *combustibile* haberetur, formatio acidi muriatici quæ inter volumina æqualia chloris et hydrogenii ulla absque condensatione locum habet, legibus jam supra stabilitis exceptionem exhiberet, quippe quod duo hic combustibilia, nulla facta condensatione, unirentur, quæ compositio a lege stabilita prorsus aberrat. (Cap. II. leg. V.)

diximus, chlores tanquam comburens acidificabile acido muriatico sicco et oxygenio conflatum considerari potest : utriusque ratio una illius compositionem ingreditur. Acidum ejus siccum, ipsum a ratione dimidia combustibilis et ratione integra oxygenii constare videtur. Voluminibus paribus acidi muriatici sicci et oxygenii, absque condensatione unitis, vel voluminibus duobus combustibilis acidi sicci cum volumine unico oxygenii ad volumina duo reductis, vel adhuc voluminibus duobus oxygenii, quibus volumen unum combustibilis condensatur, chlorem conflari dici potest.

Chlores in natura reperitur, variis metallis, in chlorureti vel muriatis statu conjunctus, sed frequentius cum soda, et tunc hujus alkali muriatem, salem marinum ceu communem constituit. Sal ille, partibus ponderatis 24,5 acidi muriatici sicci, cum partibus 29,5 sodæ, vel e partibus 22 sodii, cum 32 chloris constat. Nullam ad hunc usque diem de modo, quo murias sodæ ubere in natura obvius, primitive formatus sit, notionem certam habemus. Formatio illa quintuplici modo concipi potest : et quidem 1) chlores cum sodæ metallo ceu sodio absque ulla principii cujuscumque separatione congressus est; 2) chlores cum oxido sodii vel cum soda, sub oxygenii evolutione, copulationem inivit; 3) acidum muriaticum sodæ sese conjunxit et ex hac conjunctione aqua separaretur oportet; 4) acidum muriaticum cum sodæ metallo ceu sodio, sub evolutione hydrogenii, conjunctionem instituit; 5) denique, acidum muriaticum cum oxido sodii congressum est, quod oxidum, hydrogenio suo ad statum metallicum reduxit, chloresque inde ortus cum metallo redivivo coivit.

Chlores obtinetur, dum superoxidum manganesii acido muriatico urgeatur. Hic autem facile animadvertimus operationis

hujus theoriam diversam fore, prout chlores vel corpus *simplex* vel *compositum* habeatur. Qui vero chloris simplicitatem admittunt, operationem interpretantur, acidum muriaticum, quod hydrochloricum vocant, et superoxidum manganesii, ut sequitur, exhibentes (60):

Acid. hydrochloricum . . . . + hydrog. + (chlores).
Manganesium + oxygenium . . . . + oxygenium.

Protohydrochloras manganesii . . . + aqua + (chlores).

Acidi quædam pars, et totum oxidum disjunguntur; hydrogenium cum majori parte oxygenii oxidi congreditur, aquam efformans; sic chlores denudatus et separatus in recipientem pro hac re natum sese confert: pars acidi quæ disjunctionem non passa est, cum protoxido manganesii, quod hac ex disjunctione oritur, copulationem instituit, proto-hydrochloratem manganesii constituens.

Qui vero chloris simplicitatem ceu qualitatem elementariam denegant, ipsum ex acido muriatico sicco et oxygenio conflatum arbitrantes, operationem, in qua versamur, modo longe diverso interpretantur et alia quidem erit explicatio, prout cum vel sine ignis intermedio, experimentum instituatur. Priori in casu rationes duæ acidi muriatici cum unica ratione superoxidi manganesii in reactionem poni debent, et tum sequenti res posita modo ita explicari potest :

(60) M. P. Orfila, Élémens de chimie appliquée à la médecine et aux arts; 2e édit. Tom. I, pag. 134.

Acidum muriaticum + acidum muriaticum siccum + aqua
Manganesium .... + oxygenium + oxygenium

Murias manganesii oxidatus + (chlores)..... + (aqua),

acidi muriatici ratio una, caloris intermedio, superoxygenium sibi vindicat, chlorem generans, dum una et eadem vice, e congressu alterius rationis acidi cum simplici oxido manganesii murias oxidatus producatur. Aqua acidi, quod muriatem efformat, huicce sali superstructa remanet.

Posteriori in casu, id est cum experimentum absque caloris intermedio peragatur, rationes duæ superoxidi manganesii in unicam rationem acidi muriatici reagere debent quia, calorici defectu, acidum siccum, ultimam tantum medietatem superoxygenii, calorico primå magis saturatam, in aquæ suæ loco, vindicare sibi potest : quo in casu ratio una chloris formatur et rationes duæ hyposuperoxidi manganesii copulatæ remanent, muriatem hyposuperoxygenatum manganesii efformantes : duas illas hyposuperoxidi rationes inter se copulationem ex superoxido et oxido simplici efficere duplici interpretatione dici potest.

Chlores, uti et neminem fugit, colores vegetabilium destruit, quam ob rem dealbandæ causa fibræ vegetabilis, ut gossypii, lini cét. in usum vocatus fuit. Chlores autem hunc effectum producit sive talis qualis sit, cum hydrogenio quod in iis corporibus latitat, congrediendo, ut inde acidum muriaticum oriatur, sive, alium juxta videndi modum, oxygenium suum hydrogenio, quo materia vegetabilis scatet, concedendo, unde efformatur aqua quæ, acido sicco sese conjungens, acidum muriaticum quoque producit. Utroque in casu hydro-

genium quod vegetabilium materiem colorantem constituit, aufertur.


Si dealbatio illa muriatis superoxygenati potassæ, et paululum acidi muriatici intermedio efficeretur, priorem juxta theoriam admittere deberemus acidum illud successive et iteratis vicibus hydrogenium suum oxygenio muriatis superoxygenati cedere, concessumque dein hydrogenium ex colore dealbandæ telæ resumere : posteriori autem in theoria acidum muriaticum, postquam aquam suam cum oxygenio commutaverit, materiæ colorantis hydrogenio saturatur, novam suam aquam novo cum oxygenio commutat, et sic ulterius.

Chlores, in primo gradu, cum oxygenio congreditur, oxidulum chloris ceu protoxidum efficiens : rationem ponderatam unam, 32 chloris et rationem unam 7, 5 oxygenii ut elementa habet. In ejus formatione gazeïformiter considerata, 40 p. c. chloris, cum 20 p. c. oxygenii ad 40 poll. cubicos reductis, conjunguntur. Sequenti autem modo oxidulum chloris obtinetur.

In lagenula, cui tubus recurvus adaptatur, murias superoxygenatus potassæ, et acidi muriatici rationes tres imponuntur. Miscela si sensim et sensim calefiat, obtinentur rationes tres euchloris, quæ sub campanulis hydrargyro onustis excipiuntur, et murias potassæ simplex qui in lagenula remanet. Illa vero in reactione murias superoxygenatus potassæ ab acido muriatico disjungitur et sic acidum muriaticum superoxygenatum denudatum est et quasi liberatur : certa pars acidi muriatici simplicis cum potassa congreditur, potassæ muriatem simplicem efformans, dum alia hujus acidi pars in acidum muriaticum superoxygenatum, quod a muriate su-

peroxygenato potassæ evolutum est, reagat : talis ea est reactio, ut ambo acida disjungantur; major pars oxygenii ab acido muriatico superoxygenato provenientis, cum hydrogenio acidi muriatici simplicis congreditur, aquam efformat, et sic hujus acidi chlores denudatur et cum chloris oxidulo e disjunctione acidi muriatici superoxygenati orto, sui juris fit : gazia illa ab invicem facile separantur, si miscela super hydrargyrum per tempus aliquot relinquatur; chlores cum metallo congreditur, dum chloris oxidulum in statu gazis remaneat.

Hæc autem chymica operatio, quæ tantam de existentiæ chloris modo lucem nobis præbere posset, plurimarum quoque operationum sortem expertura est, duplici scilicet interpretatione explicanda venit. Etenim murias potassæ superoxygenatus, necnon acidum muriaticum simplex, ita repræsentari possunt :



Potassa + acid. muriaticum siccum + oxygenium + oxygenium.
aqua + acid. muriat. siccum,

murias potassæ simplex + aqua + (oxidulum chloris);

Dicetur ergo : ratio una superoxygenii cum acido muriatico sicco congreditur, rationem unam chloris constituens : altera ejusdem superoxygenii ratio, chlori superstruitur, ita formatur oxidulum chloris, quod sui juris fit, et murias potassæ simplex cum rationibus tribus aquæ ab acido muriatico simplici separatis remanet. Chloris oxidulum *euchlores* nuncupari solet.

Altera interpretatione et maxima quidem cum verosimilitudine

dici potest, rationes quatuor oxygenii rationibus duabus acidi muriatici in aquæ suæ loco auferri, remanentemque salem qui *euchloridum* sistit, tertia acidi muriatici ratione decomponi.

Chlores in secundo gradu cum oxygenio congreditur, et tunc chloris oxidum constituit. Ratione una, 32 chloris et rationibus tribus, 22, 5 oxygenii conflatur. Oxidum illud obtinetur, muriatem potassæ superoxygenatum simul et acidum sulfuricum, moderato igne urgendo. Operationis illius theoria, quæ variam interpretationem quoque patitur, explicari jam potest ut sequitur : murias potassæ superoxygenatus qui ex acido muriatico superoxygenato et potassa conflatur, acido sulfurico decomponitur, quod cum certa potassæ parte copulationem init, et sic acidum muriaticum superoxygenatum in statu nudo et libero constituitur : hujus oxygenii certa pars evolvitur, dum alia acido muriatico superoxygenato indisjuncto uniatur, et cum altera potassæ parte in muriatis hyposuperoxygenati statu remanet.

Ut operatio, qua obtinetur oxidum chloris, rite instituatur, dimidia ratio acidi sulfurici, cum ratione integra muriatis superoxygenati potassæ adhiberi debet. Duplici quidem attractione effectus locum habet, ea nimirum qua dimidia pars muriatis superoxygenati duas oxygenii rationes ab altera medietate amovet ut in muriatis hyposuperoxygenati statum transeat; eaque qua acidum sulfuricum a medietate muriatis, qui duas jam oxygenii rationes amisit, chlorem tribus cum rationibus oxygenii, vel acidum muriaticum cum quatuor ejusdem principii rationibus separat : unde ratio dimidia oxidum chloris, dimidia ratio sulfatis potassæ, et ratio dimidia muriatis hypersuperoxygenati, qui 8 (non vero 6) rationibus oxygenii scatet, exoriuntur.

Acidum muriaticum superoxygenatum producitur, cum in dissolutione maxime saturata, murias potassæ oxygenatus, crystallisandi causa, in rationes 5 muriatis simplicis et rationem unam muriatis superoxygenati dispertitur. In theoria, juxta quam chlores ut corpus simplex habetur, dicitur rationes quinque muriatis oxygenati, qui *chloruretum oxidatum* vocatur, totidem rationes aquæ decomponere, ut in liquidum illud sive chlorem cum oxido copulatum, sive chlorureti oxidati oxygenium permutent, harumque quinque rationum aquæ oxygenium uniri sextæ rationi chlorureti oxidati, quod jam unam oxygenii rationem sibi adjunctam habet. Ut nunc acidum nostrum a basi sua separetur, duplicis rationis acidi tartarici intermedio alkali auferendum est.

Cum vero acidum, in quo versamur, et chlore et impari rationum oxygenii numero confletur, ratione una aquæ vel oxidi in compositione sua cohibendum est (61), unde dicere licet rationem unam chloris et rationes 6 oxygenii, ejus constituentia sistere, in eoque composito aciditatem ratione una hydrogenii evolutam esse, statumque ejus salinum, metalli ratione una efformari. Acidum muriaticum hypersuperoxygenatum, quod pro ratione una chloris, rationes 7 oxygenii habet, et cujus oxygenium ratione una oxidi vel aquæ ad numeros pares auferri potest, eamdem prorsus interpretationem patitur.

Chlorem cum carbonio non oxidato congredi non posse, plurimi ad hunc usque diem chymici arbitrati sunt. Incassum tentaverunt ut, carbonii intermedio, oxygenium a chlore au-

---

(61) *Vid.* Cap. II. leg. IX.

ferrent, sed acidum carbonicum vel oxyidum carbonii ita haud efformari viderunt : chlores ab ea substantia affici non videtur, et sic ab aliis corporibus oxygenatis discrepans, oxygenium in chlore contentum esse experientia non probari, nonnulli dixerunt. Ultimis tamen hisce diebus, expertissimus FARADAYUS (62), ut sibi compositum chloris et carbonii vindicaret, medium excogitavit, quo hydrogenium quod in composito *aether muriaticus gravis* dicto latet, auferatur, quin et alia duo elementa tangerentur : chlores ut neminem fugit, magnam pro hydrogenio affinitatem habet, affinitas quæ radiorum solarium influentia multo adhuc augetur. Duo hæc corpora congrediendo simul, gaz acidum muriaticum, voluminibus paribus chloris et hydrogenii, sine condensatione unitis conflatum, efforment : gaz illud acidum muriaticum aqua obsorberi potest. Variis hisce harum substantiarum proprietatibus methodus innititur, qua chymicus noster FARADAYUS novum, de quo agitur, compositum est obtenturus.

Chloris ope et carbonii hydrogenati certam ætheris muriatici gravis copiam efformat : compositum illud influxui chloris, radiis solaribus adjuto, exponit. Immediate fere chlores omnino disparet, et in recipiente non amplius nisi æther muriaticus gravis, colore mutatus, et atmosphæra gazis acidi muriatici reperiuntur : sed priusquam ulterius progrediamur, quod ea in operatione locum habere debuerit, videamus (63) :

(62) Philosophical transactions, 1821.

(63) Ut quæ in ea operatione locum habuerunt, rite intelligantur, ætherem muriaticum gravem rationibus paribus carbonii hydrogenati et chloris, et sic acido muriatico et carbonio subhydrogenato conflari, in memoriam

Ratio una chloris cum una hydrogenii ratione congrediens, rationem unam acidi muriatici efformat : recipiens chlore fuit repletus, chloresque omnino in gaz acidum muriaticum conversus est : oportet ergo ut rationis illius chloris medietas copulationem iniverit cum æquali copia hydrogenii, quod ab æthere muriatico gravi abstulerit, dum altera chloris dimidia pars cum æthere muriatico jam dicto, eo temporis momento, quo hydrogenium suum amittebat, conjunctionem instituerit : et verosimiliter huic chloris accessioni (64) et hydrogenii amissioni, coloris ætheris mutatio debetur.

Si nunc certa aquæ quantitas in recipientem introducatur, aqua illico omne gaz acidum muriaticum absorbet, quin et ipsa ætheri muriatico gravi commisceatur. Hic ergo vacuum quoddam efformabitur, quod brevi nova chloris quantitate repleatur, et miscela denuo luminis influxui exponatur : novum aderit gaz acidum muriaticum quod auferatur eodem modo, et ita continuetur operatio donec chlores non amplius et ab æthere muriatico et luminis influentia afficiatur. Recipiens tunc continebit chlorem, acidum muriaticum liquidum et ætherem muriaticum gravem qui successivis iis operationibus in substantiam crystallinam, albidam, odore aromatico præditam, mutatus fuit, et qui juxta FARADAYUM chloris et carbonii compositum sistit, et ab ipso *perchloruretum* carbonii

---

revocandum mihi videtur. Adjectis huic composito novis quatuor chloris rationibus, rationes tres hujus comburentis cum carbonio remanent, duæ autem rationes acidi muriatici evolvuntur : unde hypersuperchloruretum carbonii, vel etiam acidum oxalicum quod ut sua in compositione retineatur, acidi muriatici sicci rationibus tribus superstructum est.

(64) *A ce surcroît.*

vocatur. Demonstrandum vero nunc venit, substantiam illam crystallinam non nisi chlore et carbonio conflari, totamque hydrogenii copiam ab æthere muriatico gravi, chloris ope, ablatam fuisse. Ad hoc autem chymicus noster, analyticis quibusdam mediantibus periculis perveniet.

Substantiam suam super ferri ramenta calore rubro ignita et in tubo vitreo contenta transire cogit : observantur depositio carbonii, formatio chlorureti ferri et productio gazis cujusdam, quod oxidum carbonii esse putat, cujusque formationem oxido plumbi in vitrea tubi substantia contento attribuit. Varias hasce circumstantias scrupulose dein perscrutatur, et peractis plurimis experimentis sequentia nos docet : Volumen unum (65) gazis olefacientis quinque volumina chloris requirit, ut in gaz acidum muriaticum et in perchloruretum carbonii convertatur : acidi muriatici volumina quatuor, quæ volumina duo chloris et volumina duo hydrogenii continent, efformantur : atqui, hydrogenii volumina duo totam hydrogenii copiam in unico volumine gazis olefacientis latentem efficiunt; omne ergo illius hydrogenium, chloris ope, acidum muriaticum formandi causa, ablatus fuit et carbonium, quod remanet, ad volumina duo etiam evaluendum, cum tribus chloris voluminibus conjunctionem instituit, ut et inde carbonii perchloruretum enasceretur : iis ex consideratis concludit expertissimus FARADAYUS, perchloruretum illud conflari ex

3 atomis chloris. 100, 5
2 atomis carbonii. . . . . 11, 4 (hydrogenium = 1).

---

(65) Volumina illa et rationes illas cum nostris voluminibus et rationibus non omni congruere modo, monendum est.

Demonstrandum autem nunc est, pergit chymicus noster, hasce veras, quibus constat perchloruretum, rationes sistere: hunc in scopum substantiæ suæ, oxidi cupri intermedio, analysim instituit: sic obtinentur gaz acidum carbonicum et chloruretum cupri (murias cupri), e quibus chloris et carbonii quantitas in perchlorureto latens, deduci potest.

Eodem a chymico composita duo alia chloris et carbonii obtenta fuerunt, unum scilicet quod oxido carbonio duabus acidi muriatici sicci rationibus copulatum respondet, alterum dein rationibus paribus carbonii et chloris, et sic carbonii oxidulo et acido muriatico sicco conflatum.

Tam forma eorum quam ipsorum constituentium expositione, composita illa quammaxime discrepare videmus ab ea compositione gazeïformi, quæ *phosgenium* audit, et quæ rationem unam aut volumina 8 oxidi carbonii cum rationibus duabus ceu eodem numero voluminum chloris uniendo obtinetur. Cum vero expansio nullius compositi gazeïformis ultra 8 volumina vel 80 poll. cubicos protrahi possit (66), condensatio locum habet, expansio ad 80 pollices cubicos primitivos reducitur, productumque rationem unam acidi carbonici rationibus duabus acidi muriatici sicci conjunctum sistit. Acidum carbonicum cujus expansio 8 volumina adæquat, ad medietatem coarctari, et dein voluminibus 4 acidi muriatici sicci, uniri concipi debet. Ex eorum sententia qui chlorem ut corpus simplex habent, copulatio nonnisi oxidum carbonii inter et chlorem locum habet: ipsam vero inter euchlorem et carbonium non oxidatum effici, duplici interpretatione dicere possent. Si compositum illud triplici cum volumine gazis ammoniacalis mis-

(66) Vid. Cap. II. leg. VI.

ceatur, oriuntur rationes duæ muriatis sicci ammoniacæ qui, aquæ loco, ratione una carbonatis neutri ejusdem alkali superstruitur. Qui theoriam simplicitatis chloris amplectuntur, salem illum rationibus duabus chlorureti ammoniacæ et ratione una oxidi carbonii conflatum esse dicere debent. Addita aqua, duo muriates sicci in statu hydratis separantur, carbonasque ammoniacæ in libertatem constituitur.

Cum hydrogenio chlores acidum muriaticum efformat : hujus acidi formatio diversimode inter chymicos explicabitur, prout chlorem vel ut corpus simplex, vel ut compositum consideraturi sunt : priori in casu acidum muriaticum e 40 poll. cubicis chloris et 40 p. c. hydrogenii absque coarctatione adunatis oriri dicemus. In casu posteriori, si nimirum chlores ut comburens acidificabile acido sicco et oxygenio conflatum habeatur, dicetur oxygenium acido muriatico sicco superstructum ab adhibito hydrogenio in aquam converti, illamque aquam cum acido sicco congredientem acidum muriaticum constituere. Hoc quidem in casu concipere debemus 20 poll. cubicos superstructi oxygenii, ab adhibitis 40 poll. cubicis hydrogenii in aquam converti, unde necessario 40 p. c. vaporis aquæ cum acido sicco congressuri oriri debent : sed antequam de hoc congressu judicium feramus, cognoscenda nobis est ipsius acidi sicci expansio quam ipsius compositio nos brevi docebit. Etenim, si supponamus acidum siccum comburentium acidificabilium e combustibili et oxygenio conflatum esse, in acido sicco chloris, combustibilis hujus rationem dimidiam, cum oxygenii ratione integra conjunctam inveniemus : hic ergo habentur 20 p. c. combustibilis cujuscumque et 20 p. c. oxygenii qui, nulla facta condensatione (67), congrediuntur ita

(67) Vid. Cap. II. leg. III.

quidem, ut acidi muriatici sicci expansio per 40 poll. cubicos repræsentetur. In chlore jam nunc qui ex unione rationis unius acidi sicci cum ratione una oxygenii oritur, 20 poll. cubici oxygenii, 40 poll. cubicis opponuntur, et juxta legem ad 40 p. c. condensantur ita, ut expansio chloris ad acidi sui sicci expansionem reducatur (68). Sed nunc ad acidi muriatici compositionem redeamus: ex dictis patet, chlorem 40. p. c. acidi sicci et 20 p. c. oxygenii ad 40 poll. cubicos reductis conflari. Si nunc chloris rationi unicæ opponantur 40 p. c. hydrogenii, quibus 20 p. c. oxygenii in aquam convertuntur, 40 p. cubicos acidi sicci cum 40 p. cubicis vaporis aquæ pro acido muriatico habebimus, qui nulla facta condensatione juxta legem uniuntur, ita quidem ut acidi muriatici vera expansio per 80 poll. cubicos repræsentari possit et debeat.

Ponderatas juxta rationes acidum muriaticum tanquam e ratione una, 1 hydrogenii et una ratione, 32 chloris considerando, dicemus rationem illam hydrogenii, talem qualem cum ratione 32 chloris conjunctionem instituisse, vel rationem oxygenii chloris ab ea hydrogenii ratione in aquam conversam fuisse, unde ortæ sunt 24, 5 partes ponderatæ acidi muriatici sicci et 8, 5 partes aquæ, quæ mutua conjunctione rationem unam, 33 acidi muriatici constituunt.

---

(68) Altera tamen interpretatione dici posset, chlorem conflari rationibus duabus oxygenii volumina 4 occupantibus, et ratione tantum dimidia vaporis cujusdam combustibilis, 2 tantum volumina amplectentis et oxygenii voluminibus 4 condensati: et eo quidem modo concipere licebit, acidum muriaticum constare 40 p. cubicis oxygenii et totidem hydrogenii, superoxidum hydrogenii formantibus, absque coarctatione adunatis, sed qui 20 poll. cubicos, quibus conjuncti sunt, ad expansionem suam reducunt.

Si chlores cum aqua, lumine diffuso, mutuam in reactionem ponantur, acidi chloro-muriatici formatio, necnon medietatis oxygenii evolutio observantur : duplici interpretatione theoretica phænomenon illud explicari poterit, et quidem ita primo loco : aqua disjungitur, hydrogenium ejus cum chlore congrediens acidum chloro-muriaticum producit; dum ipsius oxygenium sui juris fiat: 2) aqua apud acidum muriaticum siccum locum medietatis oxygenii, quod luminis intermedio evolvitur, assumit : priori in casu oxygenium aquæ, in posteriori, oxygenium chloris sui juris fit.

Acida muriaticum et nitricum in se mutuo reagendo disjunguntur, et hac disjunctione oritur liquidum rutilans, aquæ regalis nomine insignitum, propterea quod aurum, metallorum regem prædicatum, dissolvat. Hac autem in reactione acidum nitricum oxygenii rationes duas amittit, et sic in acidum nitrosum rutilans convertitur : separatum oxygenium cum hydrogenio acidi muriatici congreditur, et ita chlores denudatur : rem autem alio interpretari modo possumus, dicendo : oxygenium ab acido nitrico separatum apud acidum muriaticum siccum aquæ locum assumit, acido sicco sese superstruit, chlorem in ortum ducens : quidquid sit, aqua regalis, chlore et acido nitroso conflatur, et haud immerito acidum *chloro-nitrosum* vocari posset (69).

Auctores nonnulli interpretationem chloris ut corpus simplex defendentes, contendunt ab ipsorum adversariis gaz

---

(69) Altera insuper interpretatione, aquam regalem euchlore et oxido azoti conflatam esse dici posset.

acidum muriaticum haberi tanquam acidum muriaticum vulgare plus aqua, et chlorem ut idem acidum plus oxygenium: fatendum est nonnullos eorum qui systema oppositum sunt amplexi, huicce contentioni ansam præbuisse, nam experientia demonstrare conantur, acidum muriaticum substantiis aqua prorsus orbatis a basibus suis orbari posse. Sic in hunc scopum ad decompositionem muriatis sodæ acidum phosphoricum, quod *aqua orbum* putant, in usum vocaverunt; sic eamdem ad disjunctionem vapore sulfurico crystallisato usi sunt, qui vapor aquæ rationem dimidiam continet, qui tanquam acidi sulfurici subhydras considerari potest, et in quo ratione illius subhydratationis elementa acidi imperfecte conjuncta inveniuntur. Vapor ille crystallisatus haberi quoque posset ut acidum sulfuricum hydratatum quod, aquæ loco, rationem æqualem acidi anhydrici sibi superstruxit.

Cum ratio ponderata oxidi carbonii cum rationibus duabus chloris simul commisceantur et miscela radiis solaribus exponatur, gaz naturæ peculiaris et quod acidum carbonico-muriaticum nuncupari solet, obtinetur. Arbitrantur reipsa chymici, gaz illud ex acidis muriatico et carbonico conflari, propterea quod aquæ contactu in ea acida resolvatur: hac autem in disjunctione dicitur, rationes duas aquæ cum duabus acidi muriatici sicci rationibus congredi, unde rationes duæ acidi muriatici liquidi oriuntur, acidumque carbonicum sui juris fieri. Nonne tamen dici posset, aquam disjungi, aquæ hydrogenium, acidum muriaticum procreandi causa, cum chlore congredi, oxygenium vero cum oxido carbonii conjunctionem instituendo, acidum carbonicum producere? Hanc juxta theoriam compositum gazeosum, de quo agitur, simplicem tantum chlorem inter et oxidum carbonii copulationem, vel

hujus oxidi chloruretum sisteret. De hoc autem ita sermonem facerent omnes illi, qui chlorem tanquam corpus simplex considerant.

Chlores cum ammoniaca copulationem instituit, de cujus natura chymici inter se haud consentiunt. Subtantia illa semi-concreta est, aspectumque mollioris pinguedinis refert: e reactione chloris in salem quemdam ammoniacalem vel in ipsam ammoniacam liquidam obtinetur. Primo muriatis superoxygenati ammoniacæ, dein *olei deflagrantis* nomine salutata fuit. Concipiunt alii substantiam nostram ratione una azoti et rationibus tribus chloris conflari, alii vero constituentia illius rationem unam ammoniacæ et rationes tres chloris, quem inter et alkali hydrogenium ratio habetur, sistere affirmant. Copulatio illa, inquiunt, incompleta est, et tali constituta modo, ut una ex parte hydrogenium chlori, et e parte altera, calorici defectu, azoto uniatur. Si substantia nostra comprimatur, aut leviter et sub ipsa quidem aqua calefiat, violenta cum deflagratione explodit. Ratio una ammoniacæ ita chlore saturata, in 280 poll. cubicos gazis, quorum 240 p. c. acidi muriatici et 40 p. c. azoti resolvitur. Qui vero primam compositionis illius interpretationem amplectuntur, gazificationem tantummodo 160 poll. cubicorum habent. Cum ea in decompositione aqua colligatur, compositum, de quo agitur, hydratem chlorureti azoti sistere, iidem dicunt.

§ II.

DE IODE.

Aliud hic adest corpus in eadem, qua chlores reperitur, classe deponendum: corpus illud est iodes, de cujus existentiæ

modo haud magis ac de chlore inter se chymici consentiunt. Alii nempe inter corpora simplicia iodi locum statuunt, alii iodem ut verum compositum, acido iodico sicco et oxygenio conflatum considerant. Hoc autem in casu, iodes e 40 p. c. acidi sicci et 20 p. c. oxygenii, juxta legem, ad 40 p. cubicos reductis constabit, ita ut ipsius expansio expansioni chloris, hydrogenii etc. æquivaleat.

Cum hydrogenio iodes congrediens acidum iodicum efficit, de cujus formatione non magis ac de illa acidi muriatici inter se opiniones consentiunt. Si nempe iodes ut corpus simplex habeatur, acidum iodicum e conjunctione iodis talis qualis sit cum hydrogenio oriri dicetur : si vero iodem tanquam ex acido sicco et oxygenio conflatum consideremus, dicemus hydrogenium cum oxygenio superstructo congredi, unde aqua, cum acido sicco conjuncta acidum iodicum efficiens, oritur. Acidum illud constat ergo ratione una ponderata, 120 iodis, cum ratione una, 1 hydrogenii, vel quod idem sonat, e partibus 112,5 acidi iodici sicci et 8,5 partibus aquæ, quod utroque in casu, pro æquivalentia sua chymica, 121 efficit. Si vero iodis elementa in ordinem reductionum gazeiformium supponantur, et juxta voluminum theoriam computationem nostram instituamus, acidum iodicum constabit e 40 p. c. vaporis iodis, cum 40 p. c. hydrogenii, vel etiam e 40 p. c. acidi iodici sicci, et 40 p. c. vaporis aquæ sine coarctatione adunatis, unde sequitur, utroque in casu, acidum iodicum duplici hydrogenii expansione, nempe per 80 p. c. repræsentata gaudere. Acidum iodicum constare 80 p. c. superoxidi hydrogenii, quibus in condensatione retinentur 20 p. c. combustibilis acidi iodici sicci, altera tandem interpretatione concipi potest.

Cum autem iodes erga alia corpora, eodem fere prorsus modo ac chlores sese conferat, et de hoc amplam satis expositionem fecerimus, prædictis iis de iodis existentia generalibus immorari posse, nobis in animo est. Nobis sufficiat iodis cum ammoniaca copulationem verbo brevi enarrare :

Ex unione iodis cum ammoniaca, ammoniuretum iodis, pulveris *intangibilis* nomine salutatum propterea, quod levissima quidem compressione, vel minimo calore, violenta cum explosione detonat, exoritur. Ammoniuretum illud obtinetur, si ratio una, 16, 5 ammoniacæ, et rationes tres, 360 iodis, mutua reactione disjunguntur : hac vero in reactione rationes tres hydrogenii in ammoniaca latentis, cum rationibus tribus iodis *incomplete* congrediuntur unde, si conjunctio completa vel peracta fuerit, rationes tres acidi iodici, et ratio una azoti oriri deberent : imperfecto huic copulationis statui pulveris *intangibilis* existentia debetur. Cum hic autem modice calefiat vel quamlevissima compressione afficiatur, caloris adjuncti, vel per compressionem expressi intermedio, copulatio imperfecta peragitur, subitoque acidum iodicum et azotum, maxima qua donantur expansione evolvuntur, horrrendam sæpe, et chymicis interdum infestissimam explosionem producentia. Cum, nostrum juxta videndi modum, aqua subito efformatur, dum ammoniacæ hydrogenium, acidi iodici producendi causa, cum oxygenio iodis congreditur, nullum dubium, quin aquæ illius vapor maximas in strenua hac detonatione vices peragat. Hac in explosione eadem gazis quantitas evolvitur, quam in detonatione olei deflagrantis, de quo supra locuti sumus (70).

---

(70) Vid. Cap. III. § I. pag. 126.

Alii tamen chymici arbitrantur, compositum de quo sermonem fecimus, non iodis ammoniuretum, ut illud vocavimus, sed ioduretum azoti sistere. Sic autem de hoc iodureto ratiocinantur: partis cujusdam ammoniacæ disjunctio per aquam determinatur, hydrogenium hac ex disjunctione ortum, cum iodis certa parte congreditur, acidum iodicum generans, quod indisjuncta ammoniaca suscipit, et iodatem ammoniacæ producit, dum et altera pars iodis cum azoto, ex ammoniacæ disjunctione orto, copulationem instituat, azoti ioduretum conficiens.

Compositum illud, cum, ammoniacæ liquidæ loco, salis ammoniacalis intermedio obtinetur, cum illo, inquam, in casu disjunctiones illas locum habere non possint, sublata in hoc casu ammoniaca per iodem, eodem prorsus modo, quo in salium metallicorum decompositione per hydrogenium sulfuratum oxidum, hydrogenii sulfurati intermedio, ab acido separatur, interpretatio quæ de illa operatione data fuit, nequàquam valet, hydrogeniumque ammoniacæ separari ut iodi locum cedat, dicere deberemus. Alii inter chymicos qui explicationem illam amplectuntur, pulverem *intangibilem* rationibus paribus azoti et iodis, alii vero prioris ratione una, et rationibus tribus posterioris conflare dicunt. Pulveris illius compositio quam, in formatione sua, præcipitatis oxidorum metallicorum per hydrogenium sulfuratum, analogam diximus, majorem adhuc multo cum formatione auri et argenti *fulminantis* analogiam habet: qua illa composita obtinentur methodus eadem est, et in uniendo, *non completa conjunctione* sed qui rationem secundi oxidi auri aut rationes tres oxidi argenti cum ratione una ammoniacæ versatur. Obtinentur etiam si eadem oxida, ammoniacæ intermedio, ab acidis

quibuscum sales efformant, separantur. Leviori compressione, vel modico temperaturæ augmento, aurum et argentum fulminantia in deflagrationem quoque adducuntur.

§ III.

DE ACIDO FLUORICO.

Corpus natura suppeditat, cui inter acida e comburentibus acidificabilibus provenientia locum non statuere non possemus, quamquam de illius *radicali* certas et exactissimas adhucdum notiones non habeamus : corpus illud est *acidum fluoricum*, quod ad hunc usque diem non nisi in statu acidi ordinarii, id est acidi sicci cum aqua conjuncti, vel in statu salis oxido metallico unitum, vel etiam cum acido boracico aut silicia copulatum, obtentum fuit. Si acidum illud in statu suo copulationis cum aqua consideretur, hydratem acidi ordinarii sistere, facile invenitur, qui ipse hydras ratione una acidi sicci, una ratione, 8, 5 aquæ constitutionis, et ratione una 8, 5 aquæ hydratationis constat. In compositione sua cum oxidis metallorum duas hasce rationes aquæ amittit, et iis cum corporibus in statu sicco congreditur.

Sed illius cum acido boracico necnon cum silicia copulatio, quæ una et altera in statu gazis reperiuntur, de illius existentiæ modo et saturationis capacitate uberius dicendi argumentum præbet. Illorum compositorum primum, quod acidum duplex efformat, si ex ipsius conjunctione judicetur, ratione una acidi boracici et ratione una acidi fluorici constare debet, acidum fluorico-boracicum efformans, nam acidum bora-

cicum cum fluorico congrediendo, expansionem 80 poll. cub. acquirit. Acidum duplex si ad volumina paria, id est si rationi unicæ ammoniacæ gazeïformis uniatur, unum duntaxat acidorum, quibus constat, saturatur et verosimiliter acidum fluoricum cui tunc acidum boracicum superstruitur : si cum ammoniacæ volumine duplici conjunctio locum habeat, unum et alterum acidum ad neutralitatem usque saturatur, si cum volumine triplici fiat, sal neuter et sub-sal unus alteri superstructus in ortum ducitur : sub-sal absque dubio *subboratem*, sal neuter *fluatem* sistit. Si pondus 80 poll. cubicorum, quod 60 granis æquivalet, cognoscatur, si dein 10, 5 pro acido fluorico sicco substrahatur, remanent 49, 5 pro acido boracico quod cum existentia, quæ nec ab aqua nec ab oxido quocumque dependet, gaudeat, pari numero rationum oxygenii necessario conflari debet : numerus ille vel 2, vel 4 esse potest. Si primo hoc rationum oxygenio numero existeret, expansio ejus ad 8 volumina nunquam evehi posset, acidum enim fluoricum siccum, cujus expansio 2 adæquat, non potest expansionem voluminum 8 producere cum corpore, cujus expansio numerum 4 non exsuperat. Objici posset rationes duas oxygenii, si unicæ rationi combustibilis uniantur, expansionem voluminibus 8 aut 80 p. c. æquivalentem exhibere posse, quoniam tunc inter volumina paria comburentis et combustibilis copulatio locum haberet, sed in acido sulfurico vidimus expansionem ad voluminis medietatem reduci, cum tali e conjunctione acidum oriretur (71). Remanet ergo ut rationibus oxygenii 4 constet, quibus volumen numero 8 æquale efficientibus, volumina 4 vaporis bori acidi boracici formandi gratia

(71) Vid. Cap. II. leg. III.

condensaretur, et 8 voluminibus hujus acidi, volumina 2 acidi fluorici sicci vice sua in condensationem reducerentur: e quibus patet acidum boracicum partibus ponderatis, 30 oxygenii et 19, 5 bori formatum esse. Acidum illud, in copulatione sua cum acido fluorico sicco, acido carbonico-muriatico prorsus assimilari posset, si non unam sed duas acidi fluorici sicci rationes contineret: acidum carbonico-muriaticum sub expansione oxygenii in acido carbonico latentis quoque existit. Dici posset voluminibus 4 acidi muriatici sicci ad condensationem coacta esse 8 volumina acidi carbonici ut dein ambo acida ad volumina paria et nulla facta condensatione inter se uniantur. In formatione acidi carbonico-muriatici chlorem, quin decomponatur, cum oxido carbonii copulationem instituere dicere licet, quod oxidum, hydrogenii more, chlorem in acidum muriaticum convertit, nostro autem in casu ubi acidi sicci ratio unica cum acido combustibilis quod rationibus 4 oxygenii scatet conjungitur, unius tantum hujus principii rationis fluor vindicare sibi locum posset, et hoc quidem in casu dici oporteret una e 4 rationibus acidi boracici rationem unam hydrogenii ab acido fluorico separari ut in statu *fluoris* constituatur, fluoremque cum acido *boratoso*, si valeat verbum, suam copulationem instituere.

Gaz silicio-fluoricum expansione oxygenii donatur, et sic in voluminis formatione, ad acidum suum fluoricum siccum *ratio* referenda videtur. Si volumini duplici ammoniacæ uniatur, in fluatem ammoniacæ neutrum, et sub-fluatem siliciæ dispertitur: gazis illius constituentia 10, 5 acidi fluorici sicci et 15 siliciæ sistunt.

CAPUT IV.

DE METALLIS IN GENERE.

Metalli nomine salutatur substantia quæcumque simplex, solida vel liquida, omnino fere opaca, in genere aqua gravior, nitore majori vel minori splendens, fluidi electrici et caloris conductrix optima, cum oxygenio una vel pluribus rationibus congrediens, lumen levigata repellens etc. etc.

Hanc juxta definitionem metalla, ut patet, tanquam corpora simplicia habentur. Analogicis tamen nonnullis deductionibus probari videtur metalla ut vera composita considerari posse. Etenim rationem unam, 7,5 oxygenii, ratione hydrogenii una, in aqua saturari jam diximus : ut vero oxygenii ratio una in oxidulo hydrargyri saturetur, hujus metalli 190 partes requiruntur : oportet ergo ut, in 190 partibus hydrargyri, partes 189 alterius cujusdam, materiei quæ nullam juxta rationem ad oxygenii saturationem concurrit, reperiantur (72). Mate-

(72) Non 189 partes exacte quidem ibi reperiri debent, nam cum in copulatione sua cum hydrogenio oxygenium tantam calorici amissionem quam dum cum hydrogenio conjunctionem instituit, patitur, admitti potest oxygenium ibi dimidiæ rationi combustibilis unitum esse, quod combustibile, si ipsum hydrogenium non sistat eadem omnino saturationis capacitate ac illud principium gaudet.

ries autem illa, ex sententia Professoris doctissimi Van Mons, hoc quod *basim* corporum *inactivam*, ceu *materiem inertem* vocat, constituit. Eumdem juxta chymicum, metalla composita vera sistunt, et ex hydrogenio et corpore quodam *inerti* quod nulla ipsius materiei ratione ad saturationem oxygenii concurrit, conflantur. Metalla ita conflata, et oxygenio, saltem in conjunctione cum calorico, prorsus destituta, non aliam ob causam *colore*, *pondere*, *energia* sæpe sæpius inter se discrepant, quam quia principia illorum constitutiva diversas juxta rationes, inter se copulata fuerunt : majorem aut minorem oxygenii copiam a materie inactiva caloricum abstulit, et ea igitur materies cum majori vel minori copia hydrogenii remansit. Ponderosiora maximam materiei inactivæ quantitatem habent, maxima hydrogenii copia, leviora superstruuntur (73). Hujus opinionis in auxilium ruere videtur opinio chymici cujusdam Angli qui arbitratur sodium et potassium, talia nempe qualia obtinentur, maximam ipsorum levitatem debere quantitati hydrogenii, qua inter reductionem superstructa fuerunt (74). Ex eo insuper confirmari illa videtur opinio quod in extremitate columnæ negativa hydrargyrum novam sibi vindicet hydrogenii rationem, metallumque concretum sub ipsa atmospheræ temperatura fiat; ex eo autem stabilitum prorsus apparet quod ammoniacæ metallum, postquam ortum sit a substractione oxygenii sui, vel a substitutione rationis unius hydrogenii in loco aquæ, quæ ex oxygenio

---

(73) J. B. Van Mons, principes élémentaires de chimie philosophique, pag. 93.

(74) A supplement to the second edition of a system of chemistry, by J. Murray; pag. 47. Edinburgh. 1812.

azoti et una e tribus rationibus ammoniacæ oritur, in ammoniacam denuo per substitutionem rationis unius aquæ in rationis hydrogenii, loco converti possit. Ille ammoniacæ reductionem, et illius metalli reoxidationem concipiendi modus, vel adoptetur vel rejiciatur, haud minus eo constat rationes tres hydrogenii azoto conjunctas, et quæ ab ipso ignis ope separari possunt, ammoniacæ constituentia sistere. Cur metallum potassæ, metallo ammoniacæ multo fortiùs, quatuor vel pluribus hydrogenii rationibus scatere non posset, metalla debiliora duabus ejusdem principii rationibus, vel una tantum, et sic ulterius ? e quibus autem, si reipsa probata essent, pateret metalli cujuscumque *vim* a quantitate hydrogenii, qua oxygenii rationem unam superstruere potest, oriri. Metalla præterea, quæ aquam disjungunt et quæ hoc liquidum hydrogenii loco assumere supponi possunt, commutationem illam non efficerent, caloricum ab aqua non amoverent, vel potius oxygenium ab ea haud auferrent, si oxygenium illud, hydrogenio superstruere non possent.

Metalla illa quæ juxta rationes determinatas cum hydrogenio coire posse dicuntur, tanquam combustibilia acidificabilia considerari debent, ipsorumque æquivalentia chymica in eorum cum chlore copulationibus quærenda. Metalla illa cum oxygenio vel cum hydrogenio vel cum utrisque simul acida insignia formandi proprietate gaudent : vix autem cum aliis acidis sales efficiendi facultate donantur.

Ea sunt, viri doctissimi, quæ et pro viribus meis, et dato tempore vobis offerre mihi concessum fuit : fateor quidem de qua disserui materiam, omnibus exacte numeris absolutam non esse, et amplissimum adhuc præbere dicendi argumentum, persuasus vero in tanta temporis brevitate materiem

meam omni, qua extendi potuerit, amplitudine adornari non posse, præcipua chymiæ phænomena selegi, pro viribus meis varia interpretatione explicavi, ea quæ diximus ad ea quæ dicenda supersunt, nulla cum difficultate accommodari posse ratus. Cæterum, alia ex parte mihi persuasum est, conatus meos juveniles non omni omnino fructu destitutos fore, quoniam non tam vincendi desiderio commotus quam vires meas in in scientia, qua indigere medicus non potest, exercendi cupidus, dissertationem meam conscripsi, quam judicio vestro, omni qua decet observantia, subjicio.

TANTUM.

XIV.

JOANNIS DEVYVER

RESPONSIO

AD QUÆSTIONEM

BOTANICO-ZOOLOGICAM.

JOANNIS DEVYVER,

BIERBEECCENSIS,

MEDICINÆ IN UNIVERSITATE LOVANIENSI STUDIOSI

RESPONSIO

AD QUÆSTIONEM AB ORDINE DISCIPLINARUM MATHEMATICO-PHYSICARUM PROPOSITAM:

Definiatur Nutritio Corporum Organicorum in Genere, *compareturque Nutritionis Processus Vegetabilium cum processu animalium; exponatur deinde progrediens ejus in variis animalium classibus evolutio...*

QUÆ PRÆMIUM REPORTAVIT.

Rerum natura nusquam magis quam in minimis tota est. PLIN.

RESPONSIO

AD QUÆSTIONEM

BOTANICO-ZOOLOGICAM.

PROOEMIUM.

Is profecto provinciam cum utilem tum etiam difficilem suscipiet, qui corporum organicorum nutritionis processus exponere voluerit; in Physiologia quippe quod horum corporum non eadem occurrant commoda ac in Anatomia, quæ solummodo res visibiles ordinat, discernit atque perquirit, et varias formas ad formam primariam reducere debet. Ad quam disputationem pertractandam cum me accommodarem, facilius esse intellexi, originem atque metamorphosim organorum elementarium plantæ exhibere, variasque de structura, origine atque metamorphosi horum organorum conferre opiniones, disponere et docere, qua ratione vel potius, quo errore perducti homines falsum constituerint systema, quod naturæ legibus cum maxime adversetur, conformationem et metamorphosim eidem adscripserint; uno verbo, experimenta observanda, ordinanda et distinguenda sunt: quæ omnia ut quisque maxime sagaci fuerit ingenio, sic maxime perspicere et etiam pertractare poterit.

In priori vero parte plane aliud est. Jam enim non oculis res apparent, de quibus agitur; non formæ externæ, origo atque structura explicandæ sunt, sed agitur de significatione hujus formæ externæ, de functione horum organorum elementarium; quod illic ope oculorum et sanæ mentis discerni poterat, hic sensibus interioribus et acuto ingenio discernendum.

Insuper dici potest, in hac ampla parte scientiæ omnia oculos hominum fugere; qui vero ab effectibus ad causas procedere intendit, is pauciores modo, veluti naturæ arcana easque solum suspicari potest; alias vero causas e levioribus experientiis ducens, in iis suum systema erroneum instituit: sic disseminantur opiniones sibi invicem contrariæ, imprimis, si ad eas corroborandas vel instrumentorum subsidio opus fuerit.

Hujus autem partis Historiæ Naturalis primas *Nutritio* tenet, quæ maximi est momenti, atque phænomena admodum mira intellectuque difficillima producit: ea enim inter omnes corporum organicorum atque viventium facultates prima observatur, estque ad eorum existentiam maxime necessaria. Planta, animal, functione reproductiva carere, et tamen existere possunt, ut videre est in individuis, quæ organis reproductivis haud gaudent: omne autem corpus organicum absque nutritione pereat necesse est.

In quibusdam tamen casibus animal et planta nullum alimentum sumere videntur, ut in ovo et grano, per torporem hyemis et somni; sed hic notandum est, illa tempora tantum esse momentanea, et corpora illa tum quoque ex materiis nutritivis antea sumtis subsistere, vel parum per torporem deperdere.

Dixi, etiam per nutritionem phænomena valde mira produci, quæ sententia mihi comprobanda videtur; ubinam enim alibi occurrit phænomenon illud, quod per nutritionem in animalibus atque vegetabilibus miramur, in quibus perpetuæ et continuæ fiunt permutationes, e. g. in bove, fœnum fit caro, atque in herba moleculæ cum animales, tum vegetabiles, quas terra a corpore aliquo vivente assumserit, in alias permutantur materias. Quin etiam excrementa ipsa fructibus dulces adferunt succos, cet.

Cur omnes hæ permutationes in unicam substantiam nutritivam fiant? Cur in una eademque planta, in uno eodemque animali, altera pars amara, ut Bilis, altera dulcis, ut Caro et Fructus, videatur? Cur demum cujuslibet generis organisatio in omnibus suis partibus semper eadem, et quomodo substantias etiam valde diversas in suam ipsius permutet? Miri profecto quid in phænomenis nutritio frequenter exhibet, idque in animali corpore quotidie obtingit, hoc omne alibi frustra quæres; in mortario enim contundas, maceres, et fermentationi, et ebullitioni, et putrefactioni panem vel carnem ipsam subjicias; ne tamen fibram quidem carnosam, viventem, organicam et sensibilem ex illis componere poteris: Chymicus ipse, qui tot tantaque prodigia in mineralia exercuerit, in hac re nihil quidquam efficere poterit, facilius enim mercurium permutaret in aurum, quam ex omnibus nutritionis materiebus plantam vel animal procrearet.

Ex quibus facile intelligitur, nutritionis phænomena totius Physiologiæ maxime mira, eaque, uti diximus, vix intelligi posse, et fatendum omnino est, naturam in hoc mechanismo omnia prorsus occultare.

Ad quod si quis animum adverterit, disputationis nostræ difficultatem perspiciet, quippe quæ de illa corporum organicorum nutritione tractet.

Hanc ipse difficultatem intellexeram, neque tamen ea a proposito me deterruit, cum disputationis et præstantiam et utilitatem sensissem; itaque pro viribus me ad opus accinxi et rem audax aggressus sum. Quo facilius consilium assequerer, utile duxi, in hac materia methodum quamdam sequi, et ut primum, quid corpus organicum sit, quomodo corpora organica dividantur, breviter et clare, quoad fieri potest, exponemus. Itaque in introductione

I. Corporis organici definitionem dabimus, et alia quædam de ejus proprietatibus atque structura.

II. Corpus hoc organicum in *Vegetabile* et *Animale* dividemus cum definitione et explicatione utriusque.

Quibus breviter præmonitis, in Sectione prima de Nutritione in genere agemus; in Sectione secunda nutritionis processum vegetabilium cum eodem animalium componemus.

Cum autem hic mechanismus vegetabilium ab animalium mechanismo differat, priorem in Sectione tertia, posteriorem in quarta seorsim exponemus.

Insuper, cum hic mechanismus in variis tum vegetabilibus, tum animalibus, variet, vegetabilium divisionem in *Acotyledones*, *Monocotyledones* et *Dicotyledones*, et animalium in *Radiata*, *Articulata*, *Mollusca*, et *Vertebrata* assequemur, de quibus singulatim disseremus.

INTRODUCTIO.

§ I.

CORPORA ORGANICA.

CORPORA organica sunt corpora viventia, quorum textus e fibris et vasis constat (1).

Vel, juxta celeberrimum DECANDOLLIUM : sunt corpora viventia, heterogenea per intus-susceptionem crescentia (2).

Fusius: sunt corpora, actioni interiori, quæ eorum proprietates dirigit, subjecta, in quibus moleculæ a se invicem pendent, et non nisi relative ad totam massam subsistunt, qua disjuncta, sponte intereunt ita, ut eorum existentia tantummodo sit relativa meraque haberi possit compositio harmonica, vel circulus, in quo omnia connectuntur, et in quo convenientiæ semper reciprocæ et continuæ insunt.

Ab organisatione proprietates vitales separari nequeunt, in textu enim non decomposito tum vegetabilium, tum animalium, etiam mortuorum, semper quædam vitalitatis signa appa-

---

(1) Dictionnaire des sciences médicales Art. *Organique*.

(2) DECANDOLLE, Théorie élémentaire de la Botanique. Paris, 1819. p. 3.

rent, e. g. cutis, fibræ corporis mortui, violento stimulo, uti igni, subjecta sese contrahere, movere et agitare, vel in aqua calida sese remittere et extendere possunt, quæ proprietates non sunt mechanicæ, uti nonnullis auctoribus perperam placet, quippe quod nullum simile phænomenon in massis brutis reperiatur. Vita igitur et organisatio idem esse videtur, quod scilicet una absque altera existere nequeat, et semper sunt cum earum perfectione in ratione directa; corpora enim, in quibus organisatio perfectior et efficacior, validiori quoque vita gaudent.

Corpora organica, non solum temperaturæ, sed etiam tempestatibus, aëri atmosphærico, planetarum motui atque conversionibus periodicis, ipsi denique cœlo, quod incolunt, obnoxia sunt.

Vita igitur corporum organicorum, actionibus universi subjectorum, combinationibus atque modificationibus exterioribus permultis subjecta est : generatim itaque omnia in natura alia ab aliis pendent; omnia enim in se mutuo influunt, et ita inter se connectuntur ut, si quis corpus quoddam cognoscere studuerit, is omnes ejus cum aliis congruentias comparare debeat; quod si neglexerit, nunquam perfectam istius corporis notitiam sibi comparare poterit.

Omnes denique corporum organicorum modificationes hic tangere longius foret; attamen de quibusdam proprietatibus generalibus et functionibus pauca exponemus.

Inter has proprietates 1) notanda est organisatio, quæ a simplici aggregatione atque crystallisatione in eo discrepat, quod ex unione molecularum regulariter dispositarum con-

stet; quæ moleculæ primum textum cellularem vel areolarem, tum fibras, denique vasa et apparatum variarum materiarum inter se connexarum, et ad functiones determinatas concurrentium, constituunt. Omne corpus organicum e substantiis liquidis et solidis constat; e liquidis nascuntur solidæ; liquidæ enim continuo agunt in solidas, in quarum substantiam immutantur et sic semper partes, quas corpus organicum vi vitali deperdit, reficiunt, ejusque renovationi inserviunt, ut patebit ex articulo de *Nutritione*.

Corpus organicum continuo easdem formas, cum internas tum externas exquirit ejusque ea est structura, ut quælibet pars suam utilitatem et quodlibet organum suum usum habeat, solaque unione illarum partium existat, qua quidem cessante, eorum vita quoque sponte cessat.

2) Corpora organica quadam proprietate activa gaudent, qua per aliquod tempus destructioni suæ resistunt, partes, quas continuo deperdunt, renovant, materies morbificas rejiciunt vel destruunt; insuper gradatim crescunt ex parte interiori ad exteriorem, ita ut eorum organa successive ad punctum determinatum, quod vix transilire possunt, evolvantur; postea decrescunt sponte et paulatim sese destruunt, sicque ætatem periodicam adolescentiæ, ætatis adultæ, atque senectutis conficiunt.

3) Omnibus vel saltem plerisque corporibus viventibus parte quadam aëris opus est ad respirationem, quæ nempe nutritioni necessaria admodum esse videtur.

4) In his corporibus figura externa membrorum aliarum-

ve partium semper e quadam conformatione interna pendet; hæc enim quodammodo figuræ externæ germen est primordiale.

5) Quævis planta, quodvis animal e corporibus omnino similibus originem repetunt, actionis scilicet generationis, ex qua organisatio seu vita cujuslibet corporis viventis profluit.

6) Corpora organica ad destructionem suam continuo inclinantur; quippe quod moleculæ semper in se mutuo agunt.

Jam satis de corporibus organicis diximus; sed quia pleraque tam structura, quam functionibus inter se discrepant, ea in *Vegetabilia* et *Animalia* distingui solent, de quibus seorsim nunc agendum.

§ II.

VEGETABILIA.

Hæc corpora auctores varii vario modo definiunt, scilicet:

Linnæus ille, in editione prima systematis naturæ, (anni 1735) vegetabile ita definiit : « Est corpus crescens et vivens. »

In duodecima vero ab eo curata editione ejusdem operis (anni 1766) eam ita mutavit: « Corpus organisatum, vivens et non sentiens. »

Linkius : « Est corpus organicum, quod finibus vasorum « succum nutritiium ex alienis corporibus *statim* suscipit,

« nec aliena corpora, pro cibo adhibenda, in receptaculo « communi (ventriculo) digerit (1). »

DUMERILIUS v. c. : « Sunt corpora viventia absque organis, « sensus et motus voluntarii, quæ per succionem vel ab- « sorptionem externam nutriuntur et evolvuntur, et semper « cavitate digestiva carent (2). »

MIRBELIUS v. c. : « Est corpus vivens, crescens, sese pro- « pagans et moriens (3). »

RICHARDUS vir cel. : « Sunt corpora organica et viventia, « sensibilitate et motu voluntario destituta; sed quadam ir- « ritabilitate organica gaudentia (4). »

Sed I quamvis hæc corpora motu voluntario destituta sint, attamen quædam loco-motionem valde sensibilem conficiunt, e. g. *Orchis*, cet. Radix enim omnium fere orchium duos tuberculos carnosos, lateraliter ad caulis basim positos, offert. Alter illorum tuberculorum, orto caule, cujus germen in parte interiori continebat, flaccessit, sese contrahit et demum destruitur; sed simul tertius prope illum, qui caulis anni subsequentis rudimentum adhuc continet, evolvitur et primum pereuntem supplet. Hac evolutione novi

---

(1) Philosophiæ Botanicæ novæ Prodromus, Gottingæ, 1798.

(2) DUMERIL Traité élément. d'hist. nat. Paris, 1817. T. I. p. 61.

(3) MIRBEL Éléments de Physiol. véget. et de Botan. Paris, 1815. p. 8.

(4) RICHARD Nouveaux élémens de botanique, p. 3.

tuberculi, per singulum annum locum habente, facile concipitur, cur caulis recens evolutus a præcedente distet.

II. Licet sensibilitas activa atque voluntaria, qua vegetabilia sensus capacia redduntur, in ipsis admitti nequeat, tamen, experientia teste, illa plane passiva non sunt, quippe quod motus notabiles et soli earum irritabilitati tribuendos conficiunt, e. g. *Mimosa sensitiva* folia et flores, dum tangitur, plicat et folia *Hedisari Gyrantis* etiam plura similia phænomena præbent (5).

Quidam tamen auctores totam vegetabilium vitam elasticitati cuidam mechanicæ, vel potentiis mere Chymicis et Physicis, uti tuborum capillarium attractioni, dilatationibus per calorem vel contractionibus per frigus tribuunt. Tales fuere STAHLIUS, HOFMANNUS et alii; sed eos errasse, atque ex eorum systemate notiones malas de vitæ facultatibus profluxisse, et eorum opiniones bene a sequentibus auctoribus refutatas fuisse mihi videtur.

Inter eos eminuit GORTERUS, qui primus irritabilitatem plantis ut animalibus tribuit: postea FREDERICUS WINTERUS, JOANNES LUPSIUS Moscoviticus, plantarum irritabilitatem, præsertim antheræ, pollen emittentis, explosione probarunt. Comes DELCOVOLO, Florentinus, horum organorum motus in *Centaurea Calcitrapa*, J. F. KALREUTERUS in *Martyniae* stigmatibus observarunt.

---

(5) RICHARD. Nouveaux élémens de botanique, pag. 5.

Insuper, experientiis plurimis recentioribus vegetabilia irritabilitate gaudere satis constat (6).

Sed ut eo redeamus, unde jam aberravit oratio, vegetabilium definitionem dabimus eam, qua intelligimus, corpora organica, viventia, immobilia, plerumque solo affixa, sive grano, sive gemma aliove corpore simili evoluta succione radicum ope, vel imbibitione ope foliorum sese nutrientia, demum, quæ sese reproducunt et moriuntur (7).

Cui tamen definitioni objici posset, quædam esse corpora organica, viventia, solo affixa, ibi evoluta, sese nutrientia, reproducentia et morientia, uti sunt e. g. *Polypi, Zoophyti, Spongeae, Lithophitae, Corallia,* quæ tamen inter vegetabilia non recensentur; sed hic animadvertendum, illa corpora characteres vegetabilibus e. g. *Fungis* et aliis *Cryptogamis,* tam vicinos præbere, ut plurimi naturæ scrutatores ea inter illa duo regna stabilirent, et pro illis regnum peculiare proponerent (8).

Hæc corpora, ut processus suos, quorum excitator lumen est, exequi possint, terra et sole opus habent et eorum functiones in hydrogenatione unice continentur, unde efficitur, ut ea caloricum animans ex corpore alieno accipere debeant atque sic ad retrocomponendas substantias accommodata sint (9).

---

(6) Nouv. dict. d'hist. nat. appliquée aux Arts. T. II, Art. *Animal.*

(7) Ibid. T. XXXV, Art. *Végétal.*

(8) Ib. T. X, Art. eod.

(9) VAN MONS, Principes d'électricité p. 298 et 301.

Jam satis de vegetabilibus, unde continuo ad animalia progrediamur.

§ III.

ANIMALIA.

Hæc, uti vegetabilia, vario modo a variis auctoribus definiuntur, nempe :

Linnæus ille, in prima editione supra memorata : « Est « corpus crescens, vivens atque sentiens. » In XII autem ab eo curata editione sic mutavit : « Corpus organisatum vi- « vens, sentiens, sponteque se movens. »

Mirbelius v. c. : « Est corpus vivens, crescens, sentiens, « sese propagans et moriens (1). »

Juxta alios : « Est corpus sensu et motu voluntario gaudens (2). »

Quæ utraque facultas a se invicem separari nequit : sensibilitas enim voluntatem vitandi quod nocet, quærendi quod prodest, necessario procreat; unde sequitur, animal facultate loco-motrice absolute donatum esse.

---

(1) Mirbel Élémens de Physiol. végét. et de Bot. p. 8.

(2) Dict. des Sciences médicales. Art. *Animal.*

Hæc autem adnotatio tam vera est, ut hæcce facultas semper sit in ratione directa cum sensibilitate, e. g. *Zoophyti* et *Vermes* parum sensibiles sunt et etiam vix sese movere possunt, *Insecta* vividiora et expeditiora *Moluscis*, majorique sensibilitate gaudent.

Sed erunt forsitan qui definitionem nostram utpote non universalem arguant, et sustineant, *Zoophytos* minime sensibiles esse, quia systemate nervoso visibili non gaudeant. Istius modi adversarios repellere nobis haud difficile est: verum enim vero, ut cætera animalia, cerebro, capite, centro sensitivo non sunt instructi, sed palpitant, impressiones tactus localis sentiunt; carne irritabili vel contractabili gaudent, ita ut sensibilitas absque cerebri actione locum habere possit, moleculæ enim pertenues ad hanc sufficiunt sensibilitatem (3).

Celeberrimus vero Van Monsius de vitæ mechanismo illorum corporum notiones omnino novas, subtiles et, uti solet, prægnantes dedit: juxta eum enim tota eorum vita mere processus est chymicus, et uti pila Voltaica exstat, quoad exercitium, in oxygenatione, et quoad accumulationem in hydrogenatione, et quoad utrumque simul, in calorici evolutione, atque ita progreditur, nempe: vitam animalium, quæ, uti pila, processus suos organisationis independenter ab omni reactione aliena exercent, pilæ independentia activitatis et extinctionis processu comparat, quod in tractatu *De Electricitate*, maxima arte et industria confecto, egregie demonstrat hac ratione: in utroque, inquit, processus iidem

---

(3) Nouv. dict. d'hist. nat. appliquée aux Arts. T. II, Art. *Animal*.

generales occurrunt, nempe *Oxygenatio* et *Hydrogenatio*, et distingui possunt partes, quæ utrique elemento, combinando atque accumulando eorum processum, inserviunt. Porro in utroque observantur tria puncta, incrementi, stagnationis atque decrementi vis vel intensitatis elaborationis, quæ a massa substantiæ agentis atque energia relationum omnino pendet, e. g. in animali una cavitate omnia per hydrogenationes perficiuntur, in altera per oxygenationes, dum in tertia, excitator et actionum harum regulator positi videntur. Venæ et arteriæ partibus, quibuscum communicant, harum elaborationum præcipuarum vitæ animalis limites indicant. Sanguis venarum rubro-fuscus omnes characteres hydrogenationis hepatis, quod præcipuum est organum hydrogenificationis, hydrogenearum naturalium et chymicarum vel combinationum hepatiformium, præbet, et sanguis ruber arteriarum characteres corporum oxygenio vivificatorum et hydrogenio orbatorum offert.

Hanc sanguinis distinctionem non habet animal evolutum et nondum natum, quod nempe non adest in eo exercitium processus oxygenantis animali respiranti proprii; sed hunc sanguinem copiose possidet et jam elaboratum accipit, ita ut ejus vita passiva sit. In animali vero crescente elaboratio hydrogenii valde activa, et cum elaboratione oxygenante æquiponderat in animali non amplius crescente, et uterque processus majori minorive energia ad tertiam usque vitæ naturalis periodum perducitur, postea decrescit et omnino fere ad elaborationem oxygenantem transit. Quibus autem decrescentibus et languescunt functiones et vires deficiunt extinguuntur que et denique mors exoritur.

Attamen auctor differentias pilam inter et processum vitæ

physico-chymicum adfert sequentes, scilicet : in priori, oxygenium præcipue intrat in combinationem, et hydrogenium non nisi subsidiarium; in posteriori vero, hydrogenium præcipue agit, et oxygenium secundarium tantum; in pila aqua decomponitur, ut fluidum suppeditet electricum, in animali vero recomponitur, ut caloricum liberetur; pila hydrogenium exclusorie ab aqua accipit, animal autem præcipue a substantiis hydrogenatis; pila aquæ elementa ad invicem divellit, ubi animal ea conjungere videtur; hoc enim plus aquæ producit, quam consumit.

Animal extrinsecus oxygenium et caloricum ejus dissolvens sumit, dum pila nihil extrinsecus experitur; sed sese aptat et subsistit per causam, quam ipsa excitat (4).

Animalia sibi assimilant hydrogenium aquæ, quam vegetabilia decomposuerunt, et partim carbonium, quod in his substantiis hydrogenium excipiebat; sed postquam hydrogenium sibi assimilarunt, rursus oxygenio aëris tradunt aquam formandam; eodem tempore, aquam decomponunt, ut elementa ejus postea conjungant (5), quod perficitur respiratione, quæ illis temperaturam aëris temperaturâ altiorem tribuit, et ideo animal semetipsum instruit, vel renovat motum materiæ suæ activæ, conjungendo, non in aqua, sed in hydrocarbonate thermoxidato, principia, in quæ jam egerat, ut ea disjungeret (6).

---

(4) VAN MONS Principes d'électricité, p. 295, 296, 297, 298, 302, 309, 310.

(5) Id. ib. p. 299.

(6) Id. ib. p. 301 et 311.

Longe aliud est in animali non nato, cujus natura cum plantis comparari potest; aquam enim ad eumdem finem decomponit, et hydrogenium accumulatum sibi assimilat. Materias pro processu oxydante, quem per contactum cum aëre subiturum est, parat, sanguis ejus niger, sensibilitasque, quamdiu impressionem oxydantem et stimulantem aëris non acceperit, sopita manet.

Vita ejus ubi crescit, magnam efflagitat copiam illius principii, ex quo pendet. Non nisi pinguedo est, et ipse sanguis arteriosus, quem a matre accipit; venosus fit, dum per placentam transit. Nulla actio, nisi in hepate et cerebro, quæ organa sunt præcipua hydrogenationis, elaborationesque ejus in bile et pinguedine consistunt (7).

Sat copiose, ni fallor, in hac introductione de corporibus organicis in genere, seorsim de vegetabilibus atque animalibus dixi, unde eorum clara notio comparari possit: itaque hanc rem mittamus et *processum Nutritionis* eorumdem corporum exponamus (8).

---

(7) Van Mons Principes d'électricité, p. 306 et 311.

(8) Ad animalium classes, genera, species rite atque ex interiori eorum natura distinguendas, videsis tabulam, quæ inscribitur: Uebersicht des *gesammten Thierreichs*, nach den neuesten Beobachtungen *Lamark's*, *Dumeril's*, *Illiger's*, *Cuvier's*, *Oken's*, *Rudolphi's*, cet. vom Dr Ficinus. Dresden 1820. fol. max.

Ad totum vero rerum naturalium nexum penitius intelligendum, vide: S. Erhardti *Encyclopædiam Philosopham*, interprete F. J. Dumbeck, Lovanii 1822. 8; præsertim P. I, § 47-77, p. 13-25.

SECTIO I.

§ IV.

NUTRITIO.

Omnia corpora seu viventia seu organica continuo de suis moleculis deperdunt, et textus sui organici consumptione, transpiratione, exhalatione et fluidorum secretione continuo ad suam destructionem tendunt, brevique extinguerentur, nisi accederet vis huic opposita et ab ipsa natura proficiscens, quæ nimirum partium deperditarum vices impleret, easque renovaret; *Nutritionem* intelligo, quæ est actio, qua corpora organica sese conservant, vel functio, qua in quolibet corpore organico, quælibet pars, quodlibet organum substantiam suam conservat atque renovat; functio, inquam, qua omne corpus organicum materiam assumit, quam elaborat, suæque substantiæ assimilat, dum eodem tempore quantitatem suæ compositioni proportionatam per excretiones deperdit, ut fusius postea dicam; unde constat, omnes partes corporis viventis successive destrui atque renovari, ita ut post aliquod tempus ejus compositio plane sit a priori diversa.

Hac autem nutritionis facultate gaudent omnia corpora organica, vegetabilia e. g. in solo vel in aere materias, quas in succum nutrititium permutant, per radices vel ramos continuo hauriunt; et dum hunc succum sibi assimilant, proportionem æqualem compositionis suæ per excretionem rejiciunt, quod clarius exponam, ubi de nutritione plantarum peculiariter dicam.

Animalia nimirum alimenta uti et aerem introducunt, quæ etiam vi chymico-vitali in succum nutrititium, ut infra amplius videre est, dum de his seorsim, permutant, et dum hæc assimilatio locum habet, vegetabilium instar, proportionem suæ substantiæ æqualem deperdunt per excretiones.

Licet omnia corpora organica hac facultate nutritiva gaudeant, nutritio tamen non semper eodem modo perficitur, sed pro variis quoque corporibus varia est, ita ut in aliis simplex, in aliis autem valde sit composita, e. g. processus nutritionis vegetabilium permultum discrepat a processu animalium, uti in sectione sequente explicaturus sum.

SECTIO II.

§ V.

COMPARATIO NUTRITIONIS PROCESSUS VEGETABILIUM CUM EODEM ANIMALIUM.

Nutritionis processus vegetabilium cum animalium processu quodammodo comparari potest, e. g. classes inferiores animalium, uti *Zoophyti* et *Polypi* per solam imbibitionem se nutriunt; idem accidit in vegetabilium classibus inferioribus, e. g. in *Acotyledonibus* (1). Classes vero animalium perfec-

---

(1) Mirbel Élémens de phys. végét. et de bot. p. 13.

tiores pro nutritionis organis habent tubum intestinalem cum organis secretoriis et vasis lymphaticis; systema sanguiferum et pulmones; classes quoque vegetabilium perfectiores organa his simillima habent: ut optime demonstrat KIESERUS (2): nempe quemadmodum animalia ore alimenta introducunt, ea per tubum intestinalem transmittunt, in stomacho transmutanda in chymum, et denique in jejuno mutanda e chylum, deponunt, ita quoque vegetabilia permultis osculis, quæ in radicum extremitatibus inveniuntur infimis, alimenta e solo exhauriunt et in succum suum transferunt: chylus in venas delatus et inde, in pulmonibus per oxygenium in sanguinem mutatus, secundum eamdem viam mutatio in plantis peragitur; succus enim per lignum in canalibus intercellularibus in folia defertur, in quibus, aëris contactu, transformatur in liquores nutrititios (in qua actione canales intercellulares venis et folia pulmonibus animalium comparari possunt), uti deinde ex pulmonibus sanguis per arterias in omnes corporis partes, nutritionis vel substantiæ renovandæ vel incrementi causa, transmittitur, ita etiam in canalibus intercellularibus corticis et radiorum medullarium arteriæ animalium sunt; per hos enim succus in foliis, aëris contactu, in succum nutrititium transmutatus, in omnes plantæ partes defertur, et quemadmodum arteriæ sanguinem oxydatum hi succum oxydatum transferunt, uti tandem fæces animalium deponuntur in partibus inferioribus, ubi intestinales, ita quoque fæces plantarum, vel liquores, earum nutritioni non magis adap-

---

(2) KIESER Mémoires sur l'organisation des plantes. Haarlem, 1814. p. 258 et sq.

tati, excernuntur in vasa propria, sub forma succorum propriorum, unde mox squammarum, foliorum vel fructuum causa ejiciuntur.

In eodem fere consentiunt RICHARDUS et MIRBELIUS (2).

Quam in vegetabilium et animalium nutritione similitudinem excogitavit DECANDOLLUS v. cl. (3); in utroque enim alimenta per plures vias transire debent, priusque nutritioni inservire valent; in utroque etiam diversæ fiunt secretiones et excretiones (4).

Hanc vero etiam similitudinem agnovit DUHAMELIUS ille, qui uti animalia sensibili et insensibili transpiratione prædita esse, ita quoque vegetabilia hancce mediantibus foliis perficere existimat (5).

Denique VAN MONSIUS v. cl. ea inter se convenire asserit, quod in utroque substantia elaborata sit aqua (6).

Ex quibus omnibus manifestum est quodammodo nutritionis processum vegetabilium cum animalium processu recte comparari posse, si quis tamen majorem in considerando diligentiam et accurationem adhibeat; is continuo, qua ratione

---

(2) RICHARD Nouveaux Élémens de Botanique, p. 139.

(3) MIRBEL Élémens de phys. végét. et de botan. p. 12 et 13.

(4) DECANDOLLE Théorie élémentaire de la Botanique.

(5) DUHAMEL Physique des arbres. L. II. Ch. III. p. 135.

(6) VAN MONS Principes d'électricité. p. 301.

uterque inter sese discrepet, perspiciet, quod autem discrimen bene intellexit noster DECANDOLLUS, cui placet: animalia sensibilitate atque mobilitate gaudentia, alimenta existentiæ necessaria eligere, quærere, ubi illa e proximo non inveniunt, atque assimilandi gratia illa introsumere possunt. Igitur ex omnibus alimentis, iisque raro in natura occurrentibus, sicuti sunt materies vegetabilium naturam nactæ, quæque vi nutritionis supercomponunt, sese nutrire valent. Vegetabilia vero eorum, quæ sibi suppeditent nescia, neque pastum et cibum sibi comparare valentia, alimentis uti debent adeo communibus, ut ea ubique inveniri, adeo inertibus et debilibus ut facile absorbeantur, denique adeo mollibus, ut nulla mechanica divisione egeant; quas conditiones tantum adimplent solæ substantiæ inorganicæ, uti aqua, aër atque materiæ in his solutæ, et reipsa eæ sunt etiam, quæ vegetabilium nutritioni inserviunt.

Itaque cum animalia ex materiebus diversissimis alimenta eligere possint, eorum organa nutritionis diversissima esse debebunt, vegetabilium vero, quæ ubique eadem fere alimenta absorbent, organa erunt nutritionis parum diversa.

Animalia autem, quæ alimenta eligunt, difficilius cibos sibi congruentes comparabunt, inventosque diutius servare debebunt: itaque cavitate peculiari (stomacho), in qua eos deponere possint, et ubi vasa absorbentia succos corporum ingestorum absorbeant, instructa sint oportet; vegetabilibus vero, quæ nimirum liquoribus nutrititiis semper circumdantur, quosque non colligere debent, ventriculo conservatore non opus est.

Cum in animalibus alimenta in interna hac cavitate de-

ponantur, omnia idcirco vasa ad eam diriguntur; in vegetabilibus vero omnia vasa absorbentia ad superficiem tendunt [hic tamen annotationem facit de *Hydra* MIRBELIUS (7)].

Cum autem in animalibus alimenta per aliquod tempus in stomacho detineantur, sic soliditatem quamdam habere debent, et dum vasa absorbentia totam partem nutritioni accommodatam ex iis secreverunt, residuum solidum sit oportet. In vegetabilibus vero alimenta, quo facilius per eorum vasa penetrent, liquida esse debent, et ubi hæc vasa partes idoneas absorpserunt, excrementa quoque liquida sint necesse est (8).

CUVIERUS v. cl. demonstrat, nutritionis rationem in vegetabilibus multum etiam differre a ratione animalium, scilicet: vegetabilia per epidermidis poros, per radices atque folia absorbere, nullamque offerre cavitatem internam, animalia vero, per cutem quoque absorbentia, gaudere tamen cavitate interna, in qua cibos, diversa in loca transeuntia, deponere possint (9) juxta eundem etiam MIRBELIUM (10).

Idem addit, juxta plures auctores discrimen inesse in eo, quod animalia per unicum os alimenta sumant, ubi vege-

---

(7) MIRBEL Élémens de physiologie végétale et de botanique, p. 11.

(8) DECANDOLLE Théorie élémentaire de la Botanique, Introduction.

(9) CUVIER Dict. des Sciences médicales. T. II. art. *Animal.*

(10) MIRBEL loco supra laud.

tabilia per plura, scilicet per radicum, foliorum atque epidermidis poros; sed hanc distinctionem non esse constantem asserit, quum *Medusae* pluribus oribus gaudeant.

Noster auctor etiam in alio libro aliam adfert distinctionem, nempe: terra et atmosphæra vegetabilibus ad nutritionem aquam ex oxygenio et hydrogenio, aëremque ex oxygenio azoto et parva quantitate acidi carbonici constantes, offerunt: ex his hydrogenium, carbonium et parum azoti absorbetur, superfluumque oxygenium, sive liberum, sive cum carbonio, sive cum hydrogenio conjunctum, exhalatur; animalia vero ex alimentis præsertim assumunt hydrogenium, carbonium et azotum: hoc retinent, nimiam hydrogenii et carbonii quantitatem exhalant, et aëre oxygenium præcipue accipiunt, quod cum sanguinis hydrogenio et carbonio conjunctum, cum toto corpore communicatur, ita ut ratio vegetabilium et animalium ad aërem sit opposita: illa enim exhalant, hæc vero reproducunt aquam et acidum carbonicum (11). VIREGIUS eamdem fere differentiam adfert, nempe: organa nutritionis esse interna in animalibus, externa in plantis: has quoque in universum simplicioribus nutriri alimentis, quam animalia, scilicet carbonio, hydrogenio atque oxygenio constare, dum in animalibus phosphorus et alia alimenta iis adjiciuntur: animal ex aqua vel ex aëre oxygenium absorbere, plantas vero absorbentes acidum carbonicum rejicere oxygenium et absorbere carbonium atque hydrogenium: animalia insuper instructa esse ore, ventriculo vel tubo intes-

(11) CUVIER Le règne animal, distribué d'après son organisation. T. I.

tinali, proprie dictis dum plantæ tantummodo organis horum simillimis gaudent (12).

Quod etiam discrimen vegetabilium inter et animalium nutritionem animadvertit, DUHAMELIUS ille, quippe quo plantæ æquali tempore multo magis transpirent, quam animalia perfecta, quod etiam radices per totam diem absorbeant succos, animalia vero tantum ex intervallo alimenta sumant, et insuper quod digestio animalium in eorum stomacho perficiatur, dum in vegetabilibus probabiliter in sinu terræ locum habet (13), quod tamen multi negant auctores.

MIRBELIUS hanc etiam adfert disparitatem : quod nimirum plantæ substantiis inorganicis nutriantur, et cum aqua substantias minerales, vegetabiles et animales, in eo liquido dissolutas, absorbeant, insuper partes virides, ut folia, solis radiis subjectæ, aquam et acidum carbonicum decomponant, oxygenium hujus acidi fere totum rejiciant, retineantque carbonium et principia et parum azoti, quod gaza et liquidum absortum in textum introduxerunt (hanc tamen acidi carbonici decompositionem negat VAN MONSIUS), has sibi substantias assimilant, iisque characterem suæ naturæ, pro aliquo tempore, tribuunt; animalia vero vegetabilibus vel animalibus victitant, unde textus animalium iisdem ac vegetabilium elementis constat; sed varia proportione, quia elementa, sui juris facta vel retenta, quantitate in iis discrepant; v. g. res-

---

(12) DICTIONNAIRE d'histoire natur. appliquée aux arts. T. II. art. *Animal.*

(13) DUHAMEL Physique des arbres, L. V. Ch. I. p. 188 et sq.

piratio, species combustionis, quæ locum habet, ubi vasa sanguinea cum aëre atmosphærico in contactu sunt, continuo textui animali acidum carbonicum surripit; textus vero vegetabilis hoc acidum absorbet, carboniumque sibi assimilat, unde carbonium in vegetabilibus, azotum in animalibus abundat (14).

Hocce denique discrimen excogitavit clar. VAN MONSIUS: vegetabilia, quorum elaborationes definitivæ vel producta finalia composita sunt hydrogenata, cibos animalibus parare videntur, animalia autem, quorum ultimæ combinationes omnes oxygenatæ sunt, compositum elaborant, in quod mineralia agunt.

In vegetabilibus, quæ fluidum excitatorium extrinsecus accipiunt, carbonium, pro activitate, secunda substantia non eget; sol enim hunc excitatorem, qui simul oxygenium suscipit, suppeditat, ita ut aqua directe decomponatur, quin alia vis divellens ac sol huic decompositioni faveat, et combinatio immediata sit vel absque accumulatione præparatoria intermedia: ex altera parte inter lumen et oxygenium, ex altera autem inter hydrogenium et carbonium. Vegetabilia extremam vegetationis periodum attingunt, dum *maximum* coloris, odoris et saporis acceperunt, quæ a principiis pendent, in quibus hydrogenium prævalet. Ultra hoc tempus vegetabilia minuunt hydrogenationem, quæ in grano concentratur, aliæ vero partes aquam recomponunt, magis carbonisantur et pedetentim decrescunt, brevique destruuntur: animalia vero, quorum

(14) MIRBEL Élémens de physiologie végétale. p. 12.

organisatio magis implicita quam organisatio vegetabilium, et quæ simultanee ac per systema diversum organorum processus hydrogenantem et oxygenantem perficiunt, pro eorum excitatore, non solum habent oxygenium aëris, dum hoc gaz cum sanguine venoso, in pulmonibus, in contactum venit, sed hunc excitatorem separant ab oxygenio condensato, prout necessitas hydrogenii, combinationem prioris principii cum carbonio magis intimam constituit (15) (aliud tamen obtingit in animali nondum nato, ut supra exposui).

Ex quibus dictis facile intelligitur, vegetabilia et animalia tum respectu materiei, qua sese nutriunt, tum respectu ipsius mechanismi nutritionis processus permultum inter se discrepare : hanc itaque materiam, ut melius in lucem proferatur, peculiariter tractatam volumus.

SECTIO III.

§ VI.

NUTRITIO VEGETABILIUM.

Quod vegetabilium nutritionem attinet, ex omnibus observationibus chymicis, huc usque factis, constat, verum plantarum alimentum in aqua carbonica contineri, cui azotum seu atmospheræ sive soli ad summum etiam accedit.

---

(15) VAN MONS Principes d'électricité. p. 504 et sq.

Humus præbet alimentum, carbonium scilicet, quod cum atmospheræ oxygenio in acidum carbonicum convertitur.

Cum autem principia chymiæ vegetabilis nutritioni tantopere inserviant, de his multa dici possint : sed ne longior fastidiosaque exoriatur disputatio, hæc silentio prætermittenda duxi, ideoque statim ad nutritionis processum in variis plantis transeo.

Cum autem in quolibet corpore organico nutritionis varietas ab organorum varietate pendeat, et in vegetabilibus ipsis organa nihil constans offerant, patet nutritionis processum in illis non semper eodem modo peragi, sed magis minusve perfectum esse, prout organa magis minusve composita sunt; ideo divisionem vegetabilium in tres præcipuas classes, nempe: *Acotyledones*, *Monocotyledones* et *Dicotyledones* sequar: nutritionisque processum primo in infima classe, i. e. in *Acotyledonibus*, explicabo; uti enim organa in his simpliciora sunt, sic etiam nutritionis mechanismus simplicior sit oportet.



CAPUT I.

§ VII.

NUTRITIO ACOTYLEDONUM.

Juxta celeberrimum illum rerum naturalium investigatorem, Decandollum, plantæ *Acotyledoneae* eæ sunt, quarum semen lobis vel cotyledonibus destitutum est, et quæ textu cellulari compositæ, vasis non instructæ sunt (1).

Quarum plantarum si formam structuramque accurate observaveris, eas continuo inter reliqua vegetabilia minime perfectas, ab aliisque admodum discrepare, intelliges; itaque, ut supra diximus, nutritionis processus in iis etiam inest simplicissimus, in quem scilicet maxime influit existentia vel non existentia vasorum, quæ videntur organa adeo esse necessaria, ut in corpore, si defuerint, vita vix concipi possit.

Hæ plantæ sex continent familias (2), quæ sunt :

---

(1) Decandolle Théorie élément. de la botan. *Acotyledones*, p.

(2) Nouv. dict. d'hist. nat. appliquée aux arts. *Acotyledones*. T. I.

I. *Algae*, quæ secundum methodum naturalem, vegetabilium infimam constituunt seriem.

Hæc familia, cujus studium, tam ob ejus naturam, tenuitatem atque fugacitatem plantarum, quam ob organorum simplicitatem, omnino difficillimum est, plantas, quæ in aquis paludum, fluviorum atque maris vegetant, comprehendit.

II. *Fungi*. Hæc familia, quæ diu infima vegetabilium series habita fuit, observationibus in *Algas* nuperrime peractis, nunc secunda habetur.

Quæ ab aliis eo præcipue discrepat, quod ejus species nec foliis nec floribus instructæ sint, quod nunquam sint natura herbacea, et quod tum forma, tum organisatio ejus simpliciores sint; et methodo crescendi tantum cum iis congruit.

Crescunt in solo vel sunt parasitæ, i. e. aliis insident plantis et ex earum succo vivunt.

De eorum origine auctores inter se discrepant, quorum opiniones hic enumerare supervacuum arbitror.

III. *Hypoxylones*. Hæc familia, juxta DECANDOLLUM, *Fungos* inter et *Lichenes* intermedia, continet plantas cryptogamas, substantiæ coriaceæ vel fere lignosæ, quarum semina parvis lobulis inclusa, succo gelatinoso mixta sunt.

IV. *Lichenes*, plantæ sunt cryptogamæ, quarum habitus et formæ maximas et quidem innumeras offerunt varietates; plerumque sunt expansiones planæ et coriaceæ, arborum truncos, vel terræ superficiem ambientes, parvos aliquando truncos ramosos offerunt tam tenues, ut longæ barbæ similes videantur; denique adhuc sub forma pulveris tenuis videntur.

Plantæ hujus familiæ, juxta LINNÆUM v. cl. characteribus distinguuntur sequentibus : sunt *Monoicae*, pro floribus mas-

culis, capsulas orbiculares, sive planas, sive concavas, et pro floribus femineis, pulverem in foliis conspersum habent: auctores tamen de hoc charactere distinctivo atque de earum specie inter se dissentiunt.

Aliæ in arboribus, aliæ in solo, aliæ denique in lapidibus crescunt; parasitæ tamen haberi non possunt; non enim alimenta capiunt ex arboribus, quibus insident, sed per expansiones suas, quæ humiditatem atque gaza aëris absorbent præcipue nutriri videntur.

Hæ autem quatuor præcedentes familiæ tantummodo sunt productiones imperfectæ vitæ vegetabilis; nullo enim organo genitali apparente instructæ sunt et absque nuptiis multiplicantur; in tota structura nec vasa, neque tracheæ, neque aliæ textus vegetabilis perfectioris modificationes observantur, sed solummodo expansiones membranaceæ vel cellulares et fungosæ, quæ sola imbibitione nutriri videntur.

V. *Hepatici.* Plantæ cryptogamæ, quæ plerumque in locis humidis atque opacis, et præsertim in fluviorum ripis, fontium atque puteorum marginibus crescunt. Sunt vel monoicæ vel dioicæ: flores juxta HEDWIGIUM, masculi et, juxta PALISOTUM, DE BEAUVOIS feminei, nihil nisi parvuli catilli, modo sessiles, modo petiolati, limbo inæquali vel sinuoso, interdum in parte infima squammosi, et in parte superiori excavati, quorum singulus unum aut plura continet corpuscula rotunda, una interdumque etiam utraque extremitate constricta.

Hepatici, juxta celeb. RICHARDUM, muscorum instar, foliis et caule modo sunt instructi, modo ipsis carent, et tunc non nisi expansiones sunt virides.

VI. *Musci;* familia plantarum cryptogamarum, quarum characteres sunt: organa fructificationis incerta, urna ple-

rumque tubo, plus minusve longo, raro pedunculo molli et membranaceo, axillari vel terminali sustenta, uno vel quatuor lobulis, pulvere inflatis, et corpore parvo contrificio, ab HEDWIGIO *Columella* vocato, instructa.

Harum itaque cognoscendarum studio permulti incumbebant auctores, quorum nonnulli de earum functionibus, organis et nomine diversas fovebant sententias. Omnia autem, quæ de iis ab auctoribus narrantur, ad hanc nostram disputationem adferre parum utilitatis ducentes, levioribus missis, ea solummodo attingere volumus, quæ præcipua sunt et majoris momenti.

Musci plerumque plantulæ sunt semper virides, quæ magis per poros absorbentes foliorum, quam per succos radicibus absorptos, nutriri videntur. Folia eorum membranacea, simplicia et sessilia sunt vel distica vel sparsa vel imbricata. Cespites plerumque efformant opacos, qui a base, crescente quidem vertice destruuntur. Eorum caules simplices vel ramificati, repentes aut erecti, multi quoque, annui præsertim, non nisi scapo tenui instructi sunt: plerique in solo, in arboribus atque in lapidibus, quidam tamen tantummodo in paludibus atque aquis crescunt.

Hæ duæ familiæ, licet Cotyledonibus destitutæ, organis tamen reproductivis, sed occultis et cognitu difficilibus, gaudent.

Sola quoque imbibitione nutriuntur, quia organis nutritivis, quibus plantæ superiores gaudent, non instructæ sunt.

Insuper in *Acotyledonibus* neque tracheis, neque vasis porosis, instructis, fluidum absorptum ab una molecula ad aliam absque ordine transmitti videtur.

5.

CAPUT II.

§ VIII.

NUTRITIO MONOCOTYLEDONUM.

Exposita præcedente capite *Acotyledonum* nutritione, in hoc nutritionem *Monocotyledonum* examinabo, in quibus, ut supra dixi, cum nutritionis varietas ab organorum nutritivorum varietate pendeat, nutritionis mechanismus simplicior, quam in *Dicotyledonibus* erit, quippe quorum organa sunt minus perfecta, ut e sequentibus patebit.

Juxta Decandollum, plantæ *Monocotyledoneae* illæ sunt; quarum vasa fasciculatim, ita ut recentiora sint in stipitis centro, disposita sunt, et quarum embryo cotyledonibus solitariis aut alternis instructus est (1).

A *Dicotyledonibus*, quæ organa perfectissima præbent, non solum cotyledonum numero, sed etiam structuræ diversitate discrepant, e. g. contextus in illis mollior et nonnunquam lignum durum constituunt; contra stipitis centrum

(1) Decandolle Théorie élémentaire de la Botanique. *Monocotyledones*. p. 248.

plerumque spongiosum, interdum quoque cavum, ut in *Culmo* observatur; in *Typha* et in *Palmis* contextum laxum, cellulosum vel medullarem præbet, dum partes exteriores indurescunt. Atque etiam inter se in eo discrepant, quod *Monocotyledones* plerumque folia habeant simplicia, vaginantia, ut videre est in *Grammineis*, *Irideis*, *aliis*, atque flores incompletos, calice carentes, vel solo periantho colorato instructos, stamina plerumque 3 vel multipla 6 aut 9; *Acotyledones* vero habeant folia primordialiter opposita, aut verticellata (sed quæ tamen actu vegetationis alterna fieri possunt), et flores completos et stamina 5 vel multipla.

Monocotyledones, uti *Dicotyledones* vivaces, quæ plures in eodem caule florescentias sustinent, plerumque fructificationi non supersunt, neque bis florent, licet plures ante florescentiam diu vegetent, non per strata, uti dicotyledones, sed tumescendo crescunt.

Germinatione quoque inter se differunt, e. g. in *Monocotyledonibus* (*Grammineis* solis exceptis) radicula atque plumula tantum post germinationem apparent; in grani parte interiori non crescunt, evolutio earum extrorsum exercetur et apex carnosus cotyledonis sub tegumentis semilanibus, quæ sese conservant, manet absconditus; in *Dicotyledonibus* vero radicula, cotyledones et sæpe plumula quoque ante germinationem apparent, evolutio earum in parte interiori grani incipit, quæ, ubi peragitur, intumescentia novæ plantæ tegumenta seminalia totaliter disrumpit, sine qua disjunctione embryo nullo modo evolvi posset.

Denique differunt etiam in eo, quod *Monocotyledones* embryonem cylindricum, nudum, partim solummodo peris-

permo affixum et corpore alieno obductum habeant, *Dicotyledones* autem embryone foliaceo vel absque perispermo instructæ sint (2).

Jam vero satis de *Monocotyledonibus* dixisse puto, ut earum a *Dicotyledonibus* discrimen percipi possit, atque etiam intelligi, quantum aliæ aliarum organisationem exsuperent.

Illæ autem plantæ ex iisdem materiebus ac *Dicotyledones* alimenta assumunt; substantias enim, quas sibi assimilare debent, per eadem organa ac *Dicotyledones*, scilicet per radices, folia atque stipites, absorbent, attamen inter alias hæc observatur differentia, quod in *Monocotyledonibus* absorptio hæc plerumque fiat per stipites, ubi in *Dicotyledonibus* per folia plerumque peragitur, et qui totum nutritionis phænomenon in his duabus classibus observaverit, is facile processus permultum discrepantes ac in *Monocotyledonibus* multo simpliciores quam in *Dicotyledonibus* deprehendet : organa enim, quæ succum nutritivum transmittunt, e. g. ullulæ, etc. solummodo directionem a basi ad apicem plantæ habent, unde nullus motus succi regulariter descendentis habetur, et hic quoque succus multo minus quam in *Dicotyledonibus* elaboratus est (3).

---

(2) Annales du muséum d'histoire naturelle.

(3) Mirbel Élémens de physiologie végétale et de botanique.

CAPUT III.

§ IX.

NUTRITIO DICOTYLEDONUM.

Dicotyledones ejusmodi plantæ sunt, in quibus, docente Decandollo, vasa per strata centrifica, quorum juniora in circumferentia disposita sunt, et embryo cotyledonibus oppositis aut verticillatis constat (1). Quarum autem plantarum cum organisatio admodum sit perfectior (vid. Cap. præced.), sic etiam nutritionis processus major et implicatior erit.

Nutrimentum sibi per absorptionem assumunt: nempe absorbent in terra, aëre et aqua (2) certas substantias externas, quas in suæ compositionis substantiam ipsam permutant, et sic partes, quas continuo per excretiones et exhalationes deperdunt, renovant, et destructionem suam, quæ inde certo mox sequeretur, impediunt. Hæ materiæ quoque ad eorum

(1) Decandolle Théorie élémentaire de la botanique. *Dicotyledones*, p. 243.

(2) Mirbel Élémens de physiologie végétale et de botanique. p. 178.

incrementum partim concurrunt. Hæc absorptio variorum organorum ope perficitur, præsertim tamen mediante radice (3).

§ X.

DE CAULE.

Huic autem absorptioni inservit *caulis;* in superficie enim multos offert poros, qui quasi suctorii, vapores aëris absorbent et ea quidem copia, ut plantæ succulentæ, veluti *Stapelia*, et alii textus laxioris, quæ parum transpirant, hac absorptione sola subsistere possint, quod inter alios V. C. DECANDOLLUS (4), probavit, qui plantas succulentas in loco aëri expositas, sensibiliter de suo pondere deperdidisse et dein aquæ immersas recuperasse vidit (5).

§ XI.

DE FOLIIS.

Ad hanc etiam absorptionem (ut etiam putaverunt Du-

(3) MIRBEL p. 196 et sequentibus.

(4) KIESER Mémoire sur l'organisation des plantes, p. 235. RICHARD Nouveaux élémens de botanique, p. 30.

(5) KIESER l. supra. l. p. 177.

Hamelius (6), Bonetius, Mariotus, Halesius, Dufayus, qui plantas in loco humido gravidiores, quam in sicco, observarunt) accommodata sunt *folia*, quæ in aëre atmosphærico easdem functiones ac radices in solo explent (7), ut ex ipsa eorum structura satis notum est; quippe quæ in facie inferiori multos offerant poros et pilos, qui hanc absorptionem facilitant, quorumque facies superior glabra est, et sic ad excretionem fluidorum nutritioni non utilium, i. e. ad plantarum transpirationem concurrit (8).

Ex omnibus experimentis, ad hunc usque diem factis, constat, poros istos ad respirationem plantæ ejusque processus desoxydantes aptos esse, et aërem atmosphæricum haurire, quem tunc oxygenio privant, eumque per vasa lymphatica corticis in ductus intercellulares vehere, nec non lympham in hisce ductibus contentam, hocce modo in contactum aëris atmosphærici venire, sanguinis adinstar per pulmones, eamdem vero lympham per hunc processum carbonio impregnari non autem oxygenio, uti sanguis in processu opposito, qui respirationi animali inservit.

Ex quibus observationibus innotuit, poros non nisi in aëre, perfectius tamen noctu agere, qua processus plantæ desoxy-

---

(6) Duhamel Physique des arbres.

(7) Mirbel Élémens de physiologie végétale et de botanique, p. 20. 160. Kieser Mémoire sur l'organisation des plantes, p. 235.

(8) Mirbel Élémens de physiologie végétale et de botanique, p. 152. Richard Nouveaux élémens de botanique, p. 110.

dans, functioni plantæ primitivæ respondens, vivacior est, quam per diem, ubi sol processum oxydantem sustinet.

Experientia denique comprobatum est, poros quidem absorbere aquam, in cujus superficie folia natant, liquores vero coloratos minime sugere; unde verisimile est, poros aquam non sugere, sed eam solummodo decomponere et hydrogenium reddere, uti radicis fibrillæ, quæ succos coloratos non minus sugunt; quod systema quoque amplexus est V. C. DUHAMELIUS (9), qui hanc absorptionem, non uti imbibitionem spongeæ fieri, sed ab organismo peculiari pendere sustinet: folia enim mortua, ait, non absorbent.

Ex quibus intelligitur folia pro varia facie varium habere usum, scilicet facies superior respectu plantæ est desoxydans, illique carbonium præparat, et respectu aëris est oxydans, illique producit oxygenium, sed hæc tantum luci exposita; facies vero inferior, respectu plantæ oxydans, et respectu aëris desoxydans, functionem eamdem, ut antea dictum, ac radix adimplet; nempe sugit et decomponit aquam, ipsam hydrogenando, sed præcipue noctu (10).

Substantiæ vero, quas folia absorbent, sunt gaza et varia fluida in aëre atmosphærico dispersa, vel vapores aquosi, qui ex terra sese exhalant.

Hæ materiæ pilis vel poris faciei inferioris absorbentur, atque ita introducuntur in folia, ibique mutationes varias su-

---

(9) DUHAMEL Physique des arbres, L. II. C. III. p. 162.

(10) KIESER Mémoire sur l'organisation des plantes etc. p. 232 sq.

beunt : folia enim, solis radiis exposita, acidum carbonicum, aëri atmosphærico surreptum (ut illud a radice proveniens) decomponunt, carbonium retinent atque oxygenium sui juris fit; carbonium autem, quod cum aqua et azoto (11) vegetabilium præcipuum nutrimentum reputari potest, eorumque basim efformat, maximos producit effectus; coit enim cum elementis aquæ; cum iis lignum, resinas, materiam viridem, aliasque materias combustibiles format; brevi convertitur in plantæ substantiam atque ita ad illarum nutritionem concurrit. Oxygenium vero, sui juris factum, aërem acido carbonico, quod animalia continuo exhalant, inquinatum, sincerum reddit (12).

Cum autem ad hoc phænomenon requiratur expositio plantæ radiis solaribus, palam fit, hoc phænomenon in locis obscuris plane esse contrarium; in hoc enim casu folia non oxygenium exspirant, nec aërem atmosphæricum sincerum reddunt, sed contra acidum carbonicum exhalant et absorbent oxygenium, sicque aërem atmosphæricum inquinant; unde constat, quare plantæ in locis obscuris nec solis radiis expositæ incolores sint, carbonium non nisi minima quantitate contineant ac parum vigeant (13).

Notandum tamen, folia hic quoque decomponere acidum

(11) Mirbel Élémens de physiologie végétale et de botanique p. 9 et 97.

(12) Mirbel Élémens de phys. etc. p. 11, 20, 77, 94, 161, 130. Richard Nouv. élém. de botanique, p. 111.

(13) Mirbel loc. supra laud. p. 161.— Richard l. l. p. 111.

6.

carbonicum, sed minima quantitate, et composita saccharina produci (14).

Jam dixi, VAN MONSIUM v. cl. systemati disjunctionis immediatæ acidi carbonici in foliorum parenchymate luminis solaris ope adversari, hujus autem disjunctionis possibilitatem nequaquam negat, sed sequente modo perfici contendit; acidum, ait, carbonicum, quod tum a pagina inferiori foliorum inhalatur, tum a radicibus in humo hauritur et quoque processu vegetationis, oxygenis partim absorpti ope, producitur ad foliorum paginam superiorem, luminis solaris influxu iterum in carbonium plus minusve organisatum et hydrogenatum efficitur: accedunt enim ex aqua a sole disjuncta rationes 4 ad rationem 1 acidi carbonici, unde ratio 1 carbonii organisati et rationes 2 aquæ oriuntur: possunt quoque rationes 2 ex hydrogene ab aqua separato acidum carbonicum ad statum oxydi carbonici reducere, et 2 alteræ rationes ejusdem hydrogenis huic oxydo se adjungunt, unde iterum ratio 1 carbonii organisati et rationes 2 aquæ renatæ originem duxerunt: in omni casu par oxygenis et rationum ponderatarum et voluminum numerus, ac si oxydum carbonicum decompositum esset sui juris fieret.

Acidum carbonicum, quod e plantis noctu evaporatur, juxta eumdem auctorem, indirecte provenit ab oxygenio aëris atmosphærici, quod sese unit hydrogenio carbonii organisati, in plantis contenti. Reipsa facile concipitur unam proportionem carbonii organisati in semi proport. acidi carbonici consistere

(14) MIRBEL loc. supra laud. p. 161.

+ semi propor. hydrogenii carbonati, vel, quod idem, in proport. integra acidi carbonici + proport. una hydrogenii carbonati, quod correspondet 2 proportionibus carbonii organisati : hoc productum constat ex una proport. acidi carbonici + una carbonii + 4 hydrogenii. Si igitur 4 proport. oxygenii aëris combinantur cum hydrogenii 4 proport. hydrogenii carbonati, obtinentur :

1. Proportio acidi carbonici sui juris facti; 2. proportio carbonii cum 4 proport. aquæ: duæ ex his 4 proport. aquæ, sese uniendo proportioni carbonii, efformant denuo carbonium organisatum, quod dissolvi potest vel saltem hydratari per 2 proport. aquæ residuas : saccharum recenter formatum sua vice easdem potest subire mutationes, quod quidem systema mihi vero similius videtur.

§ XII.

DE RADICE.

Huic denique absorptioni maxime inservit *radix*, quæ, ut supra diximus, in varias tenues desinit radiculas, quarum extremitas, suctoriis instructa, absorptionem exerit, uti demonstrant celeb. MIRBELIUS et RICHARDUS (15).

De substantiis, quas radix absorbet, auctores inter se dis-

---

(15) MIRBEL Élémens de physiologie végétale et de botanique p. 93. RICHARD Nouveaux élémens de botanique p. 31.

putaverunt: juxta nonnullos, in primisque VAN HELMONTIUS, plantæ solam aquam absorbent, illarumque assimilatione sola subsistere possunt.

Hanc opinionem fovebat BOYLIUS. WOODWARDIUS Anglus, systema omnino contrarium secutus est; quippe qui plantas terra ipsa sese nutrire putavit, cujus opinionem JETHRO TUL non solum adoptavit, sed plantas ex sola terra nutriri sustinuit; hoc autem systema amplexus est primum DUHAMELIUS ille, sed dein agnitum hoc falsum systema rejecit.

Jam vero experimentis constat aquam, quam radices absorbent, solutas tenere substantias terreas, salinas, animales et vegetabiles; illaque principia terrea et salina tanta cum aqua affinitate gaudere, ut vix etiam chymice separari possint; omnesque has substantias cum succo in textum organicum vehi, unde partim per transpirationem rejiciuntur, partim vero principiis solidis aut liquidis plantæ assimilantur.

Experientia quoque notum est, aquam in plantis decomponi, iisque suppeditare oxygenium et hydrogenium, quod in plantis copiose inesse videtur.

Acidum carbonicum, e combustione, fermentatione, respiratione, vel ex omni alio fonte ortum, in plantas penetrat per folia et radices, unde nocte rejicitur; die vero, juxta aliquos, decomponitur in foliis; carbonium retinetur, et oxygenium, pro majori saltem parte, sui juris fit.

Azotum parva quantitate cum aqua et substantiis animalibus in textum organicum introductum, cum aliis principiis elementaribus coït et substantiis azoticis originem præbet,

unde videtur utilitas fumigationis : hæc enim suppeditat vegetabilibus substantias carbonisatas et azoticas; terram dividit et evolutioni et multiplicationi radicum favet, aëris atmosphærici humiditatem attrahit et probabiliter organorum irritabilitatem excitat, indeque succionem atque nutritionem ipsam auget.

§ XIII.

DE SUCCI MOTU.

Jam vidimus varias substantias, quas aqua solutas tenet, per radicum absorptionem, cum succo suo in textum organicum introduci, in cujusmodi transitu varias etiam accipiunt mutationes et modificationes, idque in primis in foliis, ut supra monuimus, obtingit.

De hujus autem succi via rerum naturalium investigatores diu inter se disputarunt, eoque magis, quod varii varias de partibus anatomicis atque functionibus physiologicis opiniones foverint; alii enim per medullam, alii per corticem aut per vasa spiralia, uti VAN LEEUWENHOEKIUS (16), DUHAMELIUS (17), MIRBELIUS (18), ejusmodi succum provehi putantur, alii demum systemata quam maxime complicata atque vaga instituerunt, inter quæ eminet systema circulationis.

---

(16) VAN LEEUWENHOEK Arcana naturæ.

(17) DUHAMEL Physique des arbres.

(18) MIRBEL Exposition de la théorie de l'organisation végétale.

Dantur tamen ductus maxime apparentes, nimirum canales intercellulares, in quibus succus ascendit, et per quos in omnes plantæ partes transfertur : hunc autem succum unice in plantis existere probatum est, pariter quoque horum canalium præsentia demonstrata, unde aliorum hujus succi transitui inservientium canalium necessitas superflua.

Ex quibus facile intelligitur, non per vasa spiralia, sed per canales intercellulares, succum provehi, perperam non tamen nulli auctores alium ei transitum tribuerunt.

Varias has opiniones singulatim hic enarrare, propter earum falsitatem, inutile duximus; plura enim experimenta, ab eruditissimo Kiesero exposita in eo libro, quem de plantarum organisatione ingeniosissime conscripsit (19), probant: I. Succum aquosum vel crudum per corpus lignosum ascendere; II. succum, sic dictum elaboratum descendere per corticem, atque hoc e succo plantas nutriri (hunc tamen motum negat Mirbelius (20); III. Succum non solum longitudinaliter, necque per vasa spiralia, ut quidam voluerunt, sed per corpus lignosum ascendere, tunc quoque, quando ab omni parte rescissum sit, ita ut in canales intercellulares corporis lignosi solum ascendere clare pateat; IV. Cum in vegetabilibus vera vasa non subsistant, sed succus per canales intercellulares progrediatur, imo cum in illis centrum succi motus non, uti in animalibus, in quibus cor omnem sanguinis motum dirigit, reperiatur, et ita succus non ex unico

(19) Kieser Mémoire sur l'organisation des plantes, p. 239.

(20) Mirbel Exposition de la théorie de l'organisation végétale, l. c. p. 290.

puncto, sed ex pluribus oriens, non semper eamdem viam, sed pro variis causis externis variam sequatur, succum descendentem, ita ut ascendentem, non linea directa, sed in omnem sensum, per corticem descendere comprobavit.

Ex ulterioribus vero experientiis succum, præter viam hucusque indicatam, in aliis adhuc partibus inveniri constat, scilicet succum nutritivum etiam in radiorum medullarium canalibus intercellularibus et succum descendentem non solum in cortice, sed etiam in radiis medullaribus, subsistere, quod quidem celeberrimi KIESERUS, KNICHTIUS, COTTA, alii eo demonstrarunt, quod in alburno denudato in radiis medullaribus circuli turgentes (bourrelets) e succo, in canalibus intercellularibus contento, nascantur.

Alia demum nobis occurrit quæstio, scilicet per quam corticis partem, vel per alburnum, vel per corticis parenchyma proprie dictum succus descendat? Hæc quidem eo difficilius reputari potest, quod nullus auctor ipsam plane resolvere ausus fuerit, ut quoque confessus est expertissimus KIESERUS, cujus opiniones tute sequi possumus; existimat enim, hanc quæstionem nondum esse resolutam, demonstratum vero esse, succum non per librum ascendere, et succum descendentem in parenchymate corticis, quod est continuatio medullæ atque radiorum medullarium, etiam inveniri; sed hanc ultimam demonstrationem non repugnare opinioni : succum æqualiter per libri canales intercellulares descendere, et itaque ulteriora, ait, experimenta hæc omnia elucidare debent.

Quæ quidem omnia systemata præteriens, systema KIESERI, utpote accuratissimis stabilitum experimentis, secuturus sum, nempe: succus crudus, qui ex aqua carbonica

primum oritur, et in plurimis vegetabilibus easdem fere proprietates exhibet; per radicis fibrillas telæ cellulosæ corticis ope sugitur, non autem per vasa spiralia. Quomodo radix liquores sugat, nondum innotuit; non est succio simplex, sed potius decompositio fluidorum, in quibus radices istæ absorbentes inseruntur, ut elucet e plurimis observationibus, e. g. radices non vulneratæ, liquori colorato immersæ, non colorantur.

Post hanc absorptionem succus e radice in corpus lignosum ascendit per canales intercellulares, cellularum protensarum vasorum spiralium fasciculos ambientes, et qui fibræ lignosæ dicuntur, quæ progressio ita peragitur, quod scilicet parenchymatis et fibrarum lignosarum cellulæ clausæ sint, vasaque spiralia succum non vehant et radii medullares non longitudinaliter procedant.

In hac autem succi transmissione duo hæc notatu digna videntur, scilicet: 1. paulatim immutari succum in locis vasis spiralibus, respirationique inservientibus, maxime propinquis, ita ut in singulo internodio magis elaboretur, et in parte superiori trunci magis quam in inferiori penderet, uti plurima probant experimenta.

2. Illum succum non, uti animalium sanguinem, reduci, quippe qui semper, quisquis sit plantæ situs, versus aërem et in altum eirigitur, ut in planta inversa observari potest, in qua succus e vertice ascendit ad radicem.

Succus e corpore lignoso ad folia transmittitur, in quibus plurimas mutationes, easque maximas subit per contactum aëris ambientis (vide, quæ supra de foliis) et nutritioni ap-

tus redditur: ut enim pulmones in animalibus, sic etiam folia in vegetabilibus respirationi inserviunt et succum crudum in nutritivum immutant.

Notandum tamen, plantarum non uti animalium respirationem, quæ combustionem producit, temperaturam in plantis non augere (21).

Quæ transmissio ex ipsa foliorum structura enitet; foliorum enim pori et vasa lymphatica conjunguntur cum canalibus intercellularibus, qui vasa spiralia, foliorum nervos constituentia comitantur; canales autem intercellulares succum in altum vehentes, eum in folia transmittunt, ita ut in promptu sit, succum e parte inferiori ad superiorem ascendere et dispergi in foliis, in quibus, mediante respiratione, quæ per poros corticales perficitur, mutationes quam maximas patitur.

Harum autem mutationum natura nondum demonstrata est: non enim perfecte novimus, quasnam materias plantæ ex aëre atmosphærico absorbeant, nec quas respiratione emittant; quippe experimentis hucusque peractis hoc solummodo observari potuit plantas, uti animalia, absque aëre oxygenato vivere non posse sed statim emori, ubi aër, in quo inclusæ sunt sub campanula, consumptus vel potius permutatus est; insuper observatum est, eas aërem, in quo inclusæ fuerunt, in gaz acidum carbonicum permutare, sed tamen illas aërem oxygenatum inspirare non videtur, sed contrarium probavit De Saussurius; hic enim aëris quantitatem,

---

(21) Mirbel Élémens de physiologie végétale et de botanique p. 160.

in quo planta respiravit, eamdem esse et qualitatem solam esse mutatam, observavit, ita ut gaz oxygenium absorbeatur et reddatur gaz acidum carbonicum, processu potius dynamico, plantis producto ac aëris atmosphærici indolem mutante, quam processu respirationis.

Sed quidquid sit, demonstratum est, succum in foliis maximas subire mutationes contactu aëris atque in succum permutari nutritivum, reproductioni, incremento ac partium deperditarum renovationi destinatum, uti plurimis constat experimentis, e. g. dum planta foliis privatur, perit ita, ut folia maxime in œconomiam vegetabilem influere manifestum sit. Post hanc absorptionem succus e foliis in corticem descendit et per canales intercellulares ad radicem usque retrograditur. Attamen nondum innotuit, utrum solum per canales intercellulares corticis proprie dictæ, an vero etiam per canales intercellulares libri, ut supra vidimus, descendat.

Observationum, quæ hucusque innotuerunt, aliæ transmissionem etiam per librum, aliæ contrarium probare videntur, ita ut experimenta ulteriora hujus phænomeni conclusionem requisitam dare possint.

Succus descendens cambium i. e. mucilaginem incolorem, inodorum, saporis dulcis, præparat, quod cambium et mucilago multa continent acida, quæ tamen oxygenio inopiora, quam acidum carbonicum et basibus tam intime nupta, ne mucilago quidem in fermentationem acidam, sed putridam abeat.

In multis plantis mucilago convertitur in amylum, ubi aquam et azotum amittit, siccessit, et in præcipitata granuosa mutatur. Mucilago vegetabilis ad aërem in gummi coa-

gulatur; quæ præparatio eo præsertim tempore, quo vegetatio maxime viget, locum habet, e. g. vere; e cortice enim tunc atque e radiis medullaribus materia, qua strata annua libri et alburni formantur, enascitur. Constare quoque videtur resinas, gummi omnesque alios succos, majori consistentia a succo crudo discrepantes, in fibrarum lignosarum canalibus intercellularibus non reperiri, sin autem in corpore lignoso inveniantur, tunc solummodo in radiis medullaribus existere, maxima autem copia corticis parenchymati inesse.

Denique ut omnia paucis complectamur, concludi licet: 1) « succum esse ascendentem crudum, succum autem des« cendentem elaboratum. »

2) « Succum crudum ascendere a radice usque in folia « per canales intercellulares fibrarum lignosarum, et succum « elaboratum descendere a foliis usque ad radicem per ca« nales intercellulares corticis, et pariter in hoc descensu per « corpus lignosum mediantibus radiis medullaribus trans« ire (22). »

Qua vi succus sursum et deorsum transmittatur, quæstio quoque est a variis auctoribus vario modo exposita: nempe mechanici hoc phænomenon vi mechanica, chymici vero chymica factum voluerunt; sed erravit uterque: planta enim non est tubus capillaris, nec vas liquorem fermescentem continens. Præterea multa experimenta harum opinionum falsitatem probant; soli igitur irritabilitati vel vi vitali, ut aliqui naturæ scrutatores nominant causam, quæ organorum ele-

(22) KIESER l. l.

mentarium cum animalium, tum vegetabilium contractionem producit, et quæ ita succi motus causa est, hoc phænomenon tribuere superest.

Jam satis de vegetalibus diximus, nunc continuo ad regnum animale progrediamur.

SECTIO VI.

§ XIV.

DE NUTRITIONE PROCESSUS ANIMALIUM.

Ubi de vegetabilium nutritione egimus, hunc processum in illis non semper eodem modo peragi vidimus; sed differre, prout organa nutrititia varia essent: hanc ob causam vegetabilium in tres classes, scilicet in *Acotyledones, Monocotyledones* et *Dicotyledones* divisionem secuti sumus, et nutritionis mechanismum in unaquaque classe seorsim exposuimus, ab Acotyledonibus tamen, utpote simplicissimis, incipiendo.

Pariter in animalibus, organa nutrititia nullo modo in omnibus eadem; sed contra successive simpliciora fiunt, et nonnulla quidem in classibus inferioribus desiderantur. Nutritio igitur in his, uti in vegetabilibus, non semper eodem modo perficitur, cujus mechanismus eo perfectior, quo organa animalium nutrititia magis erunt complicata, e. g. in animalibus superioribus nutritionem constituunt, *digestio, absorptio,*

circulatio, *respiratio*, et *assimilatio*, dum in inferioribus tantum *digestio* et *assimilatio* requiruntur (1).

Generatim hic mechanismus pro variis animalium generibus varius quoque erit, prout organa nutrititia variant: e. g. dantur animalia, in quibus alimenta, ut in chymum convertantur, masticanda, dum in aliis integra absque masticatione deglutiuntur. Sunt denique, quæ non nisi liquidis victitant, et quæ ideo tantum suctoriis, qui in variis animalibus ipsi varii sunt, indigent (2).

Divisionem igitur animalium, pro eorum fabrica, in quatuor classes præcipuas, secundum auctores recentiores sequi, scilicet in *Radiata*, *Articulata*, *Mollusca*, et *Vertebrata*, atque nutritionis eorum mechanismum in singulis seorsim exponere utile est, incipiendo, uti in vegetabilibus, ab infimis, i. e. a *Radiatis*.

Priusquam autem de animalium nutritione seorsim loquar, monendum puto: alimenta animalium generatim esse aërem et varia fluida elastica, in eo mixta, aquam et substantias in ea solutas, sed præsertim corpora jam organisata, sive vegetabilia, sive animalia; et si quædam substantias minerales assumant, eas tantum ut condimenta sive materiei jam organisatæ mixtas sumere, e. g. dum vermes terræ humum hauriunt (3).

---

(1) Cuvier Anatomie comparée, T. III. p. 4 et 5.

(2) Idem ibid. T. III. p. 5 et 6.

(3) Cuvier Anatomie comparée, T. IV. p. 2 et 3.

CAPUT I.

§ XV.

NUTRITIO RADIATORUM.

In his animalibus nutritionis processus, uti et organisatio, omnium simplicissima, ut e sequentibus elucebit.

Horum enim animalium systema nervosum numquam satis evidens, et si quod vestigium appareat, id radiatim dispositum est; neque cerebrum, neque caput habent, quare nulla organa sensibilitatis, aut irritabilitatis systemati exclusive propria.

In his etiam vestigia circulationis atque respiratio per totam corporis superficiem efficitur. Quædam etiam nil nisi massam gelatinosam, alia loco tractus intestinalis sacculum habent intestinalem cum exitu unico, per quem quoque excrementa reddunt. Pleraque autem nil nisi cavitatem in ipsa corporis substantia, pluribus interdum suctoriis instructam præbent; in pluribus orificium plane nullum, itaque vix alio modo, quam absorptione per poros sese nutrire possunt, et chyli distributio per omnes corporis partes locum habet eo momento ipso, quo perficitur (1).

Ex dictis constat, *Radiatorum* nutritionem non semper eodem mechanismo peragi, sed in variis classibus variam esse,

---

(1) Cuvier Anatomie comparée T. IV. p. 166.

prout organa nutrititia plus minusve complicita sunt. De singulis itaque seorsim tractabo.

TROTOZOA, sunt animalcula gelatinosa, ovis repleta, vel ovariis separatis instructa, et quorum nervi et musculi in unum sunt confusi; aliis os nullum, aliis apertura unica pro ore et ano. Stomachus nil nisi simplex, aut multiplex cavitas corporis.

Pabulum, ciliorum ope, hauriunt; sed cum nutritionis processus in variis eorum ordinibus variet, ejus mechanismum in his fusius exponam.

INFUSIORIA, sunt animalcula plane simplicia atque gelatinosa, inter formam animalem et vegetabilem fluctuantia. In his nutritio longe est simplicissima; non aliter enim, quam per corporis superficiem fieri potest, cum nullo organo interno composita sint.

Horum animalculorum corpore inverso, digestio per superficiem externam tamquam per internam locum habet (2).

In his animalculis succi distributio haud regularis, quia nulla organa adsunt, sed quodammodo liquor per gelatinam diffunditur (3).

CORALLIA, quæ diu plantæ marinæ habitæ fuerunt et polypis brachiatis similia, per quoddam corpus commune conjuncta sunt, cui nutritio communis.

---

(2) CUVIER Anatomie comparée, T. IV. p. 420.

(3) Idem l. l.

In his animalibus nutritio imprimis fit per polypos et alimenta accipiunt ope tentaculorum, quæ pro sua longitudine et flexibilitate participant.

Plura tam tenera et tam molli sunt substantia, ut solà aqua vel ad summum infusoriis sese nutrire possint, quæ imbibitio fit per polypos.

Sed hi polypi et tentacula non in omnibus *Coralliis* ejusdem sunt structuræ, in aliquibus plane desunt; et consequenter nutritionis processus in his quoque varius : in quibusdam enim *Coralliis* tentacula, quibus polyporum capitula cincta sunt, in medio os offerunt, et capituli cavitas, stomachum efficiens, in stirpis cavitatem abit, in quam animalcula minora tentaculis capta trahunt, quibusque nutriuntur.

In aliis singuli polypi, quibus nutritio efficitur, cum stirpis cavitate per canales juncti sunt.

In aliis demum polypi, tentaculis coronati, cum cortice animali connectuntur, et cellulis insident, vel ipsa stirps libera, articulata, in apice tentacula ferens radiata. In his, polypi ut tentaculis nutrimentum capiant, in foramina sua alternatim sese retrahunt, rursusque expandunt; hæc etiam corallia animalculis sibi advectis sese nutriunt, et eorum stirps, non, uti in planta, nutrimentum ipsa sugit, sed a substantia gelatinosa animali organico modo deponitur.

N. B. Hæc animalia substantias indigestas rursus per oscula reddunt. *Corallia,* polypis destituta, uti spongeæ, sese nutriunt, aquam in substantiam integram inducere solent, quæ penetratio vel per foramen superficiei, vel per canales in substantia diffunditur.

Aliquot *Corallia* exhauriunt alimenta per basim uti per radices; hæc assimilatio, ut chylus per stomachum et cavos per ductus, diffunditur, et una pars nutriens non pendet ab alia, nam nulla organa pro aliis succos præparant; tamen chylus in stomacho nutrit, priusquam transit in substantiam corallinam.

MEDUSÆ. His animalibus radiatis, gelatinosis, quorum organa diversa e centro communi radiatim enascuntur, organa nutritionis multo magis, quam in præcedentibus complicita sunt; hæc enim tentaculis prehensionis causa circum os magis evolutis, variisque digestionis organis instructa sunt, cum quibus vascula ramosa et aërifera jam apparent.

In his igitur nutritionis processus magis etiam, quam in illis complicitus est, quod constat sequentibus: os vel simplex, vel multiplex, vel nullum habent, et simul anus est, atque ad cavitatem etiam majorem stomachicam conducit.

Infusoriis aliisque animalculis victitant.

Quædam ore excipiunt alimenta et ad majorem cavitatem, stomachicam dictam, conducunt. Aliæ sunt instructæ tentaculis fistulosis, quibus nutrimentum introducunt, et quibus animalcula, etiam pisces, exsugere dicuntur.

In aliis nec os, neque suctoria observantur.

In Medusis igitur nutritio varia; nam præter hanc variam nutrimenti introductionem, respectu organorum nutritionis situs duplex etiam habetur præcipua differentia, scilicet, hæc organa in Medusis veris in corporis facie interiori sita, ceteris autem substantiæ immersa sunt, vel potius totum animal e cavitatibus tubulosis et vesiculosis componitur.

Medusæ fere omnes stomacho gaudent, quæ vero eo sunt

destitutæ (agastricæ), non nisi vasa ostendunt, quæ radiatim e faciei interioris centro ad marginem excurrunt, nec centrum, uti in reliquis Medusis, stomacho insidet, sed in his centrum sacculus membranosus, stomachi vices gerens, inferne positus, qui sæpe deorsum *pedunculus* vocatur. Os sive apertura simplici constat, sive plures tubuli suctorii ejus munus obeunt.

Isti autem suctorii apertura perforati sunt; quælibet parvo canali originem præbet, qui proximo sese jungit et ita porro; itaque quatuor formantur trunci majores, in stomachum desinentes, in quem liquida, per omnia parva orificia tentaculorum absorpta, introducunt (4).

E stomacho vel illis sacculis oriuntur vasa ramificata ad marginem corporis adducta; distributio chyli indubitanter hisce vasis e stomacho efficitur (5). Cum autem neque stomachus, neque vasa in substantiam corporis penetrent, nutritio nullo alio modo effici potest, quam partim succi ope, qui e vasis et stomacho exsudat, partim mediante aqua superficiem corporis penetrante; cæterum regulariter zoophytorum instar, per totam corporis superficiem respirant, utpote quæ organum peculiare respirationis non habeant.

ENTOZOA, seu Vermes intestinales. Quæ animalia mollia, tenuia, ore et ano instructa, hepate, organis respirationis, vasis sanguineis destituta sunt et in visceribus animalium perfectiorum ut plurimum viventia, e quibus succum nutritivum sugunt.

Eorum os suctorium simplex est aut compositum, sine

(4) CUVIER Anatomie comparée, T. IV. p. 145.

(5) CUVIER Anatomie comparée, T. III. p. 8.

tentaculis; corporis integumentum cuti molli constat, quæ fibras exhibent musculares, sive simul intestinum est, sive canales alimentarios, ramificatos et apice clausos, sive tractum distinctum intestinalem, in ano exeuntem includit.

Nutritio eorum valde simplex, sed non omnium eadem; quædam canalem intestinalem verum, alia tantummodo vasa habent nutrititia. Eorum cavitas intestinalis, quæ e membrano peculiari formata est, nullo modo solam substantiam corporis cavitatis, ut in multis classis præcedentis animalibus, sed etiam utricularis aut vascularis constituunt.

Canalis intestinalis vascularis in iis duplex; et in utroque casu sola oscula suctoria inveniuntur. Succi nutritii distributio e canale utriculari per tubulos tenues simplices effici solet, hoc modo liquidum circumfusum absorbere possunt.

Ex qua structura patet, succos nutrititios non regulari modo in *Entozois* distribui, sed, ut in vegetabilibus, prout eorum partes indigent, in uno eodemque vasculo nunc extrorsum, nunc introrsum, moveri.

Nutritio igitur, ut in *Zoophytis* et plantis, mediante chylo in tela corporis cellulosa efficitur.

Non dubitandum, quin pleraque *Entozoa* organis respirationis careant, et oxydatio succorum non nisi per oxygenium alimentis adhærens, fieri queat; itaque vermes intestinales ex humoribus oxygenium absorbere possunt: pauci ab aëre libero plerumque admodum corrupto attinguntur, cujus oxygenium absorbent.

Radiaria. Sunt animalcula organisationis quoque simplicioris, capite enim distincto nullo, nec hepate gaudere vi-

dentur, structuræ quoque sunt diversissimæ; aliis enim corpus cylindricum, aliis disciforme, aliis globosum, aliis etiam intestinum et stomachus cum ano, aliis sine hoc exitu.

Os in his animalculis simplex, in quibusdam tentaculorum corona cinctum, in aliis non cinctum, ita ut aqua respirationi inserviens, et intestina cæca ramificata, in quorum superficie vasa sanguinea diffunduntur, implens; in quibusdam per tentacula in corporis cavitatem sugendo ingeratur, in aliis autem in stomacho recipiatur, in aliis demum per anum in vas respiratorium peculiare intret.

Alia quoque nervis destituta, alia autem corona nervea simplici instructa, quæ per canales ramosos aut simplices aquam sugunt. Aliis denique vasa nulla, dum alia systemati vasculari separato gaudent, cujus alterum nutritioni et alterum motui inservit.

Processum igitur nutritionis horum animalculorum vermibus atque molluscis victitantium varium esse, facile intelligitur; quare de quibusdam præcipuis seorsim agam.

ACTINEÆ. Sunt animalcula cylindrica et os habent extensile in extremitate superiori situm, multisque tentaculis fistulosis radiatim cinctum; eorum stomachus, qui sine ano est, et in quem aqua tentaculis hausta ingeritur, non nisi sacculus cæcus est, in corporis cavitate pendens. Vasa quoque sanguinea in his hucusque non observata sunt, ita ut eorum nutritionem valde esse simplicem pateat; quippe quorum nutritio et assimilatio, uti in *Zoophytis* peragitur: cibus nempe tentaculis hauritur, succus persudationis ope in omnes corporis partes diffunditur et cibus probabiliter per actionem aquæ oxydatur.

ECHINÆ. Sunt animalcula globosa, aut disciformia, ovata aut cordata, semper infra habent os, plerumque in centro positum et quinque dentibus mobilibus armatum. Intestinum habent longum cum æsophago tenui, in laterna incipiens, messenterio firmato, linea spirali productum ad anum, qui vulgo supra, ori oppositus, sæpius etiam a latere, imo infra situs est.

In hisce animalculis aqua decem fistulis, circa os positis, sugitur, totum corpus implet et venæ sanguinem oxydat. Succorum nutrititiorum distributio in his quoque systemate vasculari duplici efficitur, quorum alterum cum altero non cohæret.

ASTERIÆ. Sunt animalcula disciformia, in quorum parte inferiori corporis os est stellatum, cuspidibus calcareis, et pedicellis fistulosis extensibilibus instructum anique simul vices gerens.

Eorum animalium os brevi æsophago, qui sæpius, et præcipue dum animalia ista esuriunt, inverti potest, conducit ad stomachum, qui non nisi ventriculus cæcus, in quem intestina exeunt, ramificata, cæca, in quorum superficie vasa sanguinea hærent, quæ cibum concoctum excipiunt, et in coronam venarum vehunt. Hæc parietem internam cutis dorsalis circumdat, plura vasa stomachi et ovariorum implet, sanguinemque in corde effundit, unde corona arteriarum, os ambiens, oritur, quæ ad intestina ramos mittit. Cavitas corporis per canaliculos aqua impletur, quæ venas et intestina cæca alluit sanguinemque oxydat, stomachus, qui corporis centrum occupat, implet totam ejus cavitatem, totque exhibet dilatationes laterales, quot sunt radii; unicam habet aper-

turam in facie inferna stellæ, quæ simul os est et anus, ibique in æsophagum brevem constringitur, quem animal, cibum capiens, inversum protendit. Succus digestioni inserviens, ab intestinis cæcis secernitur (6).

Quæ animalcula, quamvis stomacho tunicæ tenuissimæ gaudeant, parvas tamen cochleas, imo pisciculos, deglutiunt. Cochlea a succo gastrico in testa sua dissolvitur, testa autem postea ejicitur.

Notandum etiam, hæc animalcula habere conceptacula, quæ materiam continent bili analogam (7).

Eorum systema vasculare eo differt a systemate aliorum animalium, quod plures partes apparatu vasculari proprio gaudeant, nec omnium organorum vasa in unicum apparatum coëant.

Respiratio, uti in cæteris Radiariis, efficitur, cum aqua, in parte interna corporis recepta, intestina alluat.

HOLUTHURIÆ. Sunt animalcula subcylindrica, dorso et ventre distinguenda. Os habent edentatum, solo annulo, e partibus calcareis conflato, instructum et antice tentaculis ramosis aut stellatis retractilibus cinctum. Eorum anus in extremitate corporis infirma et ori opposita simul foramen

---

(6) Cuvier Anatomie comparée.

(7) Lenhossekii Physiologia Medicin. p. 120. VIII.

est respiratorium. Pedicelli sunt extensiles in ventre. Intestinum longum pluries flexuosum in respirationis organo in cloacam prope anum desinit. Hoc organum respirationis duobus ramificatis vasis constat, quæ per anum aquam alternatim hauriunt et ejiciunt. In dorso intestini arteria, chylum excipiens, excurrit, ejus ramuli laterales in reticulum venosum transeunt, quod in vase respiratorio fasciculatim diffunditur : unde sanguis oxydatus a ramulis venæ bronchialis exceptus, denuo in arteriam intestini vehitur.

Eorum stomachus humorem amarum secernit, qui bilis munere fungi et cibum dissolvere videtur : succi nutritii distributio efficitur per vasa, quorum apparatus duplex invicem conjunctus, alter pro canali intestinali et organo respiratorio, alter pro tentaculis.



CAPUT II.

§ XVI.

DE ANIMALIBUS ARTICULATIS.

Cum in animalium nutritionis processu ab infimis ad superiora procedere stabiliverim, illo processu in animalibus *Radiatis* exposito, ab *Articulatis* incipere convenit: quemadmodum enim hujus divisionis animalium organa magis implicita, ita quoque nutritio perfectior, ut sequentibus probare nitar; nutritio in *Radiatis* fit per imbibitionem, ut supra vidimus, dum in *Articulatis* ad circulationem in vasis clausis transit. Cum vero horum animalium organa nutritionis, uti in *Radiatis*, pro variis classibus varia, hic de ipsis seorsim et fusius agere necessum arbitror.

Antequam tamen de variis his classibus singulatim loquar, aliquid breviter de horum animalium structura dicam. Animalia articulata corpore plus minusve articulato, a quo nomen acceperunt, instructa sunt. Eorum systema nervosum omnibus fere idem, duos funiculos secundum ventrem productos et per intervalla in ganglia inflatos, constituit et truncus eorum in annulos, munere sceleti fungentes, dividitur, maxillæ semper laterales et olefactus organum hucusque nondum detectum.

§ XVII.

INSECTA.

Sunt animalia invertebrata substantiis animalibus, vegetabilibus, vel utrisque victitantia, quorum caput, truncus, abdomen, distincta, sex pedes articulati, duæ vel quatuor alæ, duo oculi retiformes, antennæ articulatæ, os cum vorationis organis, vasa salivaria, stomachus cum intestinis et cæcis, corpus adiposum pro hepate, funiculus nerveus secundum ventrem productus, cum cerebri ganglio, genitalia masculina et feminea separata.

Quod ad eorum nutritionem attinet, hoc cum omnibus animalibus non vertebratis commune habent, quod sine vasis lymphaticis efficiatur, ductus villosi, quibus paries externa canalis intestinalis obsita tubulis istis comparari possunt, quia ductibus intestinalibus *Tnematoideorum* et complurium Medusarum excurrunt, per quos succus nutritius in corporis cavitatem transsudat. Ab Annulariis autem, quæ linea recta excipiunt, Insecta eo discrepant, quod in hisce formatio canalis intestinalis multiplicior sit et plura atque magis diversa organa, succos parantia, inveniantur. Cujus respectu similes imo conformationes ac in *Mammalibus* occurrunt, stomachi scilicet simplices et multiplices, intestina crassa et tenuia, insecta ruminantia et alia.

Eorum organa vorationis, ut illa cancrorum, sunt mandibula, maxilla, quarum dimidiæ partes non sunt coalitæ, labrum, labium et palpi maxillares atque labiales. Hæc organa per abortum vel evolutionem inæqualem non raro deformata

et cognitu difficilia sunt. *Insecta*, quæ alimenta dura comminuunt, maxillas habent corneas, inflexas et tamquam forcipes lateraliter sese moventes, mandibulas sæpissime validiores et duriores, maxillas autem teneriores et bilobas. Labia membranacea spatium inter mandibulæ et maxillæ dimidia obtegunt.

Mentum, pars est inferior magis solida, laminam corneam plus minusve oblongam efficiens. Lingua membrana est muculosa, superficiem menti vestiens, ex parte interna oris nascens. Duo palpi ex articulis duobus aut quatuor conflati, labium ferentes raro desunt, duo autem palpi vel etiam quatuor maxillæ non semper inveniuntur. Insectorum alimenta liquida suctione capientium, uti *Cimices*, *Muscae*, *Acari*, *Pediculus*, *Pulex* (1), labium canaliculum productum efficit, qui totus aut ex parte, labro tectus, in tubulum convertitur, in quo maxillarum dimidia tamquam setæ jacent appressa, quibus, animal vulnerat et sugit; in aliis insectis maxillarum dimidia in tubulum producuntur, labrum, labium et mandibula exigua et inutilia sunt.

Ea denique insecta, quæ ad Vesparum familiam pertinent, alimenta partim sugunt, partim deglutiunt (2).

Eorum stomachus, qui in insectis, quam diu larvæ sunt, amplum habet volumen, in perfectis vero in exiguam molem contrahitur et vix aliquot alimenta assumit (3); per constric-

---

(1) Lenhossekii Physiolog. Medicinalis, p. 29. V. III.

(2) Idem. p. 63. V. III.

(3) Cuvier Anatomie comparée, T. IV.

tionem sæpius in plura segmenta, intestinum in tenue et crassum dividitur.

Præter corpus adiposum, quod tamquam substantiæ nutritivæ depositum, nutritioni inservit et hinc hepati respondet, cæca etiam adsunt intestina, fel secernentia, quæ plerumque ad pylorum in intestino aperturam habent. Hæc animalia non poros habent, sed vasis sanguineis et pulmonibus destituta, respirant per tracheas duas, sic vocatas propter analogiam cum trachea-arteria animalium pulmonibus gaudentium, quæ quidem tracheæ paralleliter ab unoquoque latere corporis, in tota longitudine sitæ, ex intervallo centra habent, unde nascuntur ramuli, aperturis respondentes externis, quæ *stigmata* vocantur, aërique aditus ad omnes ejus partes patet (4). In aliis insectis, aquaticis præsertim, stigmata ea ano adjacent, estque varia in familiis insectorum variis spiraculorum dispositio; ex quibus igitur constat, insecta apparatum respiratorium per universum corpus diffusum habere, quod vero majori, quo insecta gaudent, irritabilitatis gradui necessarium (5).

Cor non habent, sed vas dorsale absque ullo ramulo pro circulatione. In his animalibus liquor frigidus, lymphaticus, transparens actu digestionis et probabiliter absorptione exteriori renovatus, sanguinis locum tenet, et cum in his vasa sanguinea desint, nulla quoque glandula, et consequenter hepar deesse quoque debet, et bilis; vasorum tenuium ope

---

(4) LENHOSSEKII Physiologia Medicinalis, p. 251. V. III.

(5) Idem. l. supra laud. p. 29. V. III.

(quæ Cuvierius et Treviranus (6) pro biliosis declarant) parietibus spongiosis, quæ fluctuant in fluido, quod omnes corporis partes diluit, ibique hauriunt elementa ad hujus liquoris formationem apta, quæ vasa pariter existunt in insectis adhuc larvis. Hæc vasa quoque in variis varia (7).

Nutritio horum animalium fit per imbibitionem, quia nec vasa lactea, nec sanguinea in iis reperiuntur et secretio non per glandulas conglomeratas, sed per tubulos longos et tenues, in corporis cavitate fluctuantes, et non nisi per tracheas adunatas peragitur (8).

Canalis alimentarius horum animalium etiam diversissimus, non solum in variis familiis et speciebus, sed etiam in uno eodemque individuo, prout larva est, vel insectum perfectum, quod fusius hic exponere inutile arbitror : attamen notatum volo, intestina insectorum per sola vasa aëria in situ contineri, inque larvis lobulos adesse adiposos, tardius disparentes, nutritioni ea periodo inservientes, et cum tracheis cohærentes (9).

§ XVIII.

ANNULARIA.

Sunt animalia artubus destituta, nec ulli methamorphosi

(6) Lenhossekii Physiolog. Medicin. p. 120. V. III.

(7) Cuvier Anatomie comparée T. IV. p. 153 et sq.

(8) Lenhossek. l. l. p. 104.

(9) Cuvier Anat. comp. T. IV. p. 153. et sq.

subjecta, intestino bene distincto et vasis sanguiferis jam conspicuis gaudentia. Horum animalium nutritionis organa pro variis varia sunt, ut ex sequentibus palam fiet: plura enim e. g. *Lumbrici*, ore non nisi membranaceo, extensili, et absque maxillis, dum alia, ut *Hirudo* officinalis, ore prominentiis acutis et tribus maxillis instructo gaudent, et in multis canalis intestinalis hinc inde constringitur per musculosas membranas aut filamenta, quæ in corporis pariete interna originem ducunt. Sic cavum corporis inter cutem et canalem intestinalem, in loculamenta sæpius nullo nexu conjuncta, dividitur, dum in aliis iste canalis sine ulla constrictione excurrit. Tractus intestinalis vulgo inæqualiter amplus, ita ut æsophagus, unus ad tres stomachi et intestini pars distingui queant. Aliquot etiam annularia intestina cæca habent. In pluribus annalytibus succus ad digestionem idoneus a solo canali intestinali invenitur. Eorum digestio est lentissima, ut in *Hirudine officinali* observari potest, et assimilatio in iis, uti in reliquis animalibus non vertebratis, quibus nulla vasa lymphatica, efficitur per systema vasculare, quale radiaria pro organis digestivis habent, quod vero in annulariis per totum corpus diffusum est. In analytibus succi multo magis elaborantur, quam in reliquis animalibus invertebratis. Eorum sanguis est ruber et coagulans, sanguini animalium per pulmones respirantium similis.

Respirant per branchias, vesiculas, aut per cutem, uti videre est in *Hirudine* et *Lumbrico*, quorum cutis universa reti vasorum pertexta, respirationis constituit organum; adsunt tamen spiracula, cum tracheis internis communicantia (10).

---

(10) Lenhossekii Physiologia Medicinalis, p. 251, V. III.

Eorum circulatio in quibusdam imperfecte duplex, una enim tantum sanguinis pars per organa respiratoria transit, et eo ab aliis animalibus non vertebratis circulatione instructis differunt, in quibus circulatio perfecta reperitur.

§ XIX.

CRUSTACEA.

Hæc animalia invertebrata, corpore et pedibus articulatis, cute crustacea tecta, nullam metamorphosim subeunt; solent esse carnivora; quædam tamen continuo reptilibus aquaticis, piscibus, cetaceis insident, eorumque sanguinem vel humores sugunt.

Quorum animalium organa vorationis pro variis ordinibus et familiis quoque variant, e. g. in *Branchiopodis* sunt vel maxillæ vel rostrum; in *Isopodis* autem sunt sive tubulus simplex, sive maxillæ et labia, e binis pedum paribus composita. *Cystybranchiorum* os constat labro, duobus mandibulis, totidem maxillarum paribus, et duobus pedibus, qui labium efformant.

Decapoda seu *Cancri* pro vorationis organis habent tria saltem maxillarum paria, quæ lateraliter et in sensu horizontali sese movent, cum palpis quatuor, quæ filamenta sunt articulata, quibus inter masticandum cibum palpitant (11), cæterum labio destituta sunt.

---

(11) CUVIER Anatomie comparée.

Notandum etiam est, hujus classis animalia maxillas ita habere dispositas, ut a parte exteriori ad interiorem sese moveant (12).

Eorum canalis alimentarius rectus, excipiendo ad stomachum, qui in *Decapodis* et *Branchiopodis* maxime varius est: prior enim hoc peculiare habet, quod inter cuncta animalia solus apparatu osseo sustineatur, et consequenter, dum vacuus est, non deprimatur, quodque dentibus quinque duris et mobilibus instructus sit, qui in stomacho veram masticationem exercent, et sua ante pylorum positione substantiæ non satis subactæ egressionem impediunt (13).

Iste stomachus, in thorace supra os situs. Cum eo conjungitur æsophagus per aperturam magnam. Illorum dentium duo minores, qui uncinati sunt, alimentum ex ore accipiunt, quod inter dentes coronæ planæ, quibus conteritur et contra laminam primam fertur, transmittunt.

Post hanc masticationem alimentum per partem arctam stomachi transit, fibrarum et musculorum ope, introducitur in intestinum tenue, in extremitate caudæ desinens.

Hæc quoque animalia organis gaudent secretoriis, absorptione chyli, in systemate vasculari digestione præparati, pars tamen maxima, hepate proprie dicto caret; et bilis in iis quodam tuberculorum cæcorum numero producitur.

Aërem, aquæ inhærentem, respirant per branchias, quæ

---

(12) Cuvier Anatomie comparée, T. III. p. 299.

(13) Idem ib. T. IV. p. 125 et sq.

in *Decapodis* pedum basi, et in *Branchiopodis* infra caudam adhærent, et quæ in aqua, veluti pinnæ, volutant (14). Cum autem horum animalium respirationis organa pro variis ordinibus et familiis quoque varient, hæc singulatim exponam, nempe respirant: *Branchiopoda* et *Decapoda* per branchias; *Isopoda* per branchias et tracheas; *Cryptobranchia* autem per anum respirare videntur; *Cystybranchia* per vesiculas probabiliter, quæ secundo, tertio et quarto corporis annulo vel pedibus imperfectis insident; *Stygmatopnea* per tracheas aut spiracula; *Pterygibranchia* per branchias, sive ventrales, sive caudales.

Hæ branchiæ constant pluribus lamellarum stratis, in quibus vasa, arteriæ et venæ distribuuntur, vel adsunt fila cylindrica numerosissima, arteria et vena composita. Mutat igitur aqua sanguinem in branchiarum vasculis contentum, et abigitur humor lamellis mobilibus branchias comprimentibus; in aliis vero alia hæc est structura (15).

Hæc animalia corde duplici, cujus situs principalis in thorace, et vasis semper externis instructa sunt, ideoque sanguinis (qui in hisce transparens) gaudent circulatione, quæ ita perficitur: sanguis, qui respirationi subjectus fuit, immittitur in magnum vas dorsale, unde in omnes corporis partes distribuitur, ex quibus redit ad cor, vel ad ventriculum verum, qui illum ad branchias remittit (16).

(14) Cuvier Anatomie comparée, p. 127 et sq.

(15) Lenhossekii Physiol. Medic. T. III. p. 251.

(16) Dictionnaire d'histoire naturelle appliquée aux arts, art. *Crustacés*.

Hujus tamen circulationis organa in variis quoque varia, ut optime demonstrat naturæ celeb. scrutator CUVIERIUS (17).

§ XX.

ARACHNOIDEA.

Sunt animalia, artubus articulatis instructa, sine metamorphosi organorum cutem mutantia; *Crustaceis* et *Insectis* vicina, corporis oblongi vel ovati, raro annulis distincti, cute molli aut membranacea vestiti, et in quibus caput cum thorace confluit, plura paria oculorum simplicium et pedes octo insunt, præda vivente victitant, vel sanguinem et alios humores plurium animalium sugunt.

In nonnullis horum animalium vorationis organa proboscides suctoria, in plerisque vero mandibulis et maxillis, labio et duabus palpis constant.

In plurimis, ubi vas dorsale cum aliis vasis conjunctum, ductus aërii breves tantum ad organa, branchiis similia, conducunt. Respirant per spiracula et tracheas, aut per branchias aërias in abdomine sitas; quo ultimo casu, corde distincto et apparatu vasculari gaudent.

Circulatio in iis per totum corpus non diffusa videtur.

In hac classe notatu digna videtur familia *Aranearum*, quarum organum præcipuum papillæ sunt quatuor textoriæ.

---

(17) CUVIER Anatomie comparée, T. IV. p. 407 et sq.

Eorum organa masticationis extremitatem anteriorem et inferiorem trunci occupant, constant labio, lingua, mandibulis duabus, totidemque maxillis et palpis.

Eorum vas cor magnum secundum dorsum situm, et inde ramos ab unoquoque latere emittens. Respirant per duas branchias lamellosas. Intestinum habent rectum, quod statim priorem stomachum, ex plurimis constantem sacculis, habet, sed quod in medio abdomine cum magno corpore adiposo conjunctum et vasis felleis instructum.

In eorum mandibula jacent vesiculæ salivares.



CAPUT III.

§ XXI.

DE MOLLUSCIS.

Ante Molluscorum processum nutritionis earum structuram prætermittere mihi non visum est.

Sunt autem animalia invertebrata, inarticulata, in omnibus partibus systema nervosum habentia, munitum gangliis, quæ in variis partibus sparguntur; tractu medullari longitudinali non sunt instructa et systemate circulationis completo gaudent.

Eorum respiratio per branchias diversas, raro simul liberas et symmetricas perficitur; caput eorum plus minusve prominens, sæpissime oculis, aliquoties tentaculis, nunquam numerum quatuor excedentibus, et aliquoties brachiis in formam coronæ dispositis instructum; eorum os partibus duris, sive conterendi sive scindendi causa constat, pallio denique bilobato gaudentia (1).

Hæc animalia omnes masticationis et deglutitionis modos præ-

(1) Lamark Nouveau dictionnaire d'histoire naturelle appliquée aux arts, art. *Mollusq*. T. XXI. p. 266.

bent; eorum stomachi nunc multiplices, nunc simplices, eorumque intestina vario modo producta, sæpissime glandulis salivaribus et semper hepate magno instructa, pancreate autem et messenterio carent; plura secretiones habentpe culiares, nullam vero urinam secernunt.

Cum animalia ejusdem ordinis, et interdum etiam ejusdem familiæ,. varium digerendi modum habeant, quomodo generaliter nutriantur, vix dici potest; sed in variis ordinibus et familiis seorsim tractandum.

Quoad nutritionis organa, pauca *Mollusca* organis ad alimenta capienda aptis prædita sunt; hoc respectu prima sunt *Caephalopoda* et *Brachiopoda*, quorum brachia carnosa et mobilia extendi et spiraliter contrahi possunt.

APODA. Cibum per pallium branchiale introducunt, unde ab ore excipitur.

CIRRHOPODA os formatione crustaceorum ori simile præbent: duo enim maxillarum dentatarum paria et cornearum habent, inter quas duas maxillas membranaceas cum labro et labio corneo.

Acephala, multa *Testacea*, maxilla carent, nullumque organum pro masticatione proprie dicta habent, alimenta per canalem, sæpius duplicem, introducunt, quorum unus cibo recipiendo et alter evacuando inservit (2).

Aqua, per tubulum istum infra pallium perveniens, corpus alluit.

(2) CUVIER Anatomie comparée, T. III. p. 298.

Maxima pars Molluscorum cibum immediate per os introducit, ita ut in respirationis organa antea non perveniat.

Qualitas et situs oris pro variis quoque varia.

Mollusca, quorum os intra cavum respiratorium jacet, vel ubi intra lobos pallii situm, os habent solummodo simplex, membranaceum, e. g in *Brachiopodis* et *Oteropodis*. Plurimorum *Gasteropodum* genera sive proboscide, sive ore ad masticationem apto gaudent; quædam *Gasteropoda*, uti *Limax*, non nisi maxillam superiorem, alia duas laterales, alia vero nullam habent, uti *Murex* (3).

Gasteropodum masticatio rodendi actio vocanda est, quem ad finem plures species, præsertim *Helices Hortenses* lamina lunulata, cornea aut calcarea, instructæ sunt. In aliis lingua non solum deglutitioni, sed etiam alimentis dividendis inservire potest; asperitatibus enim quibus obsita et motu proprio et peristaltico cibum conterere et æsophago immittere valet. Plurimis autem Molluscis lingua deglutitioni inservit, et in iis quoque gastropodis præsens, quæ proboscide gaudent.

Respectu fabricæ oris *Caephalopoda* ab omnibus animalibus invertebratis discrepant: os enim eorum constat rostro corneo, maxillæ itidem verticaliter moventur, et positæ sunt in corporis axe, eorumque situs respectu dorsi et ventris non fixus (4), quod inter animalia invertebrata solis *Cephalopodis* vel generi *Sepiae* accidit.

---

(3) Cuvier Anatomie comparée, T. III. p. 11.

(4) Idem ib. T. III. p. 11.

Molluscorum os labiis tumet aut loculis cutaneis cinctum est.

Eorum organa deglutitionis sunt externa, uti labia, vel interna, uti lingua, ut modo vidimus.

Labium ipsum dividitur in labium breve et in labium tubulosum, quod pro variis varium (5).

Lingua, quæ alimenta æsophago immittit, uti antea exposui, in *Cephalopodis* inter duo mandibula rostri sita, et in *Gastropodis,* quæ maxillis instructa sunt, pone illa, in aliis prope oris aperturam, et in illis, quæ proboscide gaudent, in extremitate anteriori illius organi, in quo casu etiam masticationi inservit.

Forma linguæ pro variis etiam varia.

Acephala linguam proprie dictam non habent, sed interdum in initio æsophagi valvulam circularem versus stomachum, ideoque magnopere ad deglutitionem concurrere debet, sæpissime vero simplices modo sunt plicaturæ transversales, quæ alimenta motu peristaltico dirigunt (6).

Post deglutitionem alimenta recipiuntur in canali intestinali, cujus respectu et situs ani multum quoque Mollusca inter se discrepant: *Apodis Biphoris* os et anus vicina intra pallium brachiale ex utroque fine apertum: stomachus conicus ori vicinus est, unde intestinum ad partem oppositam excurrit.

---

(5) Cuvier Anatomie comparée, T. III. p. 340 et sq.

(6) Idem ibid. p. 344 et seqq.

genere *Cyrropodum* (*Lepas*) æsophagus observatur cum glandulis salivaribus; præterea stomachus, superficie gibbosa, in duos cæcos desinens; hepar vero nullum, intestinum parvum, flexum et latitudine æquali.

Acephalis Testaceis brevis est æsophagus, cum uno vel duobus stomachis, quos hepar circumdat: duo si adsint stomachi, valvulæ ope connectuntur, paries interna multos offert poros, qui parvis valvulis instructi, ostiola ductuum felleorum sunt. In exitu stomachi lamella cartilaginea tricus petala, reliqua canalis intestinalis pars latitudinem offert æqualem, variam vero longitudinem, quare plus minusve flectitur, quæ flexuræ præsertim inter pedis musculos sitæ sunt. Anus in margine corporis postico ori oppositus est. Si pallium fissum, anus solum est foramen, e. g. in *Mutylis;* si vero in tubulos productum, etiam anus sub tubuli forma prodit, e. g. in *Solene*.

In maxima parte *Acephalorum* intestinum rectum cor permeat, quod dorso semper est oppositum, in quibusdam autem generibus intestinum rectum non nisi juxta cor jacet.

Gasteropoda stomachum unum, aut plures habent, intestinum eorum reliquum varia, aut æquali amplitudine, aperturæ respiratoriæ anus semper vicinus.

Lingula, genus *Brachiopodum* canalem intestinalem simplicem habet, et eo a reliquis molluscis differt, quod stomacho careat. Iste canalis intestinalis flexus est, et anus lateralis inter ambos lobos pallii situs.

Pteropoda æsophagum habent vel cum, vel sine dilatatione, eorum stomachus nil notabile offert, nihil enim est nisi saccus

membranaceus et simplex, undique hepate circumdatus, bilem a multis orificiis excipiens: et reliquus canalis intestinalis latitudinem fere æqualem præbet (7).

Cephalopodum, quorum os inter pedes situm inest, et unde alimenta in abdomen ascendunt, æsophagus in speciem gutturis dilatatur, pone hepar a latere dorsi transit et a stomacho carnoso, ovato, admodum crasso excipitur, cujus pylorus prope cardium situs est (8), et in speciem cæci conducit; hunc stomachum sequitur alter spiraliter flexus, intus lamella prominente instructus, reliqua tractus intestinalis pars amplitudine fere æquali. Intestinum rectum in tubulum infundibiliformem desinit, cujus exitus in collum; in hunc tubulum exeunt etiam organa respirationis et propagationis, nec non liquoris nigri receptaculum.

Humores digestioni inservientes præparantur a glandulis salivaribus, quæ, præter *Acephala*, in omnibus molluscis inveniuntur, in *Cephalopodis* tamen et *Gasteropodis* præcipue (9).

Quarum in *Cephalopodis* duo dantur paria. Prius, quod brevius, contra massam carnosam os efformantem, situm est, quælibet glandula canalem excretorium brevem suppeditat, qui hanc massam ab unoquoque latere penetrat prope æsophagum. Alterum par, quod multo longius est, infra collum pone hepar situm. Canales excretorii duarum glandularum colli-

(7) Cuvier Anat. comparée, T. IV. p. 122.

(8) Idem ibid. p. 115.

(9) Idem ibid. T. III. p. 336.

guntur in unicum, qui pone æsophagum ascendens massam oris penetrat.

In *Gasteropodis* generatim unicum modo par adest.

Structuræ et formæ pro variis quoque variant (10).

Digestioni quoque inservit bilis, quæ in hisce, ut in animalibus sanguine rubro, flavo-viridis est, et quæ ab hepate canali intestinali immittitur, sed vario modo, nempe in aliis per plura orificia, uti in *Aphysia*, in *Doris*; in aliis vero per canalem communem, uti in *Limace*.

Omnia mollusca hepar habent, sæpius tanti voluminis, ut majorem canalis intestinalis partem involvat, in *Gasteropodis* et *Cephalopodis* maxime evolutum et in plures lobos, qui omnes canalem excretorium habent, divisum.

Vesica fellea numquam in illis reperitur, ductus autem fellei immediate in intestinum intrant.

Molluscorum hepar sanguinem non e venis intestinorum, sed oxydatum ex aorta accipiunt, (qui sanguis tum nutritioni, tum productioni humoris, quem secernit, necessarius est) quod etiam observatur apud *Testudines* invertebratas.

In molluscis et generatim in omnibus animalibus invertebratis splen nullum.

De respiratione horum animalium variæ sunt auctorum opiniones: Lamarkius enim sustinet, hæc animalia pulmo-

(10) Cuvier Anat. comparée, Tom. III. p. 336. et sqq.

nibus non esse instructa et solummodo respirare per branchias (11); juxta CUVIERIUM autem celeb. modo pulmonibus, modo branchiis aërem ducunt. *Helices* quidam et *Limaces* caveam habent peculiarem, membranaceo-musculosam, intus spongiosa quadam massa, reti vasorum instructa obductam. Communicat ea cavea ope spiraculi cum aëre circumfluo, et possunt voluntario fere motu aërem adspirare et reddere; cum per diversa temporis intervalla caveam respiratoriam diducunt et contrahunt, ipsumque spiraculum aperiunt et claudunt. Eorum branchiæ variam quoque habent fabricam, et reperiuntur in diversis speciebus variis in corporis partibus, e. g. in *Gasteropodis:* alia, uti *Dermobranchae* DUMERILLII, branchias externas lamelliformes, alia habent internas, sed cum exteriori communicant, tum per orificium simplex, uti *Adelobranchae* DUMERILLII, et aërem respirant, tum vero per tubum (12).

Cæterum respiratio in his animalibus arbitraria esse videtur (13).

In his animalibus sanguinis circuitus peculiaris inest, de cujus organis varii auctores varie sentiunt, e. g. LAMARKIUS asserit, cor istorum animalium tribus constare ventriculis distinctis, quorum unus medius et duo laterales; eorumque circulationem esse duplicem, alteram nempe branchialem vel

---

(11) LAMARK Diction. d'hist. naturelle appliquée aux arts, T. XXI, art. *Moll.* p. 272.

(12) DUMERIL Traité élément. d'hist. nat. T. II. p. 122.

(13) CUVIER Anatomie comparée, T. IV. art. *Respiration,* p. 425 et sequentibus. LENHOSSEK Physiolog. Medicin. p. 250 et sq. V. III.

respiratoriam, et alteram generalem. Hac de re præcipuus venarum truncus, qui sanguinem reducit, in duos ramos sanguinem in ventriculos laterales transmittentes dividitur; ex illis ventriculis sanguis in branchias immittitur, unde in ventriculum medium reducitur, indeque arteriarum ope in omnes corporis partes transfertur (14). Verum juxta v. c. CUVIERIUM aliquot corde, ventriculo uno et duabus auriculis instructo gaudent. Deducitur sanguis e pulmonibus aut branchiis redux, in ventriculum vel immediate, vel per cordis sinus; e ventriculo per aortam in universas fertur partes, organis spiritum ducentibus exceptis. Venæ revehentes in unum, aut plures colliguntur venæ cavæ truncos, quæ pulmones aut branchias adsedit, inque iis distribuitur. Varia præterea est circuitus ratio in diversis molluscorum ordinibus, ut optime demonstrat auctor supra dictus (15).

Molluscorum assimilatio sine vasis lymphaticis perficitur. Chylus parietes canalis intestinalis persudans, corporis cavitates intrat, ubi a vasis imbibitur.

Ad organa, quæ humores in superficiem animalis secernunt, pertinent 1) *Purpura*, quam plura *Gasteropoda* e pallii margine exsudant: hanc secretionem generis *Murex* et *Aphysia* quædam præcipue offerunt species.

2) Atramentum, quod *Sepiae* edunt. Iste liquor præparatur in sacculo, qui in hepate aut prope testiculum et ovarium jacet.

---

(14) LAMARK Nouveau diction. d'hist. nat. appliquée aux arts, T. XXI, art. *Moll.* p. 286.

(15) CUVIER Anat. comparée, T. IV, art. *Circul. de Moll.* p. 393 et sq. LENHOSSEK l. supra laud. p. 437 et sq.

CAPUT IV.

§ XXII.

DE ANIMALIBUS VERTEBRATIS.

JAM supra nutritionis processum animalium inferiorum, i. e. *non Vertebratorum,* exposui; in hoc autem capite nutritionem animalium superiorum, i. e. *Vertebratorum,* exponere nitar; quæ sunt animalia, quæ cerebro et medulla dorsali gaudent, quæ ossibus includuntur, columna dorsali munita, quibus musculi ossibus affixi, sanguis ruber, cor musculosum, vasa lymphatica et sanguinea, maxillæ horizontales, altera supra alteram sese movens, organa auditus, visus, olfactus et gustus in parte antica capitis: numquam plura, quam quatuor membra, et sexus separatus.

Cum vero horum animalium organisatio invertebratorum organisatione superior, atque perfectior si, uti e definitione patet, sane nutritionis processus quoque in illis multo magis implicitus erit, e. g. ut paucis dicam, plures Zoophyti, uti plantæ, per solam imbibitionem sese nutriunt, i. e. alimenta per plures suctorios in sua superficie positos, absorbent. In aliis, uti in *Actiniis,* os et anus idem est orificium: alia, uti insectæ *Dipterae*, *Lepidopterae*, et *Hemipterae,* neque

maxillas, neque partes solidas ad alimenta scindenda et conterenda in ore habent, ideoque liquidis victitare debent. Maxima denique pars illorum, quæ cibum masticant, maxillas transversales, uti *Crustaceae* et aliqui *Vermes*, habent. Contra animalia vertebrata fere semper duas maxillas horizontaliter sese moventes habent et alimenta, antequam deglutiunt, plerumque, e. g. *Mammalia*, masticant et ita porro de aliis nutritionis mechanismi functionibus. In hisce vero animalibus iste mechanismus pro variis varius, prout eorum organa nutritionis plus minusve composita, ita ut, tamquam in non vertebratis, gradatio distincta appareat; e. g. apud *Mammalia* cibus per pharingem, organum valde compositum, in æsophagum fertur. In *Piscibus* hujus organi vestigium non amplius invenitur. In *Homine* canalis intestinalis duabus constat partibus, intestino tenui et crasso, quæ pro structura atque textura a se invicem discrepant. Quæ intestini distinctio jam minor est in pluribus *Mammalibus*, multo minor in *Avibus*, et nulla prorsus in maxima parte *Reptilium* et *Piscium*. Sic sola etiam mammalia omento vero gaudent, in reliquis animalibus vertebratis ejus loco massæ tantum adiposæ inveniuntur, splen etiam in iisdem vertebratis plane nullum, aut ei simile tantum organum, et pancreas plurium piscium in appendices cæcas prope pylorum transmutatur. Hunc igitur mechanismum in variis classibus seorsim exponere necessarium omnino arbitror.

§ XXIII.

DE PISCIBUS.

Sunt animalia vertebrata, sanguine frigido, circulatione sim-

plici, juxta DUMERILLIUM (1), et duplici, juxta CUVIERIUM (2), gaudentia et in aqua, in qua per branchias respirant et per pinnas sese movent, viventia.

Quod ad eorum nutritionem spectat: non solum maxillæ, sed in nonnullis etiam palatus, fauces et lingua dentibus armata maxima, inveniuntur et tamen pars alimenta absque masticatione deglutit: dentes enim maxillarum dumtaxtat prehendendis, non vero masticandis cibis inserviunt (3).

Glandulæ salivares etiam in hisce animalibus desunt, sed loco salivæ palatus humorem viscosum plerumque secernit.

Lingua eorum [si quæ est: *Chondropterygii* enim omni destituuntur (4)] inservit deglutitioni, qua alimenta transeunt ex ore in canalem alimentarium, quin piscibus ad reptilium prope accedit: æsophagus enim a faucibus imis incipiens ad ventriculi orificium superius recto tendit tramite, brevi et lato, ut adeo limes inter hunc et ventriculum ipsum vix discerni possit, quæ structura respondet velocitati, qua hæc animalia raptam devorant, minime communitam, offam (5); intus est membranaceus et glaber, interdum papillosus et dentibus, qui masticationi inserviunt, obsitus; oblinitur muco, laringe et uvula destituitur; pharynge etiam carent.

---

(1) DUMERIL Traité élémentaire d'hist. nat. T. II. p. 145.

(2) CUVIER Anatomie comparée, T. IX. p. 171.

(3) Idem ib. T. III. p. 30. DUMERIL l. l. T. II. p. 146.

(4) LENHOSSEKII Physiol. Medic. V. III. p. 52.

(5) CUVIER Anatomie comparée, T. III. p. 416.

Eorum ventriculus vel stomachus est elongatus, a latitudine æsophagi parum discedens, membranaceus, frigidus et unicus, longitudinaliter, non vero transversim situs, et a latere alterutro, quandoque saccatus; figura pro variis varia, cylindraceus, globosus, ovatus, bilobus, estque in nonnullis ejusdem cum tubo intestinali amplitudinis et fabricæ, in quibusdam, avium instar, partim musculosus, partim membranaceus, crustacea et lapillulos deglutitos mutans, in aliis mucosarum cryptarum stratum musculari et vasculosæ tunicæ insertum, ejus paries interna, uti fit in reptilibus et avibus, glandulis obsita. In hoc ventriculo alimenta digestionem subeunt, præcipue per vim succi gastrici, qui in piscibus tanta gaudet efficacia, ut ossa integra perfecte dissolvere possit; multo tamen lentius, quam ille succus avium et mammalium agit; digestioni huic quoque inservit structura canalis intestinalis et stomachi, ut modo dixi.

Digestionem etiam majorem subeunt in intestino, uti sequentibus elucebit : ad stomachi introitum sive valvula intestino adest, sive, ubi nulla, per constrictiones et tenuis intestini spiras suppletur : ad plurimorum piscium pylorum quædam reperitur organisatio, quà cetera vertebrata carent : ex eo enim intestinula cæca, cylindracea, muco salso et acri repleta oriuntur, quæ digestioni sunt necessaria; quorum numerus sæpissime magnus, et ubi permulta, plerumque in unicum canalem ita conjunguntur, ut pauca tantum ostia pyloris præbeat. Notatu dignissimum, omnes pisces, pancreate carentes, istis appendicibus pyloricis esse instructos, et pisces, quibus pancreas, illis appendicibus carere. Iste canalis intestinalis, qui in mammalibus transversim involutus, plures gyros et anfractus exhibens, in pluribus piscibus, præcipue iis,

quorum corpus elongatum est, fere recta tendit ad anum, spiræ intestini, ubi adsunt, paucæ tantum, ita ut ejus longitudo totius corporis longitudinem parum superet. Pars ejus inferior superiori crassior et amplior, ad initium intestini valvula et cæcum breve, pars intestini superior et tenuior magnis et multis plicis, sed non villis munita; pars inferior et crassior, seu rectum, cujus fibræ longitudinaliter excurrunt et in quo plurium piscium ductus secretorii urinæ et ovorum aperiuntur, cum reptilium et avium cloaca congruit. In quibusdam piscibus, quorum canalis intestinalis a pyloro ad anum fere recta tendit magna plica membranæ internæ intestinalis, in spiram acta, a pyloro ad anum producitur.

Omentum, quod in reptilibus et avibus per massas majores et adiposas, in piscibus per substantiam onctuosam, albam, intestinum tenue oblinentem, suppletur.

In hoc canale intestinali, cujus modo structuram dedi, alimenta digestionem etiam perfectiorem, ut dixi, subeunt: in eo enim partes nutritivæ, i. e. chylus, a fæcalibus separantur, et sic ad nutritionem, i. e. ad partes deperditas renovandas magis idonea fiunt, quod præsertim fit ope bilis, quæ secernitur per hepar, quod cum vesica fellea, quæ semper grandior in piscibus multum voracibus, in omnibus observatur piscibus, et intestinis et ventriculo subjacet, et in quibusdam simplex, bilobum vel trilobum, in plurimis semper volumine insigni, sæpius totum abdomen longitudine æquans. Ejus color non semper fusco-ruber, ut in ceteris vertebratis, sed sæpissime flavicans, interdum cærulescens, viridescens et purpureus. Cæterum hepar partem abdominis dextram, sinistram, aut anticam sine discrimine tenet. Bilis est liquor oleosus, qui omnes piscium partes internas perfundens

hepati præsertim inest. Ejus ductus secretorius in piscibus quamplurimis, uti in plerisque avibus, a ductu vesicæ felleæ separatur, in intestinum tenue viam sibi patefacit, sed pariter ac in avibus, fellis vesica cum hepate per ductus hepatico-cys-ticos conjungitur.

Hic notatu dignum puto, bilem in piscibus partim directe in intestinum per canalem hepaticum, partim prius in receptaculum, vesicam felleam vocatum, introduci, ejusque actionem in variis circumstantiis variam esse; magis enim energica est, ubi per aliquod tempus in receptaculo dicto retinetur, quam ubi directe in intestinum immittitur; in hoc enim receptaculo acritas et consistentia intensiores fiunt: variat quoque, prout influxus magis minusve pylori vicinus est, et consequenter refluxus locum habere, vel non habere potest; demum hic quoque confert, utrum cum humore pancreatio, dum in intestinum intrat, mixta sit, nec ne (6).

Modus, quo bilis in alimenta agit, juxta celeb. CUVIERUM, decompositio est subitanea, in qua portio nutritiva cum parte bilis sese combinat et portio fæcalis præcipitatur per grumulas, quæ sese conjungunt, prout portio nutritiva absorbetur, et excrementa efformant (7).

Digestioni illi etiam inservit liquor salivæ similis, qui secernitur per pancreas in illis piscibus, qui appendicibus pyloricis carent (in his enim tantum invenitur) et per canalem pancreaticum in intestinum immittitur, ut in *Squalis* et in illis, qui pancreate carent, per appendices pyloricas, ut supra vidimus.

---

(6) CUVIER Anatomie comparée, T. IV. p. 20.

(7) CUVIER ibid. p. 5.

In piscibus splen a latere sinistro ventriculi subjacens, vel etiam antice vergens, hepate multo minus coloratum est, planiusculum, oblongum, rarissime lobatum, pro volumine, structura et situ spleni mammalium similius, quam spleni reptilium et avium.

Absorptio in piscibus fit per vasa lactea et lymphatica, i. e. partes nutritivæ per vasa ipsa absorbentur, quæ in hisce animalibus miræ sunt magnitudinis, et, more reptilium, glandulis carent et valvulis, si totius systematis extremitatem excipias; vasa lactea inter duas membranas intestini internas inter se invicem et versus fines cum vasis lymphaticis, in hepate, splene et pancreate dispersis, anastomoses efficiunt multas, qui contextus deinde cum vasis lymphaticis reliqui corporis in duobus receptaculis coëunt, quæ per totidem orificia valvulosa in piscibus cartilagineis in venam clavicularem, in piscibus autem spinosis in venam cavam inferiorem transeunt, et opinante CUVIERO, dispositio horum vasorum lymphaticorum aliquousque, defectui glandularum lymphaticarum supplet: nempe ista vasa coëunt in unum receptaculum in facie superiori et dextra stomachi situm, unde nascitur canalis thorachicus, qui mox dividitur in duos ramos, qui tendunt ad duos plexus, in quibus omnia totius corporis lymphatica colliguntur, et unde canalis parvus exit, qui in jugularia, lympham in omnibus corporis partibus collectam, immittitur, quæ dispositio sane moratur humorem absorptum, ut adsimilari magis possit, antequam in jugularem perveniat venam (8).

---

(8) CUVIER Anatomie comparée, T. IV. p. 98.

Intestinum cæcum in piscibus non invenitur, uti et colon verum; quod vero in quibusdam, uti in *Squalis*, per plicam istam membrani intestinalis spiralem suppleri videtur et excrementa, ut in reptilibus et avibus in cloaca cum urina miscetur; in piscibus enim, præter secretionem partium fæcalium datur quoque secretio urinæ, quæ spissior est, quam in ceteris vertebratis, et quæ locum habet ope renum, qui in piscibus plani et angusti, integram fere abdominis longitudinem adæquantes, sibi invicem oppositi et situ parallelo ad utrumque latus spinæ dorsalis peritonæo incumbunt. Eorum ductus secretorii in quibusdam piscibus in partem intestini infimam hiant; quidam vero pisces vesica urinaria sunt instructi, quo foramine peculiari post anum, juxta caudam inter anum et pinnam cognominem aperitur. In præcedentibus vidimus: 1) Quomodo alimenta separentur in partes nutritivas et in excrementa; 2) Partes istas nutritivas ad nutritionem idoneas factas, per vasa lactea et lymphatica absorberi; sed uti partes istæ substantiæ corporis adsimilari possint, adhuc nova elaboratione egent, i. e. respiratione, qua cum aëre in contactum veniunt: sed cum hæ partes successive cum aëre communicare debent, necessarium etiam systema, quod fluidum in respirationis organum immittere, ex illoque post communicationem cum aëre expellere possit, quod circulatione perficitur; quare hæc duo phænomena hic adjicere necessarium duco.

Respectu circulationis, ab omnibus animalibus sanguine calido instructis discrepant; eorum enim cor non nisi unicam habet auriculam, duabus valvulis munitam, quæ sanguinem ab omnibus corporis partibus per venas accipiunt, et ad ventriculum unicum transmittunt, unde per arteriam branchialem ad branchias transfertur et respirationi exponitur,

sed omni alio modo, quam in aliis vertebratis; pisces enim solummodo respirant per intermedium aquæ, unde aërem exprimunt (et juxta veteres, sed falso, quam decomponunt, ut inde oxygenium extrahant) ope lamellarum membranacearum, quæ branchiæ dicuntur, numero quatuor, ab utroque latere, in plerisque piscibus (9); nempe aquam per os hauriunt, perque ostia branchialia in branchias propellunt, clausis nunc operculis et remotis ab invicem arcubus branchialibus, aqua cum vasis sanguiferis in contactum ponitur; mox autem arcus ii ad se adsedunt, aperitur operculum, explicatur membrana branchiostega, ipsaque aqua e branchiis effunditur : aliqui vero pisces *Chondropterygii* alio etiam modo respirant : branchiarum enim loco sex usque septem habent foliculos membranaceos, quorum spiracula cum superficie corporis communicant: adsunt præterea fistulæ, in verticem, aut in rostrum patentes, quibus aquam spiraculis haustam, uti in *Balena*, ejaculantur (10).

Aqua ista agit, mediante aëre, in sanguinem nigrum, quem cor continuo ad branchias istas mittit, illumque in sanguinem arteriosum et sic ad nutritionem idoneum permutat; mutatione vero hac facta, ex branchiis in arteriam musculosam, quæ contractione sua ventriculi sinistri functiones adimplet, transmittitur, indeque in omnes corporis partes transfertur, unde ad cor redit per venas.

---

(9) Cuvier Anat. comparée, T. IV. p. 305.

(10) Lenhossekii Physiol. Medicinalis, T. III. p. 248.

§ XXIV.

DE REPTILIBUS.

Sunt animalia vertebrata, sanguine rubro et frigido, et circulatione duplici imperfecta, vel simplici, juxta CUVIERUM (11), gaudentia, et per pulmones respirantia, neque pilos, neque pennas, neque mammas habentia, sed systemata duo nervosa, nempe cerebrale et lymphaticum.

Hæc animalia alimenta per linguam prehendunt, illaque non masticare solent, et sæpe animalcula viva deglutiunt, ita ut eorum dentes, qui pro variis speciebus variæ formæ, situs et numeri sunt, non masticationi, sed alimentis retinendis potius inserviant.

Glandulas habent salivares, etsi non tam utiles, quam in illis, quæ alimenta masticant, et sic in bolum alimentarium reducunt, antequam deglutiant, et aliam omnino præbent structuram ac formam mammalium. Alimenta digestionem jam incipiunt in æsophago, qui in hisce animalibus brevitate et magna extensibilitate gaudet; hinc promoventur in stomachum seu ventriculum, qui in reptilibus longus, æsophago et canali intestinali paulo amplior, destitutum plerumque sacco cæco, parietes tenues et pellucidæ vulgo sunt, muscularis tunica gracilis, vasculosa, cum intima in unam juncta, minuscula valvula pylori in plurimis deest; minus occurrunt tamen in variis fa-

---

(11) CUVIER Anatomie comparée, T. IV. p. 2.

miliis diversæ harum partium varietates (12), uti stomachus avium, intus glandulosus et humorem secernens necessarium digestioni: in hoc enim stomacho alimenta digestionem, in æsophago inceptam, ulterius et perfectius subeunt, et convertuntur in chymum.

Vires vero, quæ ad chymificationem hanc concurrunt, sunt 1) et præcipue succus gastricus, cujus actio in hisce animalibus major est, quam in iis, quæ alimenta masticant (13); quippe eadem vi hic succus, ac in piscibus gaudet, i. e. ossa integra dissolvit, multo tamen lentius agit, quam in mammalibus et avibus, quod a respiratione exigua pendet; 2) Saliva; 3) Aër, qui cum alimentis in stomachum ingreditur; 4) Potentiæ solidæ ut etiam structura interna stomachi.

Ex stomacho chymus transit per pylorum in canalem intestinalem qui æsophagi instar, brevis, parumque flexus est, et tamen in crassum et tenue dividitur. Intestinum tenue, ut mammalium et avium, multis plicis conspicuum est, villi intestinales in maxima parte desunt. Idem valet de cæco et colo; valvula tamen cum eadem coli conveniens adest.

In hoc canali chymus convertitur in chylum, et adeo ad nutritionem magis adaptatur.

Causæ, ad hanc actionem concurrentes, sunt 1) et præprimis bilis, quæ secernitur per hepar, quod in reptilibus tanti est voluminis, ut utrumque occupet hypochondrium,

---

(12) Cuvier Anatomie comparée, T. III. p. 42.

(13) Idem ibid. T. III. p. 364. et sq.

sæpe multos habet lobos, unicam præbens massam, sed sæpe quoque duos ad quatuor lobos exhibet (14), et inde immittitur partim directe in canalem intestinalem, seu duodenum, per ductum hepaticum, partim in vesicam felleam, quæ semper in hisce animalibus adest, per ductus hepatico-cysticos, inde in intestinum. Sed hic notandum, ductus hepaticos et cysticos in pluribus reptilibus distincto loco duodeno inseri (15) et bilem quoque in variis casibus variam habere virtutem, ut dixi supra, ubi de piscibus egi.

2) Liquor salivæ analogus, qui secernitur per pancreas, quod in hisce animalibus glandula est conglomerata, similis ei, quæ invenitur in *Homine*, et per ductum pancreaticum, qui in reptilibus simplex, uti in *Vipera* cernitur, vel duplex, uti in *Crocodilo*, est, in intestinum immittitur, sed vario modo; in *Viperis* enim (16) ductus pancreaticus cum hepatico jungitur, in *Crocodilo* autem ambo ductus pancreatici a ductu hepatico separati canalem intrant intestinalem.

3) Ad chylificationem quoque concurrunt plicæ, quæ magno numero in intestino cernuntur; hæ enim, ut postea, ubi de mammalibus agam, fusius explicabo, chylum morantur.

In hisce animalibus, uti in avibus, omentum deest, imo in pluribus ipsum splen, et si existit, parvum est.

Hac peracta chylificatione pars nutritioni non apta, i. e.

---

(14) CUVIER Anatomie comparée, T. IV. p. 14.

(15) Idem ibid. p. 45.

(16) Idem ibid. p. 56.

fæcalis, e corpore eliminatur per anum, qui, uti in avibus, dilatatur in parte infima canalis intestinalis et inservit simul ovis educendis et excernendæ urinæ, quæ secernitur per renes, qui in reptilibus, respectu corporis, majores sunt, quam in aliis animalibus: ductus uriniferi radiculis subtilibus in parenchymate exoriuntur, qui deinde in unum congregantur ductum, in vesicam, aut cloacam insertum, vel in communi ductu pro spermate et urina, aut denique in ovi ductu aperiuntur (17).

Chylus vero absorbetur; sed hic notandum, absorptionem in reptilibus, uti in piscibus, fieri per vasa lymphatica et lactea, quæ eamdem quoque dispositionem habent ac in illis animalibus (vide supra absorpt. piscium) (18).

Chylus ita paratus, ut nutritioni corporis magis adaptetur, novæ subjicitur elaborationi, i. e. respirationi, quæ in reptilibus alio plane modo perficitur, quam in aliis animalibus; reptilium enim pulmones peculiarem habent fabricam, ut sequentibus patebit, nempe: aspera arteria in aliquibus tantum in bronchos funditur, nec abit in ramos tenuiores, verum ostio amplo desinit, inque pulmones amplos membranaceos, intus cellulis angulatis divisos, ruminantium reticulo similes, aperitur. Reptilium pulmones paucioribus constant vasis sanguiferis, quæ rete rarius tum in parietibus, tum in cellulis eorum conceptaculorum efficiunt. Desunt quoque vasa bronchialia, si quidem sanguis arteriosus cum venoso in ipso corde

(17) CUVIER Anatomie comparée, T. V. p. 253.

(18) Idem ibid. T. IV. p. 98.

jam mixtus, ab isto minus differat, quam in avibus et mammalibus, ideoque nutriendo pulmoni etiam respondeat. His accedit, quod quædam pars sanguinis tantum in pulmones mittatur, alia in corporis partes universas absque respiratione remissa. In aliquibus autem reptilibus rami arteriosi totius corporis ad pulmones appropinquant, quo sanguis in novum cum aëre atmosphærico contactum veniat (19).

Peculiare etiam est, quod larvæ ranarum et lacertæ, quæ juvenes in aqua vivunt, appendices habeant, branchiarum vices gerentes, in utroque colli latere sitas. Hæ appendices mutantur pedetentim in pectus, in *Sirene* tamen *Lacertino*, inque *Proteo Anguino* permanent, ut ideo animalia hæc per totum vitæ tempus duplicem respirationis apparatum habeant, scilicet : pulmones vesicæformes et branchias externas (20). In *Ranis* nostris post metamorphosim, ubi dictæ appendices disparuerunt, internæ nascuntur branchiæ, super pulmonibus sitæ, quas per totum vitæ tempus conservant.

Eæ reptilium familiæ, quæ costas habent immobiles, diaphragmate destituta, aërem ori et naribus, valvulis instructis, per modum deglutitionis in pulmones propellunt eumque vi musculorum abdominalium, ipsiusque pulmonis contractione reddunt. Inde est quod reptilia thorace et abdomine apertis aërem ducere pergant. Quæ costas habent mobiles, eodem mechanismo ac aves respirant, nonnulla amphibia, uti in

(19) CUVIER Anatomie comparée, T. IV. p. 323 et sq. et 331.

(20) DUMERIL Traité élémentaire d'hist. nat. T. II. p. 303. Le nouveau dict. d'hist. nat. appliquée aux arts. V. XXIX. p. 171.

Lacerta Cameleon est; aërem adspiratum ad interstitia cellularia cutis et musculorum propellunt, et *Ranae* aliquæ conceptacula duo musculosa in antica et inferiori colli parte gerunt, in maxilla inferiori ante rimam glottidis patentia, quibus aërem recipiunt, iterumque reddunt.

Ex dictis igitur patet, respirationem pro variis vario perfici mechanismo; sed hoc constans eorum cor ita esse dispositum, ut sanguis haud omnis per pulmones transire debeat, qui per venas in sinus reducitur, perque aortam in corpus universum mittitur, unde actio oxygenii in sanguinem reptilium minor, quam in mammalibus et avibus; quare etiam, quum sola respiratio sanguini calorem et fibris irritabilitatem tribuat, eorum sanguis frigidus, et vires musculares minores, quam in mammalibus et avibus; inde etiam, quod sanguis venosus ab arterioso in hisce animalibus parum admodum differat, et respirationem diu suspendere possint.

Demum, antequam finiam, adjungere necessarium duco observationem sequentem: reptilia pleraque victum habere animalem, pluraque famem diu perferre, sed magnam quoque cibi copiam eodem tempore capere posse: ranas non bibere, sed earum cutem magna vi absorbente gaudere, in sicco brevi marcescere, in medio autem humido volumen consuetum mox recuperare, non raro tantum aquæ absorbere, quantum ipsæ ponderant, quæ absorptio per solam corporis faciem infernam efficitur.

§ XXV.

DE AVIBUS.

Hæc animalia dentes non habent, sed rostrum, quod in

variis quoque varium, prout diversis victitant cibis et non alimentis conterendis, sed prehendendis et conscindendis inservit; cibum enim integrum absque masticatione deglutiunt (21).

Glandulas habent salivares, nunc simplices, nunc multiplices, sed structuram omnino diversam a structura mammalium, quæ humorem salivam dictum, deglutitionis et digestionis facilitatis causa secernunt, et per plura orificia in oris cavum emittunt; in avibus enim hæ glandulæ longe sunt minoris utilitatis, quam in animalibus, quæ alimenta masticant (22).

Ex rostro alimenta transeunt in æsophagum, qui fere semper ad dextram tracheæ descendens, in maxima parte carnivororum amplus, et qui structuræ plane peculiaris in avibus; primum enim intumescit in inferiori colli parte in saccum ovatum, insigniter dilatabilem, sub ipsa cuti visibilem, musculoso-membranaceum, glandulosum, succique plenum, qui *ingluvies* dicitur (et maxima invenitur in avibus granivoris, ubi in globosam expanditur vesicam). In hoc sacco cibus ingestus per aliquod tempus moratur, ut maceretur in succo salivæ simili, qui a pariete interna istius sacci secernitur, pro ulteriore digestione præparatur et eo diutius moratur, quo durior fuit. Infra ingluviem æsophagus contrahitur, rursusque in ipsa abdominis cavo in bulbum intumescit, minorem potissimum ovalem, copiosis glandulis obsitum, quarum humore alimenta imbuuntur, uti stomachus verus, carnosum sed minus robustum, ipsique ventriculo vero, ut probabile est, humorem

---

(21) Dumeril Traité élém. d'hist. nat. T. II. p. 212.

(22) Cuvier anat. comp. T. III. p. 206.

gastricum suppeditantem, qui *Ventriculus Succenturiatus* vel *Proventriculus* vocatur, ubi ingluvies desideratur: hic ventriculus ipso ventriculo carnoso major esse solet (23). Excurrit contractus infra ingluviem ad exiguam distantiam æsophagus et inseritur in ventriculum *carnosum* seu *stomachum stricte talem.* Habet is figuram globosam, ad latera parum compressam, superiori et dextra parte æsophagum recipientem; cardiæ vicinus : paulo tamen inferior et posterior est pylorus, qui circularibus stringitur fibris, nulla existente valvula. Hic stomachus in omnibus avibus observatur, semper musculosus; in aliquibus tamen varietates offert: copia enim et robur fibrarum muscularium pro variis alimentis variant, quippe in avium maxima parte, quæ sola carne, vel piscibus, vel insectis victitant, istæ fibræ tam tenues et paucæ, ut stomachus potius sacculus membranaceus sit, quam carnosus; robustior in *Omnivoris;* atque robustissimus, musculosus et asperitatibus instructus in *Granivoris*, adeo ut tanta insit triturationis vis, qua *Gallinae* ventriculus tubulos et globos ferreos comprimere, globos vitreos in pulverem conterere, imo durissimos etiam lapides et aureas monetas, succo gastrico utique cooperante, volumine minuere valeat (24).

Insuper in *Gallinarum* stomacho inveniuntur lapilli, contra quos grana, quæ ista animalia deglutiunt, fricantur, et sic facilius conteruntur et quasi masticantur adeo, ut in horum

---

(23) CUVIER Anat. comp. T. III. p. 408.

(24) Nouveau dict. d'hist. nat. appliquée aux arts. art. *Oiseaux*. CUVIER Anat. comparée, T. III. p. 404 et sq. RICHERAND Nouv. élém. de phys. T. I. p. 51. DUMERIL Traité élém. d'hist. nat. T. II. p. 213.

animalium stomacho masticationis species quædam exeratur et eo facilius, quod alimenta jam molita sint in ingluvie et proventriculo (25).

In hoc casu stomachus, uti liquet, tanquam triplex haberi potest; dantur tamen casus, ubi simplex est.

Respectu avium digestionis notandum quoque, eam ad vitæ et vis respiratoriæ rationem sese accommodare et earum succum gastricum in ratione esse inversa cum ventriculi energia; aves enim, quæ robusto gaudent ventriculo, tam debilem habent succum gastricum, ut grana non contrita solvere haud valeat; aves vero omnivoræ, aliaque animalia, quæ cibum commolunt, et ventriculo minus robusto gaudent, succum habent gastricum efficaciorem, non tamen ita potentem, ut amphibia et pisces, quorum humor digestivus animalia integra, etiam ossa devorata solvit, uti vidimus (26).

Cibus in stomachum ingestus, in chymum permutatus, ea ratione, qua modo dixi, transit in canalem intestinalem, qui in hisce animalibus brevior et minus flexus est, quam mammalium canalis. Tunica ejus interior tenuis, glandulis, plicis et sæpius quoque villis referta. Intestinum crassum in avibus ab intestino tenui minus distinctum, quam in reptilibus, duobus cæcis sæpe permagnis, intestino recto immediate impositis, plerumque instructum. Colon vero plerisque deest. Intestinum rectum est sacculus amplus, atque musculosus, cloaca dictus, in qua ureteres simul aperiuntur.

---

(25) Nouveau dict. d'hist nat. appliquée aux arts. art. *Oiseaux*.

(26) Cuvier Anat. comp. T. IV. p. 13, 30, 31 et 36.

In hoc canali intestinali, præsertim in duodeno, chymus majori subactioni (chylificationi) subjicitur. Vires autem ad illam concurrentes sunt, 1) et præcipue bilis, quæ per hepar secernitur, quod, in avibus præter duos ad quatuor lobos majores etiam plures in minores dividitur, et quod relative ad corpus majus habet volumen, quam in mammalibus, licet respirationis apparatus horum animalium maximus sit, quod tamen est necessarium; videtur enim in avibus nimia requiri dephlogistisatio, ut tantus, quo aves gaudent, irritabilitatis gradus conservetur. Bilis hæc in intestinum infunditur per ductus biliferos, qui in avibus id peculiare habent, quod ductus hepaticus in plerisque avibus duobus oriatur ramis, quorum unus cum vesica fellea cohæret, et quod ductus hic et cysticus, paucis exceptis casibus, ostiis distinctis in duodenum inserantur (cystis vero fellea deest in *Psittaco*, in *Cuculo*, *Struthione* et sæpe etiam in *Meleagride*, in *Columba* et *Tetraobonasia* (27). Quoad bilis virtutem notetur, in diversis eam casibus diversam esse, uti supra dictum, ubi de piscibus tractatum est.

2) Humor salivæ similis, qui secernitur per pancreas, quod glandula est conglomerata, longa et angusta, nunc simplex, nunc duplex in avibus, et qui in duodenum infunditur per ductus pancreaticos, qui in plerisque avibus plures cernuntur, et distincto loco a biliario ductu intestino, prope pylorum, uti in mammalibus inseruntur (28).

---

(27) Cuvier Anat. comp. T. III. p. 365.

(28) Idem. T. V. p. 227, 230 et 237.

3) Villi et plicaturæ, quibus paries interna intestini refertus est, ut supra vidimus; hi enim absorptionem cet. adjuvant, ut fusius dicam, ubi de mammalium chylificatione agam.

Splen quoque aves habent exiguum, oblongum, admodum rubrum, et in medio mesenterii situm.

Peracta chylificatione, partes nutritioni non idoneæ, e corpore eliminantur per cloacam, i. e. orificium commune urinæ ejicienda, ut supra diximus, exceptis tamen *Struthione-camelo et Casuario*, ut sequentibus patebit: urina nempe in avibus, uti in reliquis vertebratis, secernitur per renes, ad utrumque latus columnæ vertebralis a pulmonibus ad pelvim producti, et figuram habent plerumque irregularem, oblongam, constantes lobis potissimum pluribus, quorum anterior latissimus a reliqua massa fere semper est separatus, et unica tantum constat substantia. Urina inde transit in ureteres, qui subtilissimis radiculis, penicellorum instar dispositis, et in unum tandem canalem confluentibus oriuntur, inque superiori cloacæ pariete, non vero in vesica peculiari, cum aves non mingant, aperiuntur; ideoque urina cum excrementis solidis miscetur et simul cum iis e corpore eliminatur; *Struthio-camelus et Casuarius* hic tamen exceptiones offerunt: hi enim vesica urinaria, uti mammalia, gaudent et orificium urinæ ejiciendæ proprium habent (29).

Chylus vero, qui in avibus, uti in reptilibus et piscibus, limpidus est, a particulis fæcalibus separatur et corpori animali adsimilandus, absorbetur.

---

(29) Cuvier Anat. comp. T. V. p. 229, 230 et 237.

Absorptio in avibus fit, uti in reptilibus et piscibus, per vasa lactea et lymphatica, quæ destituuntur glandulis mesacraicis; paucæ tamen glandulæ lymphaticæ circa collum earum inveniuntur. Harum vero glandularum defectui natura eo occurrit, ut vasa lactea et lymphatica disponeret, uti dixi in piscibus (30).

Chylus iste subinde cum sanguine circulatur, et propellitur versus cor, quod in omnibus fere congruit cum corde mammalium, paucis tamen exceptis differentiis (31): recipitur in ventriculum dextrum, unde promovetur in pulmones, in quibus, ut ad substantiæ animalis adsimilationem magis aptus reddatur, novam subit elaborationem per actionem respirationis, quæ in avibus multo vividior et perfectior est, quam in aliis animalibus, ut patebit sequentibus : earum enim organa respirationis, præter pulmones, peculiarem adhuc præbent apparatum, quem conceptacula constituunt aëria, cum cavo pectoris ac inter se communicantia, adspiratum aërem cum sanguine per universum fere corpus in contactum ponentia. Referunt enim ista conceptacula cellulas membranaceas, per cavum thoracis, abdominis et pelvis, perque collum et intra totam cutim distributas. Producuntur cellulæ eædem ad extremitates, processus intra musculos mittendo, qui os femoris et brachii ambiunt, perque foramina in caveas eorum ossium, omni medulla in adultis avibus destitutas, penetrant. In avibus aliis eadem conceptacula in vertebras quoque (prima et ultima exceptis), in costas, sternum, claviculas et ossa pel-

(30) Cuvier Anat. comp. T. IV. p. 108 sq.

(31) Idem ibid. p. 212.

vis penetrant. Per tubum Eustachii et nares aër in plurimis avibus in ossa pleraque maxillæ superioris, in mandibulam inferiorem et ossium cranii diploën penetrat. Denique et per narvum cavitates in avibus adultis aërem per cellulas, e pulmonibus productas, recipiunt. Perficitur adspiratio et inspiratio aëris; in avibus vero, diaphragmate cæteroquin destitutis, musculis intercostalibus et abdominalibus.

Ex quibus apparet, aërem continuo, magna copia, in earum pulmones, saccos et canales aërios, qui in universi corporis partibus occurrunt, intrare, ubi continuo decomponitur adeo, ut earum systemate sanguineo semper cum aëre in contactum veniente, oxygenatio sanguinis in his animalibus perfectior sit, quam in aliis: unde quoque sequitur, facultatem stimulantem in hisce etiam esse majorem et circulationem rapidiorem, quam in aliis: quod vero non frustra fecisse natura videtur: hæc enim necessaria est, ut tanta, qua aves gaudent, irritabilitas conservetur: insuper majore aëris quantitate indigent, cum vel cantu respirationem cohibeant, vel volatu celerrimo copiosum consumant oxygenium, ac simul respirii experiantur difficultatem: aliud quoque hæc conceptacula aëria commodum avibus præstant, quod corpus levius, et ad volatum aptius.

Sanguis post novam hanc elaborationem ex pulmonibus in ventriculum cordis sinistrum propellitur, unde in omnes corporis partes, in quarum substantiam mutatur, et quas vi vitæ deperditas continuo renovat.

Præter jam allatas differentias hæc organa nutritionis insuper in variis avium ordinibus variant. Sic aves Natatores in genere stomacho musculoso et cæcis longis gaudent, cæ-

terum structura canalis alimentarii in plurimis cum structura Gallinarum, sed in nonnullis etiam cum Grallarum congruit. Grallæ præsertim piscivori, ingluvie carent (quod quoque observatur in *Sthrutione*, aliisque granivoris et plerisque carnivoris), cujus loco proventriculus amplior adest. Eorum canalis intestinalis mediocris et cæcis brevibus instructus est: stomachus magis musculosus, quam raptatorum stomachus; gallinarum stomacho minus carnosus est. Gallinæ, cum præsertim granivori sint, ingluviem peramplam, stomachum valde musculosum, ut jam supra dixi, et canalem intestinalem longum cum cæcis duobus majoribus præbent. Quidam Scansores magnis glandulis salivaribus sunt instructi, quarum succo viscoso lingua imbuitur. Eorum stomachus membranaceus et brevis canalis intestinalis sine cæcis. Passeres, quorum victus minus determinatus, quam generum præcedentium, in genere stomacho admodum carnoso, canali intestinali longo e duobus cæcis perexiguis sunt prædìti. Raptatores æsophago peramplo conspicui, ingluvie plerumque carent: stomachus iis amplus et membranaceus, intestina parva, cæcis nullis, hepar et vesica fellea magna, renes autem pro ratione minores quam in reliquis avibus. Raptatores diurni et nocturni eo inter se differunt, quod diurni stomacho vero prorsus membranaceo, intestinis parum extensis et cæco brevissimo instructi sunt; dum raptatores nocturni, licet sola rapina animali victitant, stomachum præbent musculosum, magna tamen ingluvie munitum et cæca longa versus finem dilatata.

§ XXVI.

DE MAMMALIBUS.

Sunt animalia, uti e definitione liquet, mammis instructa,

quarum lacte parvulos nutriunt, circulatione duplici, sanguine rubro et calido gaudentia, per pulmones respirantia, quorum fœtus in feminæ matrice nutriuntur.

Quod ad eorum animalium nutritionem spectat, pleraque mammalia inter se cum homine rebus, quæ sequuntur, generatim conveniunt : circum os labiis carnosis et mobilibus, quibus alimenta prehendunt et retinent, instructa. Maxilla inferior sola mobilis : plerumque ambæ dentibus obsitæ, sed forma et numerus illorum dentium quammaxime variant, et ut plurimum dividuntur in *incisores*, *caninos* et *molares*. *Incisores* illi sunt, qui in parte anteriore maxillæ siti; *canini*, qui singulum latus incisorum in utraque maxilla stipant; *molares* in parte maxillæ postica siti : eorum corona pro natura alimentorum variat; in animalibus enim, quæ frugibus victitant, plana vel tuberculosa, in carnivoris vero angulosa et cuspidata.

Hi dentes supra se invicem moventur in masticatione, quæ solum perficitur ope maxillæ inferioris : hæc enim sola, ut supra jam dixi, sese movet, et superiori, per vim musculorum, varia adducitur directione.

In hac masticatione alimenta, dentibus subjecta, dividuntur hoc modo : incisores tamquam forcipes illa scindunt, canini partes tenaciores dilacerant, atque molares duriores comminuunt et conterunt.

Hæc alimenta sic subacta pulverem efformarent, cujus transmissio nimis foret difficilis absque humoris cujusdam mixtione : sed natura huic consuluit; sub hac enim masticatione humoris inquilini arteriarum exhalatio serosa, mucus et saliva, quæ præsertim per tria paria glandularum, scilicet pa-

rotidearum, submaxillarium et sublingualium e sanguine arterioso paratur et a vasis salivaribus recepta per ductus excretorios in cavum oris, sub masticatione præsertim, effunditur, cum cibo subacto miscentur et inde bolum efformant ductilem, qui facile in fauces sic transmittitur. Hæc oparatio itaque uti prima digestionis pars considerari debet, et absque maximo stomachi damno negligi haud potest; hi enim humores triplici modo ad digestionem conferunt, scilicet Mehanice—cibum solidum diluunt, et partes quasvis, muco remisti, lubricas reddunt; Chymice—fermentationem ciborum accelerant, salivas particulas solvunt, et cum ceteris oris humoribus constituunt medium, quo oleosæ aquosis uniuntur cibi partibus, attrahunt oxygenium ex aëre, quod inter masticandum cum cibo miscetur et deglutitur, suoque modo ad digestionem confert: Dynamice—cibum sic mutant, ut in organicam ea verti possit materiam (32).

Cibus masticatus et per salivam per ceteros cavi et oris humores, in bolum homogenium ductilem mutatus, in fauces transmittitur, uti jam vidimus, quod modo fit sequente : inter masticandum, clauso ore, maxillaque inferiori admota superiori, impeditur, ne quidquam elabatur, et bolus iste seu offa in superiori linguæ facie colligitur, tum lingua ipsa, quæ, ut lingua hominis, carnosa, sed papillis nervosis majoribus et spongiosis obsita, sursum et antrorsum mota, primum apice suo ad palatum stabile accedit, ac tum successive aliæ ejus partes; quo fit, ut pressus bolus ex ore propellatur ad fauces; sub qua actione velum palatinum sese elevans nares

(32) Lenhossekii Physiol. Medic. V. III. p. 46 et 48.

posteriores claudit, quo impeditur, ne bolus per nares regurgitet. Eodem tempore lingua et larynge elevatis, epiglottis clauditur, quo bolus ab illapsu in laryngem arceatur. Tunc actione musculorum glosso-palatinorum et pharyngo-palatinorum bolus in pharyngem urgetur, muco pariter scatentem copioso (qui transmissionem facilitat) musculorumque constrictione promovetur in æsophagum, qui saccus est carnosus, contractilis, a pharynge incipiens et in ventriculum desinens.

Impulsus in æsophagum cibus ad ventriculi ostium motu pharyngis et laryngis aliqua parte promovetur; energia tamen æsophagi multum quoque contribuit : irritatis quippe internis fibris, tubus iste angustatur, ampliatur vero et adbreviatur actione fibrarum externarum longitudinalium, unde motus oritur vermicularis, a pharynge ad cardiam procedens, ipsumque cibum ad ventriculum promovens, quæ transmissio quoque facilitatur per humorem mucosæ tunicæ, tubum eum lubricantem.

Bolus iste in cavo oris sic præparatus, in ventriculum ingressus, in eo per aliquod tempus moratur, et in pultem peculiarem, quam chymum dicunt, pervertitur, sub qua actione alimenta nativum colorem, odorem, saporem, et consistentiam perdunt, ita ut chymus pultem exhibeat minoris consistentiæ, ingrati, nauseosi odoris et fatui saporis, caloris subcinerei, et naturæ acidæ.

Causæ vero ad chymificationem hanc concurrentes, præprimis duplices sunt, nempe solidorum potentia, immediate alia, alia mediate; prior ab actione ventriculi, altera a reciproco diaphragmatis et muscolorum abdominalium motu ac-

cedente pendet, ut ita continuo pressa, agitata digerendorum massa semper magis magisque comminui, immutarique debeat. Aliæ causæ sunt fluidorum vires, nempe saliva et aër alimentis admixtus, ut supra dictum, et succus gastricus, qui in interioribus ventriculi parietibus, arteriis præcipue exhalantibus, secernitur, et opinantibus LENHOSSEKIO et CUVIERO bilis et humor pancreaticus, quæ in animalibus nonnullis per duodenum in ventriculum feruntur (33); sed quomodo digestio hæc perficiatur, est quæstio, de qua auctores inter se multum discrepant: cibus, veteribus opinantibus, fermentat aut putrescit, aut coquitur; his vero opinionibus obstat: primo ventriculum etiam resolvere substantias, quæ secus nulla fermentationis specie resolvuntur: 2) energia ventriculi vivi, imo succum gastricum putredinem impedire, quod inde patet, succum hunc carnes putrefactas, aliasque substantias corruptas emendare et ab ulteriori corruptione tueri: 3) denique repugnat temperatura huic coctioni non sufficiens.

Constat tamen, calorem et fermentationem digestioni parumper contribuere, sed nihilominus hæc actio nec coctio, nec fermentatio, nec putrefactio dici potest; sed cum LENHOSSEKIO opinor, succum gastricum, cæterosque humores inquilinos chymice agere in cibum ingestum, et solutionem esse sui generis; hic enim putat, succum gastricum, in quo oxygenium aliqua saltem ratione prædominatur, oxydando in cibum agere; ipsum coagulare prius substantias albuminosas, easque iterum solvere, convertere in gelatinam et efficere

(33) LENHOSSEKII Phys. med. V. III. p. 69. CUVIER Anat. comp. T. II. p. 365. RICHERAND Nouveaux élémens de physiologie, T. I. p. 39.

chymum, manifeste acidulum, aëremque, qui cibo inter mascandum admiscetur, hunc oxydationis processum augere (34).

Cibo in chymum permutato in ventriculo, fibræ ventriculi relaxantur, annulusque pyloricus, quo laxato, atque decliviori chymus per continuatos, quibus subjicitur, motus successive ad intestina transit tenuia, in quibus chylificatio (i. e. actio, qua alimenta et potulenta ingesta convertuntur in substantiam quamdam liquidam, homogeniam, blandam et albicantem, lacti analogam, quæ chylus dicitur) demum perficitur, præsertim in duodeno, nempe: hujus instestini tenuis paries interna plicaturis seu valvulis instructa, quæ superficiem exhalantem et absorbentem augent, et canali nutritio necessariam concedunt ductilitatem, et transitum morantur chymi, quo sufficiens sit tempus chylificationi et absorptioni (35), in ejusque superficie permulta emergunt vasa; in parte vero stomachi, viciniori præsertim, observantur ductus seu canales, qui in intestini cavum duos humores peculiares ad alimenta alteranda, fluidificanda et animalisanda idoneos infundunt, nempe alterum aquosum, salivæ analogum, cujus functio partim est, chymum et bilem diluere ejusque acorem minuere, qui in acinis glandulæ conglomeratæ in multis mammalibus in plures lobos, vario modo expansos, divisæ, cujus pars principalis semper pone stomachum, inter splen et duodenum, jacet (pancreatis), e sanguine arterioso, opinante LENHOSSEKIO (36) secernitur, in duodenum infunditur per ductum

---

(34) LENHOSSEK. Phys. Medicinalis, V. III. p. 81 et sq.

(35) Idem Phys. Med. V. III. p. 95.

(36) LENHOSSEK. Phys. Med. V. III. p. 146.

pancreaticum: alterum vero coloris viridis, flavi, saporis amari et naturæ alcalinæ, qui in acinis maximæ glandulæ conglomeratæ et hepar dictæ, quod eamdem structuram, eumdem fere colorem, et fere idem pro ratione volumen, ac in homine exhibens, plerumque profundius in lobos distincte separatos est divisum, e sanguine venoso juxta aliquos, secundum vero alios e sanguine arterioso secernitur, a vasis biliariis recipitur, et per ductum biliferum, pro variis vario modo, ut infra dicam, in duodenum infunditur. Hi duo humores sese admiscent chymo, qui in sensum valvulis oppositum propellitur et undique comprimitur ope vis contractilis, quam parietes intestinorum tenuium continuo subeunt, qui motus peristalticus aut vermicularis vocatur, quique per chymi stimulum augetur: hic enim mechanico et chymico et suo stimulo fibras intestini tenuis irritat (37) et sic alimentorum adsimilationem per salivam et ventriculi humores et actionem cœptam ultra perficiunt, ideoque chylificationem; unde liquet, ad chylificationem tum vires solidas, tum fluidas concurrere; valvulæ enim et plicatura, quibus intestini tenuis paries interna obsita est, magnopere, ut supra dixi, ad chyli formationem concurrunt.

Motus peristalticus alimentorum ulteriorem adsimilationem adjuvat, dum partes tritu emolitas comminuit, heterogeneas substantias miscet et cum humoribus inquilinis, quorum secretionem promovet, subigit, inque massam homogeneam vertit (38).

---

(37) Lenhossek. Phys. Med. V. III. p. 164.

(38) Idem ibid. V. III. P. III. p. 166.

Vires vero fluidæ per proprietates chymicas agunt; succus enim pancreaticus, ut supra dictum fuit, diluit pultem alimentarium, et substantias resolvit crudiores; mucus intestinalis, qui tubum alimentarium simul lubricat, et villosam tunicam a nimia tuetur irritatione, aquosas cum oleosis subigit partibus.

Quomodo vero bilis in chymum agat, haud debite exponi potest, quia ejus partes constitutivæ nondum satis cognitæ; opinione tamen Lenhossekii cum experimentis congruunt sequentia : « chymum in chylum converti, præcipue per bilem « admistam, bilem carbonio et hydrogenio abundantem ex- « ercere desoxydantes in chymum vires; in se mutuo bilem « et chymum agere, seque mutuo decomponere (39). »

Post absolutam hanc chylificationem id, quod in tenui intestino in chylum non conversum et vasis lacteis non absorbetur, in crassum promovetur intestinum, ubi quod utile adhuc inest, novis humoribus dilutum resumitur, cui resumtioni etiam longior pultis mora motus peristalticus, et vitalis ejus tubi actio contribuunt; pars vero reliqua lentiori motu per crassa intestina fertur, ibidem in fæculentam materiam mutatur, quæ demum ad intestinum rectum producta, sive copia sua, sive acritate aut utriusque simul modo irritans ad excretionem stimulat, eque corpore, per aperturam, cui nomen ani venit, eliminatur.

Chylus vero sub dilatatione intestini in villos currentes in tota superficie intestinorum et præprimis in duodeno,

---

(39) Lenhossek. Phys. Med. T. IV. p. 168 et sq.

transit, et accedente constrictione in venas lacteas, quæ glandulas mesaraicas trajicientes, ibique varios plexus efformantes, illum in ductum thoracicum deferunt, ubi sese unit fluido seroso, cui nomen lymphæ venit, quod vasa lymphatica illuc adferunt. Sub hoc itu per humores admistos inquilinos, præcipue vero per vitalem vasorum lacteorum et glandularum mesaraicarum reactionem, sanguini ita adsimilatur, ut in ductu thoracico animalium rubri sæpe sanguinis globuli inveniantur.

Chylus, ita magis præparatus atque dilutus et cum lympha mixtus, sanguini affunditur, cum eo circulatur, et tandem in sanguinem ipsum convertitur, ac primum quidem ad cor et pulmones devehitur, quo, ut cum reliquo sanguine ad singulas corporis partes feratur, aptior reddatur; nempe sanguis venosus, in truncos venarum cavarum propulsus, eos dilatat, qui jam a sanguine distenti stimulati reagunt. Compressione ista, pondere præterea proprio, vel maxime autem latie continuo affluente et a tergo urgente, sanguis, non nisi versus sinum cordis dextrum effugium habens, in eumdem promovetur, qui igitur hoc ipso tempore dilatatur, quo sese trunci venosi constringunt. Quia vero eo tempore ventriculus pulmonalis (dexter) contractus est, sanguis cumulatur in sinu, qui, sanguine repletus, in reactionem incitatur et sanguinem premit, qui partim in truncos venosos regurgitat, pro maxima vero parte in ventriculum cordis arcetur dextrum; ut itaque tempore eodem, quo sinus sese constringunt, trunci venosi prope cor ac simul ventriculus dilatentur. Ventriculus dexter impulso sanguine distentus ad stimulum reagens, hoc altero jam temporis momento sanguinem expellit, qui pro parte aliqua minori in sinum reurgetur, pro maxima parte in truncum arteriæ pulmonalis propellitur, qui inde distractus,

irritatus reagit, et sanguinem pro minima aliqua parte in ventriculum cordis repellit, pro maxima autem urget ad pulmones (40), ubi novæ elaborationi (respirationi) submittitur: hi enim pulmones sub inspiratione per diductionem thoracis, cui musculi thoracis et præsertim diaphragma contribuunt, dilatantur, et aërem elastica sua vi ad æquilibrium tendentem per laryngem et asperam arteriam admittunt, sanguisque in vasis pulmonum capillaribus de principiis inflammabilibus deperdit, coagulabilitatem auget, in sanguinem rubrum seu arteriosum mutatur, et ideo idoneus redditur ad partes corporis animalis debite concitandas, nutriendas et vivificandas. Qua autem ratione hoc eveniat, auctores multum inter se discrepant, VAN GOBBELSCHROY, professor in universate Lovaniensi, hujus mutationis causam attriætui majori, majorique pressioni, quibus expositus est sanguis, dum, minima pulmonum vascula transeundo, premitur, tribuit: alii vero dicunt, sanguinem venosum in pulmonibus per lentæ combustionis modum dephlogistisari, oxygenio simul et azoto impregnari (41); quorum LENHOSSEKIUS opiniones ita refert: plurimos nempe esse, qui putent, sanguinem nigrum, qui per arteriam pulmonalem in pulmones fertur, carbonico abundare, id principium per oxygenium adspirati aëris attrahi, et sub forma aëris fixi (acidi carbonici) cum exspirato aëre eliminari; varias vero observationes pro hac sententia pugnare; sed tamen huic obstare opinionem quorumdam, dicentium: oxygenium per sanguinem absorberi, ipsumque acidum carbonicum in

---

(40) LENHOSSEK. Phys. Med. V. III. p. 439. et sq.

(41) Idem ibid. V. III. p. 280.

corpore universo generari, quod quoque experimentis probare nisi sunt.

Aliam adhuc dari theoriam, magna attentione dignam, nempe WILBRANDII, qui prætendit, nullam accidere sub actu respirationis principiorum materialium permutationem inter sanguinem et aërem atmosphæricum, adspiratum aërem parietes vasorum pulmonalium haud penetrare, verum a pulmonibus sic recipi, ut chylus in tubo intestinali recipitur, adsimilari. Alios esse, qui putent, sub respirationis processu sanguinem positive oxydari, e. g. CUVIERUM (42); alios vero, qui velint, nil de oxygenio absorberi, verum omnem ejus deperditam partem in generandum aërem acidum carbonicum, qui cum exspirato excernitur aëre, impendi, ipsumque ideo sanguinem decarbonisari tantum, non vero oxydari.

Quoad azoti impregnationem, hanc quoque opinionem tenet celeb. CUVIERUS (43).

Vide etiam ea, quæ diximus in introductione de systemate VAN MONSII v. cl.

Quidquid sit, saltem constat, sanguinem venosum in pulmonibus subire mutationem, ut supra dictum.

Cum vero animalia diu spiritum retinere absque incommodis haud possint, coguntur adspiratum reddere aërem, quod fit actione inspirationi opposita, seu secundo respirationis

---

(42) CUVIER Anat. comparée, T. IV. p. 298.

(43) Idem ibid. T. IV. p. 304.

stadio, i. e. expiratione, cui ideo contraria contingunt, nempe: thorace per musculos ejus et abdominis et diaphragma coarctato, pulmones in minus volumen contrahuntur (cui quoque et præsertim contribuunt ipsa pulmonum reactio elastica et simul eorumdem reactio muscularis) (44), vesiculæ aeriæ angustantur et aër foras expellitur. Hac actione sanguinis per pulmones transitus expeditur, qui tandem per venas pulmonales (quæ in pulmonibus extradiculis arteriarum pulmonalium nascuntur, successive in ramulos et in majores colliguntur, eque pulmonibus, per duos vel quatuor truncos eggrediuntur) pari modo ac pro dextro diximus; quod enim in parte dextra cordis fieri observavimus, in parte sinistra æqualiter peragitur, in cor promovetur sinistrum, quod, uti dextrum, constat auricula, quæ sanguinem a venis pulmonalibus excipit et ventriculo, qui illum expellit in systema arteriosum, fere cum iisdem dispositionibus valvularum ac ventriculus dexter (45).

In mammalibus systema arteriosum incipit per unicum truncum, aorta appellatum, qui originem præbet omnibus arteriis, quæ, per universum corpus, arboris instar, distributæ, sanguinem arteriosum, ad partes deperditas renovandas omnibus corporis partibus transmittunt, ut e sequentibus elucet: quippe sanguis a corde in aortam et inde in arterias propulsus, fibras earumdem distrahit atque elongat, quæ tunc distractæ et elongatæ ad stimulum applicatum reagunt et sese

---

(44) Cuvier Anat. comparée, T. IV. p. 358.

(45) Nouveau dict. d'hist. nat. appliquée aux arts, T. XIX. p. 106.

abbreviant; compressus hinc sanguis in arterias propelli debet, ac necessario versus partes et extremitates arteriarum, ubi in sanguinem mutatur venosum, ipsisque venarum initiis traditur.

Silentio demum præterire non credo, licet in mammalibus, sanguinem arteriosum elaboratione secundaria (depuratione urinaria) egere. Hac actione materies fluida, sub urinæ nomine cognita, continuo a sanguine secernitur, et quæ sola forsan e corpore tota ejaculatur, et cujus quidem conservatio valde noceret.

Apparatus hujus depurationis constat 1) organo pari fere symmetrico, *ren* appellato, sito extra cavitatem peritonealem, ab utroque latere primarum vertebrarum lumbarium, in cujus substantia corticali urina secernitur. 2) Canali excretorio, *ureter* dicto, qui, dum in cavitatem pelvis pervenit, semper dilatatur in sacculum membrano-muscularem, quem *vesicam* nominant, ad urinam per aliquod tempus conservandam destinatum, et unde nascitur *urethra*, urinæ e corpore eliminandæ inserviens (46).

Hæc est nutritio generalis mammalium, sed longe abest, ut organa et mechanismus istius processus, in singulis eodem modo atque perfectionis gradu perficiatur, ut potius speciatim considerata maximas illa exhibeant differentias in variis eorum ordinibus et familiis, præsertim inter mammalia *herbivora* et *carnivora;* differentiæ præcipue a natura alimentorum, quibus nutriuntur, a modo, quo ea prehendunt, et a struc-

---

(46) Nouveau dictionnaire d'histoire naturelle appliquée aux arts, Vol. XIX. pag. 108.

tura diversa ventriculi pendent. Quare de illis seorsim loqui necesse existimo.

Respectu masticationis valde inter se differunt; cernuntur enim ea, quæ non masticant, e. g. *Cetacea*, quæ animalia sunt sub forma piscium; quamquam omnia, *Balena* excepta, dentibus instructa sunt, alimenta absque masticatione deglutiunt (47).

Genus *Filis*, etsi tribus dentium classibus instructum, pariter non masticat (48).

Quinimo illa, quæ cibum masticant, hoc non æque perfecte agunt : dantur enim tantum nonnulli mammalium ordines, in quibus omnes supra dictæ dentium reperiantur classes, et qui in eo adhuc differunt ab *Homine*, individuo structuræ uti et masticationis facile perfectissimæ, quod seriem exhibeant interruptam, quod diversam habeant longitudinem, nec superiores inferioribus respondeant; alia triplices interdum has classes in unica tantum maxilla, uti videre est in *Ruminantibus*, habent; alia duas tantum classes habent, ut observatur in *Rosoribus* et *Ruminantibus corniferis*, *Cervo* excepto, quæ laniaribus carent (49). Pariter in aliquibus amphibiis (*Trichechis* et *Manatis*), quæ unica vel duabus dentium classibus instructa sunt (50), et in *Tardigradis*, quæ incisivis

---

(47) DUMERIL Traité élémentaire d'hist. nat. T. II. p. 279.

(48) Idem ibid. T. II. p. 313.

(49) Idem ibid. p. 276 et 303. CUVIER Anatomie comparée, T. III. p. 141 et sq.

(50) DUMERIL loco supra laud. p. 282.

carent (51); alia unam solummodo dentium classem possident, e. g. *Edentata* aliqua, quæ interdum dentibus omnino carent, et interdum molaribus tantum instructa (52); et interdum *Amphibia* aliqua (*Trichechi* et *Manati*), quæ unica vel duabus dentium classibus instructa, ut modo dixi (53); denique dantur mammalia etiam edentula, e. g. *Myrmecophagae*, *Manes*, *Echidnae* et *Balenae* (54); et interdum *Edentula*, ut modo vidimus (55).

Ex his patet, masticationis apparatus, in singulis non æque perfecti, mechanismum in singulis quoque varium esse oportere.

Dixi quoque, deglutitionis facilitandæ causa necessariam esse salivam; sed hic adferenda notatio celeb. naturæ scrutatoris Cuvierii : glandulas humorem hunc secernentes non in omnibus mammalibus esse easdem, verum, quia minoris sunt utilitatis, in iis, quæ in aquis degunt, pariterque in iis, quæ substantia victitant animali, quam in iis, quorum alimenta conteri, liquido humectari, et quasi in pultem reduci debent, eas omnino deesse videri in *Cetaceis*, easque minores esse in illis, quorum victus animalis, e. g. in *Carnivoris*, quam

---

(51) Dumeril l. l. p. 276.

(52) Idem ibid. p. 276, 301, 302. Cuvier Anat. comp. T. III. p. 143.

(53) Dumeril Traité d'hist. nat. T. II. p. 282.

(54) Cuvier Anatomie comparée, T. III. p. 103.

(55) Cuvier Anatomie comparée, T. III. p. 14. Dumeril Traité élément. d'hist. nat. T. II. p. 276, 301 et 302.

in illis, quæ substantiis victitant vegetabilibus, uti cernitur in *Rosoribus et Ruminantibus*, in quibus inter omnia mammalia hæ glandulæ maxime prostant (56).

Quinimo labiales et buccales fere esse insensibiles in multis mammalibus, sublinguales interdum, rarissime tamen, desiderari omnino, ut observatur in *Feli* (57), parotideas et sublinguales pariter deesse in *Phoco*, et parotideas in *Echidna*, *Hestrice* et *Myrmecophagis* (58). Quoad eorum deglutitionem, ea facilitatur, uti supra vidimus, per constrictionem pharyngis et actionem æsophagi, quæ ope musculorum perficiuntur; sed notetur, hac de re in mammalibus actionem horum musculorum validiorem esse, quam in homine (59). Notatu quoque dignum, in permultis mammalibus fibras membrani muscularis æsophagi directionem non habere, qualem supra dixi, quæque tam apta ad cibi transmissionem videtur; sed hanc dispositionem præcipue observari in homine (60): mammalium enim æsophagus præsertim ab humano eo differt, quod ambo fibrarum muscularium strata, quæ membranam æsophagi externam formant, fere spiraliter et plerumque directione opposita excurrant. Carnivororum vero æsophagus avidius devorantium eximie amplus, in multis autem herbivoris majo-

(56) Cuvier Anatomie comparée, T. III. p. 143.

(57) Idem l. l. T. III. p. 210 et 212.

(58) Idem ib. T. III. p. 210 et 220.

(59) Id. T. III. p. 288.

(60) Ibidem T. III. p. 367.

ribus præsertim *Ruminantibus* ejus membranæ crassiores et robustiores inveniuntur.

Quod vero ad digestionem eorum spectat, plurimæ occurrunt varietates in mammalium ventriculo, qui in universum humano satis similis, varia quoque muscularis tunicæ, quæ in omnibus e totidem tunicis, quot in homine componitur, virtus: tunica enim muscularis nonnullorum parum conspicua, in aliis vero, ut plerisque carnivoris, valde robusta, unde varia ejus energia in cibum digerendum; figura et numerus quoque in variis variant: nunc enim globosus, ovalis, oblongus, pyriformis, et nunc plane irregularis est. In multis *simplex*, uti in plerisque carnivoris, cetaceis exceptis (61), in multis herbivoris et omnivoris, in aliis *complicitus*, ita ut membranæ ejusdem indolis coarctatæ, plura efficiant conceptacula, uti in *Equo*, *Mure*, *Lepore*, et *Cuniculo*, qui ventriculum talem habent, ut membrana intima sua non modo differat in varia parte, fabrica, verum etiam efficacia in cibum adsumtum (62).

Dantur quoque mammalia composito, duplici, triplici aut quadruplici instructa ventriculo (63), e. g. aliqua amphibia, *Trichechus, Manatus Australis* duplici gaudent ventriculo (64), aliqua Cetacea vero et Tardigrada quadruplici, ut infra fusius

---

(61) Dumeril Traité élément. d'hist. naturelle, T. II. p. 310. Cuvier Tom. III. L. XX. art. IV.

(62) Blumenbach L. C. § 87.

(63) Cuvier Anat. comp. T. III. p. 371 et sq.

(64) Cuvier T. III. p. 400.

dicam (65), etsi cibum ruminare nequeant. Denique in plura loculamenta divisus aut multiplex omnino videtur ventriculus apud nonnulla herbivora et alia, e. g. in *Marmota circeto, Didelphi gigantea,* in *Suctajassa, Bradypo* et Rosoribus quibusdam (66).

Peculiaris demum omnino est organorum digestivorum fabrica in Cornutis et Ruminantibus animalibus, quatuor distinctis ventriculis gaudentibus, quorum tres primi communicant ope productionis musculoso-membranaceæ æsophagi, quæ in statu relaxato sulcum atque tubum perfectum, dum muscularis ejus columnæ ad se mutuo accedunt, præbet et ita sunt dispositi, ut alimenta in unum alterumve pro libitu intrare possint. Primus qui, in adultis, maximus est, *Rumen* seu *Ingluvies* vòcatur, externa facie duo refert tubera, interius vero in quatuor ferme caveas subdividitur, magnum cavi abdominis, sinistra præcipue, occupat spatium, estque membranæ ejus interna permultis conulis compressis distincta. Transmittitur pabulum per sulcum jam dictum in hunc ventriculum; dum colligitur, in eo remollescit; dum vero per aliquod tempus hujus visceris actioni subjectum fuit, hinc transfertur, contracta ingluvie, per portiones minores in ventriculum secundum (*Reticulum*), qui primi quasi appendix, reliquis minor, sphæricus, dextra ante æsophagum et ingluviem situs, tendineum ipsumque diaphragmatis attingit centrum; musculares fibræ ejus ventriculi ferme quoque robustiores ac in

---

(65) CUVIER T. III. p. 402. DUMERIL traité élément. d'hist. nat. T. II. p. 301.

(66) CUVIER T. III. p. 578.

priore, ejusque tunica interna, alba, ut in priore, cellulas refert polygonas, rete pulcherrimum efficientes; in hoc ventriculo pabulum maceratur, et undique pressum reducitur ope motus antiperistaltici in æsophagum, eque illo in oris cavum, ubi novæ committitur actioni (ruminationi), tunc vero sufficienter masticatum et salivæ commixtum, rursus deglutitur, et clauso nunc canali, immediate in tertium transfertur ventriculum, *Omasum* dictum, dextram versus pone hepar situm, et tenerioribus constantem parietibus. Membrana ejus intima processus efformat particulares, folia libri imitantes, quare quoque *Liber* vocatur, papillis parvis mulieribus distinctos. In hoc ventriculo moratur ruminatum pabulum aliquo tempore, non diu tamen, porro subjicitur et tandem traditur quarto ventriculo (*Abomoso*) post ingluviem maximo, oblongo, pyriformi, cujus tunica interna nil nisi longitudinales plicas notabiles præbet. In hoc ventriculo cibus plane digeritur (67), unde traditur tubo intestinali, qui in ruminantibus admodum elongatus et villis longis munitus, sed in intestinis crassis parum inflatur, cæcum itidem perlongum et leviusculum, in hoc intestino modificationes subit, ut in reliquis mammalibus.

Notetur tamen, 1) *Cameli* ab eo aliorum ruminantium stomachum differre, in eo, quod quinque constet ventriculis, quorum tamen quintus ingluviei videtur esse appendix (68).

---

(67) Dumeril Traité élément. d'hist. nat. T. II. p. 286. Cuvier Anat. comparée, T. III. p. 393. Richerand Nouveaux élémens de Physiologie, T. I, p. 35. Duhamel phys. des arbres. l. c. I. p. 188.

(68) Dumeril Traité élément. d'hist. nat. T. II. p. 288.

2) Ruminantium, quamdiu ea ubera sugunt, et solo lacte victitant, abomasum reliquis stomachis esse majus, et rumen non prius quam cum pabulo herbaceo evolvi.

Horum animalium stomachi fabricam fuse exponere utile putavi, quia organisationis omnino peculiaris et mirandæ est.

Demum inter mammalia *Manis* pentadactyla, ventriculo cartilagineo, more avium, qui alternis constrictionibus et dilatationibus ingestum comminuit cibum, gaudet (69).

Sed non solum fabrica ventriculi mammalium, sed etiam humores ab eo secreti differunt: in animalibus enim composito instructis ventriculo, humores isti differunt adeo, ut ruminantium primi tres ventriculi aquoso-mucosum, et tertius non nisi gastricum secernant humorem.

In iis etiam ipsis, quæ ventriculo gaudent simplici, ipsius succi gastrici virtus in variis differt animalibus, et aliis quoque respectibus relativa, adeo ut tanto sit minor, quanto vires masticationis et ventriculi majores fuerint (70).

Præterea animalia nonnullorum, ruminantium præcipue, humor iste in substantias varias non agit, nisi prius masticatæ et cum saliva aliisque humoribus subactæ fuerint, dum animalium rapacium rel. in crudas etiam agit substantias (71).

---

(69) Lenhossek. Phys. Med. V. III. p. 30.

(70) Idem ib. V. III. p. 69 et sq. Cuvier T. III. p. 394.

(71) Lenhossek. Phys. Med. VIII. p. 72.

Ex dictis igitur apparet, tum vires solidas, tum liquidas, unde digestio pendet, ut supra dixi, in variis mammalibus esse varias.

Antea exposui, ad chylificationem quoque concurrere vires solidas, e. g. tubum intestinalem, cujus actio ejus longitudini respondere videtur, et proinde in variis varia; quippe hujus tubi longitudo in mammalibus pro ratione victus quam maxime differt, e. g. in plerisque herbivoris longior est, quam in carnivoris, et medium tenet in omnivoris, uti in homine, quod vero natura non sine causa fecisse videtur; herbæ enim plus, quam substantiæ animales morari debent in intestino, ut adsimilari possint, utpote magis naturæ animalium heterogeneæ (72); notetur tamen, sæpe brevitatem hujus tubi, amplitudine valvularum, quæ chymum morantur, copioso numero, aut majori volumine compensari, quo cibi transitus plus minusve retinetur, et longitudinem majorem, angustia, aut valvularum defectu restringi (ut ideo e sola intestini contemplatione convenientem ex natura cibum divinare haud possis), estque varia in diversis classibus et familiis horum proportio, ut tabulæ a naturæ scrutatore Cuviero, arte maxima confectæ, demonstrant (73).

Notetur quoque, intestinum tenue a crasso, variis in variis animalibus partibus separari, e. g. *Homo*, *Satyrus* et *Phascolomus* intestino cæco cum appendice veriformi instructi sunt. Alia mammalia vel solo intestino cæco, vel sola appendice ver-

---

(72) Richerand Nouv. élém. de Phys. T. I. p. 3.

(73) Cuvier Anat. comp. T. III. p. 440 et sq.

miformi gaudent; vel nulli omnino limites certi intercedunt, ut ideo intestinum tenue paulatim ampliatum in crassum abeat (74).

Denique notatu quoque dignum, gyros in variis varios esse: dantur enim animalia quædam, præsertim herbivora, quæ tubum intestinalem longum et permultos in gyros contortum habent, dum carnivora brevi nonnumquam et ferme recto gaudent, quod quidem natura non frustra fecisse videtur; vegetabilia enim, ut in nutritiam permutentur substantiam, longiori tempore et actione indigent, quam victus animalis.

Quod ad mammalium hepar spectat, coloris et magnitudinis differentiis ac loborum varietatibus exceptis, [sunt enim mammalia, quæ usque octo (75) habent lobos] ejusdem acin homine fabricæ est; humor tamen, quem variis temporibus et in variis mammalibus, varia quantitate secernit, in diversis circumstantiis differt, prout directe in duodenum introducitur, vel antea per aliquod tempus in receptaculum, vesica fellea dictum, coacervatur (mammalium vesica fellea sæpissime verticaliter posita est, basi deorsum et collo sursum versis, quo situ fellis introitus in vesicam multò facilior redditur); majori enim energia in hoc, quam in illo casu gaudet: in hoc quidem conceptaculo acritas et consistentia intensiores fiunt: variat quoque, prout inflexus magis minusve pylori vicinus, et consequenter reflexus locum habere, vel non habere potest: demum huc etiam confert, utrum cum humore pancreatico, dum in intestinum intrat, mixta sit nec ne, ut jam vidimus,

(74) Cuvier Anatomie comparée, T. III. p. 465 et sqq.

(75) Idem ibid. T. IV. p. 108 et sq.

ubi de piscibus actum fuit (76). Virtus ideo bilis permultas differentias in variis mammalibus, præter eas, quæ in eodem individuo accidentaliter evenire possunt, perhibere debet, ut clare patebit e sequentibus: 1) Ductus biliarii in diversis mammalium familiis, in varia a pyloro distantia inseruntur, e. g. in bestiis rodentibus orificium ductus biliferi minime ab illo distat, dum in *Didelphi gigantea* maxime inde remotum (77).

2) Multa variorum ordinum vesicâ felleâ carent, dum aliis adest, e. g. carnivora fere omnia eâ gaudent, et cetacea aliqua, *Delphinus phocaena* et *Delphis* eâ destituuntur; sunt herbivora permulta, quæ eâ instruuntur, e. g. *Bos*, *Lepus*, cet. Deest in plurimis rosoribus, in *Muribus* præcipue; in *Equorum* familia, in *Porcorum* speciebus, in *Ruminantibus solidungulis*, in *Pecoribus* nonnullis. Differt insuper vesica illa positu, amplitudine et figura in variis mammalium speciebus (78).

Dixi quoque, in diversis animalibus bilem vario modo in duodenum infundi, quod quidem satis est evidens: variæ enim occurrunt in ductibus biliariis differentiæ, utpote varius eorum numerus, qui non semper hepatis lobis respondet, nec eodem loco ex hepate emergunt. Sæpe ductus hepatici plures in unum colliguntur ductum; in aliis casibus canales plures ab hepate cystidem petunt. Ubi vesica fellea adest, tunc bilis partim in cystidem felleam, partim in duodenum infunditur, et ductus

(76) Cuvier Anatomie comparée, T. IV. p. 20.

(77) Idem ib. T. IV. p. 21 et sq.

(78) Idem ibid. T. IV. p. 35 et sq.

hepatici cum cystico unicum et communem efformant ductum, quem choledochum nominant, qui cum pancreatico vel commune habet orificium, ut videre est in *Homine*, vel saltem in vicinia hujus in duodenum, eodem modo ac in homine, oblique inseritur. Bilis igitur cum hepatica, ante influxum in duodenum, semper miscetur et simul ea observatur dispositio, qua bilis cum pancreatico humore mixtio facilitatur (79).

Quod ad pancreas mammalium attinet, non nisi aliquæ coloris, figuræ, consistentiæ, magnitudinis et loborum, qui sæpe magis sunt numerosi, divisionis varietates occurrunt, et ductus ejus in mammalibus nonnullis plures exhibet ramos principales, qui tamen rarius separati intestino inseruntur; conjungitur in aliquibus cum choledocho, in aliis vero, uti jam dixi, separato loco duodenum accedit (80).

Ex dictis constat, tum potentias solidas, tum fluidas, unde chylificatio pendet, et chymificatio, varia in variis mammalibus virtute et energia gaudere. Quoad crassa intestina, variæ occurrunt in variis mammalium classibus et familiis differentiæ: cæco enim intestino pleraque gaudent carnivora, variæ amplitudinis et figuræ diversæ. Herbivora quædam, e. g. *Lepus* et *Cuniculus* tam amplum habent cæcum intestinum, ut longitudine sua totum superet corpus, estque valvulis spiralibus in cellulas plurimas divisum. Generatim fere observatur, animalia ea, quæ laxa sunt alvo, breve habere intestinum cæcum, vel penitus eo destitui.

---

(79) CUVIER Anatomie comparée, T. IV. p. 21.

(80) Idem ib. T. IV. p. 48 et 52.

Appendix vermiformis inter mammalia carnivora in *Mustela marte* desideratur; deest etiam *Vespertilioni*, *Gliri esculento*, *Simiis* nonnullis et quibusvis *Ruminantibus;* duæ contra sunt appendices recti intestini reliquis *Gliribus*, *Mustelis*, *Viverris*, aliis. Valvula coli non nisi aliquibus mammalibus, *Crinaceo*, *Sciurio* deest.

Intestinum colon longitudine, amplitudine, situ, figura atque structura interna multas exhibet varietates; fasciculi quoque musculares, e fibris longitudinalibus conflati, pauciores in aliquibus reperiuntur, quam in *Homine*, vel penitus desunt. In quadrupedibus aliquibus, ut in *Castore* et *Bradypo*, anus cum urethra in communem jungitur excretorium canalem (81).

Natura messenterii in mammalibus fere eadem ac in homine; omentum in omnibus mammalibus præsens, magnitudine multum variat, quæ tamen familias mammalium naturales non respicit.

Quod ad systema mammalium lymphaticum pertinet, notetur, vasa chylifera mammalium, præsertim vero carnivororum, insignem perhibere massam, et tempore chylificationis humore turgere albo, unde multo citius in iis, quam in homine detecta fuerunt, et glandulas messentericas et lymphaticas, quæ in mammalibus in solo messenterio inveniuntur, in illis quoque ampliores et congestiores esse, ac in homine; pauciores tamen adeo, ut permulti vasorum absorbentium rami directe ductui inserantur thoracico (82).

Circulatio mammalium differentias vix considerandas ex-

(81) Lenhossek. Phys. Med. V. III. p. 194 et sq.

(82) Cuvier Anatomie comp. T. IV. p. 96, 97, 101.

hibet; cor enim, circulationis centrum, ventriculis duobus et totidem sinubus, ut in homine, constat; est dextrum a sinistro per septum intermedium separatum, ut ideo, quoad essentiale, structura ejus cum humano congruat, etsi leves cernantur differentiæ, respectu figuræ, positionis cet. e. g. figura varias in variis familiis præbet differentias: vel conicum, vel teres, vel latum et breve, aut longius est. Mucro cordis vallecula media divisus non est, sed cor dextrum peculiarem exhibet excisuram. In solis *Satyris* oblique, fere ut in homine, situm est, ut ideo superficie plana diaphragmati incumbat; in aliis vero mammalibus situs ejus fere horizontalis: medio enim pectore, recta fere directione, ab anteriore versus posteriorem corporis partem collocatur, facie inferiori medio incumbens sterno, apice, ut in *Simiis* est, diaphragma contingens; in aliis vero a septo transverso remotum: foramen ovale septi atriorum in mammalibus a partu, una cum ductu arterioso quoque clauditur, ne *Cetaceis* quidem exceptis et iis, quæ aquis sæpe immerguntur, quamquam aliquando apertum, ut in homine etiam est, rarius reperiatur. Valvula Eustachii venæ cavæ inferioris, qua sanguis ejus venæ versus foramen ovale, vel in sinum dirigitur, in nonnullis desideratur mammalibus, et grandior est in *Cetaceis* ac iis, quæ aquis sæpius merguntur; præterea hæc valvula magna vulgo et minime perforata tum est, dum foramen ovale apertum manet, quod quidem itidem in homine observatur.

Capacitas sinus dextri in plerisque mammalibus major est ac sinistri: ventriculi nullas peculiares offerunt differentias; quod sinister (quod contrarium est ac in homine) aliquando major sit quam dexter (83).

---

(83) Cuvier T. IV. p. 195 et sqq.

Quoad urinæ secretionem, renes, ut supra vidimus, omnibus mammalibus adsunt, et eamdem fere habent fabricam ut homo, estque duplex ubique substantia; id peculiare tamen habent, quod ren dexter in hac animalium classe sinistro anterior sit. Figura renibus humanis in plerisque congruit, si paucas tamen excipias varietates, e. g. in plerisque mammiferis renum lobi, ut in fœtu humano, per totum vitæ tempus divisi manent; nulli tamen legi hæc dispositio subjecta est. Papillæ medullaris substantiæ in aliquibus mammiferis admodum sunt paucæ; in aliis, uti in *Feli* et *Cane*, desiderantur omnino, media substantia in superficiem plano-concavam, lotium velut exsudantem, desinente. *Calices* et pelvis renum papillarum respondent numero, nec cernuntur, dum non adsunt papillæ, et ipsa quoque pelvis fere nulla, uretre e medio rene exeunte (84), ut ideo secretio urinæ in his tam perfecta non sit, quam in aliis, ut etiam in homine, in quibus hæc organa adsunt, ut constat sequente: ipsa nempe substantia tubulosa ad secretionem urinæ, quæ uti jam supra diximus, in serpentinis corticalis substantiæ arteriolarum flexibus paratur, ea confert ratione, quod principia urinæ intime uniat; unde humor in tubulis contentus turbidus est; is vero, qui per papillas et calices in pelvim exstillat, limpidus jam apparet. Imo in his lotium sic exstillatum e pelvi renum per ureteres in vesicam propria ureterum reactione, vi respirationis ac partium adjacentium pressione transmittitur, quod quidem perpetuo et guttatim accidit, in vesica retinetur eo usque, donec vel resorptis particulis tenuioribus acrius fiat, ipsamque tunicam nerveam ingrato concitet stimulo, vel cumulatum suo volumine molestam suscitet

(84) Cuvier Anat. comp. T. V. p. 223 et sqq.

ejus conceptaculi tensionem, et tunc per urethram e corpore eliminatur, quam tamen emissionem pro aliquo tempore impedire possumus (85).

Nutritionem mammalium generatim sumtam, variasque ejus particularitates exposuimus, aliqua tamen de diversis mammalium ordinibus addere utile existimamus.

Nempe mammalia dividuntur in *Cetacea*, *Ruminantia*, *Pachidermata*, *Edentia*, *Rosores*, *Carnarios* et *Quadrumana*. Quum cetaceorum et ruminantium peculiaritatem jam supra exposuerim, de his hic non loquar.

Pachidermata, quæ in *solidungula*, *multungula* et *proboscidea* dividuntur, varia digestionis organa pro victus ratione offerunt. *Solidungula*, quorum victus vegetabilis, stomacho simplici et mediocri, canali intestinali longissimo et cæco peramplo instructa sunt. *Multungula* et *Proboscidea*, quibus victus ut plurimum vegetabilis, canalem habent intestinalem plerumque simplicem et musculosum, raro divisum; intestina crassa admodum longa et cæcum amplum, glandulas salivares, ut plurimum magnas, hepar pauciores in lobos divisum, et vesicam felleam, interdum nullam offerunt.

Edentia, quorum familiæ sunt, *rostrata*, *edentia vera*, *tardigrada*, organis digestivis multum variant. *Rostrata*, quorum victus animalis, stomachum habent simplicem, intestinum crassum, a tenui parum distinctum, cæcum breve, vel cujus loco appendicem tantum vermicularem. *Edentibus veris*, quorum victus partim animalis, partim vegetabilis, stomachus est simplex, canalis mediocris, et cæcum nullum.

---

(85) Lenhossek. Phys. Medic. V. III. p. 398.

Tardigrada solo victu vegetabili utentia, stomachum fere ruminantium more, ut supra jam vidimus, in quatuor saccos divisum, laminis autem intus destitutum, canalem intestinalem brevem ct cæcum nullum offerunt.

Rosores in genere intestinis admodum longis, et sæpius cæco peramplo præditi sunt. Eorum stomachus, qui victu animali utuntur, simplex, eorum, qui vegetabilibus victitant, duplex aut triplex, stomacho ruminantium quodammodo similis. Hepar magnum, et in iis qui somno hyberno indulgent, omentum multo adipe farctum, cum omentis aliquot adiposis accessoriis.

Carnivororum intestina generatim, ut jam dixi, minus voluminosa, propter alimenta, quæ capiunt magis substantialia, ita ut putredo cibi animalis, si intestino longo nimis diu subsisteret, impediatur.

Quadrumana denique intestina fere humana offerunt. *Homo* autem, in quo omnia organa totius regni animalis harmonice consociata, ut summum terræ productum, non solum animal perfectissimum est, sed ut ens ratione, intellectuale, liberum, supra totam animalium seriem, sese extollit, ita ut homo mammalibus adnumerari non liceat, sed unitas tamquam perfecta, opposita cæteris omnibus animalibus sit considerandus.

TANTUM.

XV.

RUDOLPHI WINSSINGER,

RESPONSIO

AD QUAESTIONEM JURIDICAM.

RUDOLPHI WINSSINGER,

GHISLENOPOLITANI,

JURIS CANDIDATI IN ACADEMIA LOVANIENSI,

RESPONSIO

AD QUÆSTIONEM AB ORDINE JURISCONSULTORUM, IN ACADEMIA LOVANIENSI, PRO CERTAMINE LITERARIO ANNI MDCCCXXII, PROPOSITAM :

« *Quaeritur quaenam sit differentia inter delicta dolosa et culposa; an ex principiis juris publici universalis Civitati jus sit culposa etiam delicta puniendi; et an Romani unquam et quo tempore in delicta culposa poenam publicam statuerint? Colligantur deinde et explicentur singuli loci Codicis pœnarum adhuc vigentis, quibus in delicta mere culposa poena statuitur, indeque sistantur principia generalia quae legumlatores Gallici in illis locis sanciendis sunt secuti, et ex his regulae deriventur in locis illis adplicandis a judicibus observandae. Jam disquiratur an non de punienda culpa regulae generales in Codice pœnarum a legumlatore essent proponendae, ac denique examinetur quatenus hoc factum sit et in Codice Gallico anni* 1810, *et in Codicibus Gallicis anterioribus et in Codice Batavo anni* 1808 *et in aliis;* »

QUÆ PRÆMIUM REPORTAVIT.

Video meliora, proboque.....
Ovidii Metamorph. Lib. VII. l. 19.

PRÆFATIO.

Vix, hujus responsionis elaborandæ consilio suscepto, ad quæstionem ipsam paulo diligentius animum attenderam, quum quam late pateret illius argumentum videns, me jam magis tanto labori sustinendo imparem pernovi, atque consilii fere pœnituit. Præterea contigit ut mihi parum otii esset, nec propter valetudinem, assiduam in studiis operam ponere amplius possem. Sed mihi, etsi temere, scribere constitutum erat : atque quia in sententia proposita, nisi causæ ad mutandum consilium susceptum validiores adessent, perstare consuevi, ad perseverandum vero in hoc cœpto sufficientes supererant, præsertim in animi affectione, ex qua mihi occupatione operosa, qua tenerer et simul studium meum amoremque in Viros Clarissimos, præceptores optimos, Academiæ valedicturus significarem, opus erat; restabat ut quoquo modo, sed quam apprime possem, illud perficerem. In eo tractando autem quum quæstio ipsa, cujus partes omnes, ut distinctæ, ita inter se nexæ et jugatæ sunt, per se suas præberet divisiones, ordinem quem demonstrat, utpote naturalem, consecutus sum.

Quatuor quoque in ea majores partitiones notari poterant : primum enim metaphysica rei disquisitio postulatur; postea quid apud Romanos statutum fuerit legibusque apud nos adhuc vigentibus cautum sit quæritur; deinde ad politicam argu-

menti tractationem revocatur quæstio, ut quid sanciendum foret inde pateat; postremo eorum quæ in legibus variorum populorum reperiuntur sancita, examen requiritur. Attamen non totidem commentationis meæ partes sistendas esse credidi, atque satis duxi, quæstionis tenorem sequi, ita ut, quin in eo aliquid immutarem, quædam generalia de delictis præmonerem, in quibus veluti fundamento reliquorum doctrina niteretur, itemque nonnulla de diversis auctorum sententiis circa dolum et culpam dissererem, ex quibus cognosceretur unde originem duxerit ipsa quæstio, quodque illa revera sibi subjectum haberet. Sic totum opusculum in octo capita distribuenda esse putavi, quorum conspectum sequentes paginæ exhibent.

CONSPECTUS.

§. I. De homicidio.
§. II. De incendio.
§. III. De termino moto.
§. IV. De abortione.

CAPUT VI. Singuli loci Codicis pœnarum adhuc vigentis, quibus in delicta mere culposa pœna statuitur, colliguntur et explicantur.

Sectio I. De delictis circa Rempublicam.

§. I. De iis qui tanquam privati delinquunt.
§. II. De iis qui ratione muneris peccant.

Sectio II. De delictis circa privatos.

§. I. De delictis gravioribus quæ culpa contrahuntur.
§. II. De delictis in quibus levior culpa animadvertitur.

CAPUT VII. Principia generalia quæ legumlatores Gallici in singulis locis Codicis pœnarum adhuc vigentis, quibus in delicta mere culposa pœna statuitur, sanciendis, secuti sunt, sistuntur, et ex his regulæ in illis locis adplicandis a judicibus observandæ derivantur.

§. I. Principia generalia juris Gallici de culpa punienda exponuntur.
§. II. Regulæ quædam ad usum fori deducuntur.

CAPUT VIII. Annon de punienda culpa regulæ generales essent proponendæ, quaque tenus hoc factum sit et in Codice Gallico anni 1810 et in Codicibus anterioribus, et in Codice Batavo anni 1808 et in aliis, disquiritur.

Sectio I. De regulis generalibus circa culpam puniendam proponendis.

§. I. An sint proponendæ.
§. II. Quales esse debeant.

Sectio II. De iis, quæ reapse propositæ sunt.

§. I. De Codice anni 1810.
§. II. De Codicibus Gallicis anterioribus.
§. III. De Codice Batavo anni 1808.
§. IV. De nonnullis aliis Codicibus.

RESPONSIO

AD QUAESTIONEM JURIDICAM.

CAPUT PRIMUM.

GENERALIA QUAEDAM DE DELICTIS.

Hoc spectant leges, hoc volunt, incolumem esse civium conjunctionem.
Cicero de Offic. III. 23.

SECTIO I.

DE DELICTI NOTIONE.

Quum natura ipsa ad civilem communitatem conjuncti et consociati sint homines, civilis autem communitas, quæ incolumitate omnium civium continetur, nisi certæ consortii regulæ constitutæ sint, quibus jura singulorum circumscribantur et securiora reddantur, ita ut non impune lædantur et quam

maxime illæsa maneant, consistere nequeat; leges pœnales præcipue ferri solent ut propositione pœnæ, tanquam mali in eos qui facta quædam (1) juribus alienis contraria commiserint, certe inferendi, ab illis committendis quisque detineatur. Tale factum, neglecta legis minatione commissum, delictum adpellari solet, et pœna a lege statuta adficitur. Legis vero minatione damno vel læsioni occurrere vult legislator, vel vetando jurium læsionem per se, vel vetando factum ratione læsionis inde orituræ. Delictum itaque quod vetiti hujus transgressionem continet, ratione duplicis damni considerandum est, alterius quod ad læsionem refertur cui sanctione pœnæ occurrere voluit legislator, alterius vero quod ipsa legis læsione datur.

Illud *extrinsecum* adpellaverim, utpote quod licet in legis *sanctione* spectetur, extra legis *vindicationem* reparatur, hoc vero *intrinsecum* (2), utpote quod in ipsa legis violatione contentum, irrogatione pœnæ resarcitur. Violatione enim legis omnium civium opinio de vi ejus psychologica diminuitur, unde alia

---

(1) Dicunt vulgo facta hæc esse cum *positiva*, tum *negativa*; aliis verbis delicta dari *commissionis* et *omissionis*. Sed distinctio hæc in modum, quo delictum contrahitur tantum, non in id ipsum, ut pote quod semper positivum est, cadit. Sic ex. g. cædes patrari potest, sive *committendo*, sive *omittendo*; ipsa autem, quæ factum sub lege pœnali vetitum constituit, semper *positiva* est.

(2) Damnum quod *extra* legem exsistit, licet ad id sanctio pœnæ spectat, minus accurate *materiale* sive *reale* dicitur, si quidem persæpe *incorporeum* est; illud *extrinsecum* adpellare maluimus, cui damnum *intrinsecum* (plerumque *formale* et *ideale* dictum) quod *intra* legis violationem, atque, ut ipsa, semper incorporeum est, opponimus.

mala nascuntur non alio modo sarcienda quam vi legis physica per illationem pœnæ comprobata. Hoc delictorum detrimentum intrinsecum sæpe geminatur eo quod datur læsione juris cujus tutelam pœnæ sanctio spectat. Hujus vero reparatio alio modo quam pœna per actionem privatam sive civilem, non per publicam sive criminalem efficitur, et in nonnullis casibus sicuti in conatu (tentative) et in levioribus peccatis, quorum animadversio primarie ad disciplinam publicam spectat ex eo quod apud nos receptum est, (contraventions de police), de illo damno solo reparando agitur, licet hæc quoque ratione damni ullius extrinseci puniantur. In genere damnum extrinsecum, quod vel Civitatem ipsam vel privatos adfecit, pœnæ statuendæ sola causa, et solius damni intrinseci delicto dati reparatio pœnæ infligendæ finis esse potest. In hoc sensu verum esse credimus quod cum PLATONE ait SENECCA (3) : « nemo prudens punit quia peccatum est. ».

Non vero hoc loco, de fine pœnarum nobis est disputandum, quippe quo longius a proposito avocaremur. Interea tamen hoc in legibus pœnalibus nobis inesse videtur, ut comminationem habeant ad ipsarum violationem impediendam, atque ita damna ex violatione jurium, quæ tuentur, oritura avertenda; legibusque violatis, pœnas exsolvendas esse credimus, ut damnum earum violatione datum, resarciatur, et earum auctoritas sustineatur. Quid igitur delictum sit, si quæritur, illud læsionem esse dixerim legis qua quid sub pœna vetatur. Quum vero non omnia delicta jurium, quæ leges tuentur, veræ læsio-

(3) De Ira I. 16. Cfr. GROTIUS de J. B. et P. Lib. 2. cap. 20. §. 4.

2.

nes sint, licet, ne læsiones ejusmodi oriantur, facta quæ delictum constituunt prohiberi soleant, quum porro læsio, quæ delicto inest, a lege separata cogitari nequeat; minus adcurata nobis ea delictorum definitio videtur « delictum juris læsionem esse a lege sub pœna vetitam. » Ex his et ex natura eorum quibus leges injunguntur, qua entia ratione prædita sunt, palam est, ut revera aliquis deliquisse dici possit, plura requiri. Non enim sufficit, ut aliquid admissum vel effectum sit, quod ne fiat lege cavetur et si factum est a quibusdam *delicti corpus* vocatur : sed quum ex certo respectu ad juris læsionem legis vetitum proponatur, et ei comminatio pœnæ addatur, ut omnes a facto vetito deterreantur; præterea certus animus quocum agatur ad notionem delicti requiritur, sive certus motus *voluntatis* et *intellectus* cum læsione legis connexus esse debet, ut ea tanquam delictum possit imputari, scilicet legis violationis auctorem *scivisse* legis vetitum et aliquid *decrevisse* oportet quo cum illa scientia conjuncto legem scienter et sponte violasse, sive libere male fecisse dici possit.

Hoc *animum delinquendi* appellamus, tum præsentem si quis factum commisit a quo legis vetito detineri debuisset, pœnæ sanctione detineri potuisset. Scientia legis, utpote quæ ex facti adjunctis probari nequit, præsumi solet; nec hæc præsumptio iniqua est, modo non excludat probationem contrariam, et licet *quisque praesumi debeat bonus donec probetur contrarium.* Cujusvis enim civis est notitiam legis sibi comparare, ideoque qui legem scivisse, officium tantum fecisse præsumitur. Hæc autem legis notitia idem ad juridicam, quod ad imputationem moralem conscientia est : et sine ea nulla datur delicti imputatio, quamvis de *dolo* et *culpa* etiam in jure criminali dici

posse credam, quin illa scientia adsit; unde etiam nullo modo opinioni eorum addictus sum qui *dolum praesumendum esse* credant, utpote præcepto superius memorato contrariæ, quæ ex eo ipso orta mihi videtur, quod auctores ejus omnia in animo delinquendi contenta non satis distinxerunt, et *notionem* doli et culpæ cum *imputatione* ad dolum vel culpam confuderunt. Ei, quod animum delinquendi vocamus, quodammodo vox Romanorum *culpa*, ubi in sensu latiori sumitur (4) respondet, et ad eam rem significandam recentiores verbo *reatus* utuntur. Ad animum delinquendi vero, ex iis quæ supra dicta sunt, duo requiruntur, scientia scilicet legis pœnam sancientis et agendi consilium legis vetito contrarium. Violatio autem legis ipsa non sine lege et pœnæ illatio non sine ejus minatione datur; unde ad delictum sive spontaneam legis pœnalis non ignoratæ violationem (5), ut summatim omnia recolligam, sequentia requiruntur : 1. Lex quæ aliquid sub pœna vetat; 2. factum quo legis vetitum violatur; 3. legis pœnam sancientis scientia; 4. consilium ullum facti commissi causa.

---

(4) Cf. ex. g. Moss. et Romm. LL. Coll. tit. I. 11. in Jur. Civ. Antej. quod edid. Hugo T. II. p. 1424.

(5) In sensu hoc generali verbum delictum interdum in jure Romano et Hodierno sumitur : vid. L. 1 et 2. D. de Leg. L. 1 et 5. §. ult. D. de Pœn. et Art. 22, 27, 41, 90, 214, 226, 227, 274, 307, 308. Cod. de modo procedendi in caus. crimm. In sensu strictiori vero delictum in jure Romano crimini vel delicto publico opponebatur, et idem aliquando quod delictum privatum significabat. Vid. L. 17 §. 18. D. de Ædil. Edict. L. 2. §. 8. C. de Vet. Jur. enucl. Apud nos autem delictum in specie factum vocatur sub pœna *correctionali*, quam dicunt, vetitum. Vid. art. 1. Cod. pœn.

Hæc quidem ita se habent ex principiis universalibus; præterquam tum jure Romamo, tum jure Hodierno confirmantur (6).

Male vero ad delictum *animum nocendi* requiri dicitur; talis enim, licet delicto inesse possit, non semper est. Unde patet, eo tempore quo in tribunalibus Gallicis nemo ob crimen condemnandus putabatur nisi cum animo nocendi egisse judicatus fuerit, multos contra legis sententiam a pœna absolutos esse.

SECTIO II.

DE DELICTORUM DIVISIONIBUS.

§ I.

De divisione delictorum ex damno quod iis datur sive laesionis progressu.

Omnia omnino delicta legis ullius læsiones esse et iis læsionibus damnum intrinsecum dari, jam in priori sectione a nobis expositum est. Præterea vero quibusdam delictis damnum extrinsecum efficitur et ratione læsionis jurium extra legem

(6) Vid. L. 1. Cod. ad Leg. Corn. de Sic. L. 1. § 14. D. eod. L. 35, §. 2. L. 235. D. de V. S. L. 18. D. de Poen. Cf. Art. 2, 60 — 67, 83, 118, 165, 248, 251, al. Cod. pœn. Art. 337. Cod. de mod. proced. in caus. crimm. Rapp. sur le liv. II. tit. 2 §. 3 ejusdem Codicis. Exposé des motifs, chap. 1, Liv. I. Cod. quæst. crim. Liv. II Cod. pœn. ad art. 64. — In legibus Romanis sæpius verba *sciens dolo malo* conjuncta occurrunt; et si sub verbo *sciens* illam a nobis ad animum delinquendi postulatam legis scientiam intelligere licet, injuste hæ Romanorum leges pleonasmi accusari videntur. Cf. LL. XII.

pœnalem jam exstantium facta omnia quæ tanquam delicta in civitatibus nostris considerantur, puniri solent; ita scilicet ut modo facta pœnis adficiantur, quia talium jurium læsiones effecerunt, modo facta animadvertantur, quia læsiones ejusmodi iis intentatæ sunt vel oriri poterant. Inde naturalis delictorum divisio in *veras jurium laesiones*, et *jurium quasi laesiones* sisti posse mihi videtur, quam tamen nec cum ea confundi velim quæ in jure Romano inter obligationes quæ ex delicto et obligationes quæ quasi ex delicto nascuntur, proponitur, nec cum ea quam nostris temporibus inter *crimina graviora* quæ ad jurisdictionem criminalem pertinerent, et *leviora peccata* per disciplinam publicam animadvertenda, ex rerum natura stabilire auctores frustra tentaverunt (7). Inter delicta enim quæ jurium quasi læsiones adpellaverim, ea quoque facta recenseo, quibus quis læsionem efficere tentavit (la tentative), præter alia multa quæ disciplinam publicam spectare censentur (contraventions de police); et quantæ sit utilitatis ea divisio præcipue ad melius indagandum quæstionis propositæ argu-

Tabb. tab. VII. Leg. Jul. et Pap. cap. VI. L. 3 in fine D. ad Leg. Jul. Majest. Cf. MITTERMAIER. Neues Crim. Arch. Vol. II. p. 522. ROOSENDAEL De dolo in delictis Lugd. Bat. 1817. p. 9. seqq. Licet enim quædam scientia facti jam in notione doli contineatur, quam ob causam furiosi et impuberes doli incapaces dicuntur L. 22. D. ad Leg. Corn. de Fals. L. 23. de Furt. eod., quia nempe quid agant non intelligunt; legis tamen pœnalis scientia ad notionem doli necessaria non est, sed tantum ad delicti dolosi punitionem requiritur.

(7) Cf. Briefwisseling van eenige regtsgeleerden over de aanstaande nederlandsche wetgeving, te Leyden, 1819, p. 271. sqq. p. 319. sqq. MEYER. Esprit des institutions judiciaires, vol. V. p. 442.

mentum, ipsa nostra dissertatione demonstrare conabimur. Ex jam dictis id quoque cuivis patebit, distinctionem nostram non ad eam differentiam redire quam inter *consummata* delicta et *tentata* proposuerunt juris criminalis scriptores, licet illâ ad doctrinam de dolo et culpa adplicatâ, hanc consequamur. Conatus enim juris quasi læsio dolosa est, et licet pro juris quasi læsione culposa apto verbo careamus, eam tamen nomine delicti culposi *imperfecti* delicto culposo *perfecto* sive veræ læsioni culpa effectæ eodem jure opponere possumus quo delicta dolosa in consummata et tentata dividuntur. Qua de re plura inferius dicenda : hic vero hoc solum adhuc notandum esse censeo, plurima eorum quæ ex legibus disciplinæ publicæ vindicari solent, veluti si quis, ut Prætorum verbis utar, « in suggruenda protectove supra eum locum quo vulgo iter fiet, inve quo consistetur, id positum habeat, cujus casus nocere cui possit (8), » cum damno culpa dato in eadem conjunctione esse, in qua conatus est cum læsione dolo effecta; quare cum conatibus delictorum communi denominatione jurium quasi læsionum comprehendi posse. Si vero inter juris veras et quasi læsiones distinguimus, hoc discrimine minus diversas delictorum species, quam diversos eorum gradus denotamus, ideoque nostram divisionem ex progressu læsionis proficisci diximus. Prout autem delictis vel privatorum vel ipsius Civitatis diversa jura læduntur vel in periculum vocantur, tam eorum quæ jurium veræ læsiones quam eorum quæ quasi læsiones sunt, duo genera privatorum scilicet et publicorum delictorum et utriusque generis diversæ species sisti possunt. Ipsa leviora

---

(8) L. 5. §. 6, D. de Noxalib. Actionib.

peccata, delicta politiæ, quæ vocant, duplici hoc respectu considerari possunt, licet permulta quæ disciplinæ publicæ intuitu coercentur, non certæ læsionis causa, sed ea ex ratione prohibentur, ut læsionibus in genere occuratur, quæ puniendi ratio eorum quoque animadvertendorum causam dedit, quæ tanquam præceptis moralibus contraria ex legibus nostris puniuntur.

§ II.

De divisione delictorum ex animo quocum delinquitur sive agentis intentione.

Ut ex læsionis progressu et qualitate ita ex delinquentium animo et intentione multiplex delictorum diversitas datur. Potest enim delicto, quod legis violatio est, lex pœnalis ipsa vel ex animi intentione violari vel ex quadam animi incuria; porro jus cujus tutela lege spectatur, ex animi intentione et ex animi incuria lædi, ex animi intentione et ex animi incuria in periculum vocari, et tandem intentata juris læsio cum intentata legis violatione conjuncta vel altera ab altera esse sejuncta. Nihilominus auctores ex intentione agentis duas tantum delictorum classes sistere, et ad alteram ab altera distinguendam vocibus Romanis *dolus* et *culpa* uti solent, de quarum in jure criminali significatione recentiori demum ævo quæstio philosophica institui et lis moveri cœpit, quæ adhuc sub judice esse videtur. Quanquam enim non ita nova sit juris criminalis doctrina, ut nostris demum temporibus constituta esse dici possit; usque ad nostram tamen fere ætatem notiones illas, quarum examen pro jure criminali superfluum esset, ex jure civili supponendas esse credebant juris criminalis scriptores, satisque duxerunt

dolum *animum nocendi* culpam vero *debitae diligentiae omissionem* adpellasse (9). Ex quo vero juris criminalis doctrina philosophice magis tractari cœpit, summi viri notionibus illis pro jure criminali definiendis operam dederunt, eaque definitio eo magis necessaria quo magis diversa doli et culpæ punitio legibus statui videbatur. Plurimi tamen auctores non satis distinxisse inter duplicem læsionem ad quam in delictis puniendis spectatur, et simplices verborum Romanorum significationes notis diversis auxisse videntur, quæ magis ad doli et culpæ imputationem pertinent, saltem si ex usu illorum verborum Romano progredimur. Unde diversæ diversorum sententiæ ortæ sunt, quas paucis exponere juvabit, antequam ut difficillimæ ita gravissimæ hujus doctrinæ ipsius examen instituere conemur. Hoc solum hic notandum esse credimus, doli et culpæ notiones, quum definiendæ sint ad diversos modos delinquendi distinguendos, in quos diversas pœnas statuat legumlator, explicandas esse potissimum ratione habita ejus quod legumlator in pœnis sanciendis spectat, sive *laesionis juris*, cui vult occurrere, ita ut et delicta quæ jurium læsiones et ea quæ eorum quasi læsiones sunt, in *dolosa* et *culpòsa* ex voluntate diverso modo cum hac læsione connexa dividantur, et postea quatenus delicta dolosa et culposa puniri possint ex modo quo pœnæ statutæ scientia *legemque violandi* voluntas accedat, determinetur.

(9) Bibliothek fuer die peinliche Rechtswissenschaft. Giessen. 1797. Th. I. St. 1. pag. 6.

CAPUT SECUNDUM.

VARIORUM AUCTORUM DE DOLO ET CULPA SENTENTIAE.

> Quæramus optima, nec protinus se offerentibus gaudeamus: adhibeatur judicium inventis, dispositio probatis.
>
> QUINCTILIANUS X. 3. init.

ROMANI in causis criminalibus in quibus de pœna publica agebatur distinxerunt inter id quod *dolo* et id quod *culpa* admissum esset, ut de dolo et culpa in causis privatis loquebantur, quin dici possit eos illorum verborum alias notiones in jure criminali alias in jure civili habuisse. Quum autem modo *voluntatem nocendi*, modo in specie *animum nocendi cum solertia*, modo *solertiam ipsam sive bonam sive malam*, *dolum* adpellaverunt (1), damnum vero *culpa* datum, *etiam ab eo qui nocere noluit* datum dixerunt (2); notiones doli et culpæ ex relatione

(1) L. 1. Cod. ad Leg. Corn. de Sic. L. 1. D. de Dolo malo. PAULI recept. sentent. Lib. I. tit. 8. Coll. LL. Romm. et Moss. tit. I. §. 3 et 9.

(2) L. 5. §. 1. in fine D. ad Leg. Aquil. Cfr. L. I. §. 3. D. ad Leg. Corn. de Sic. Quandoque etiam verbis *consilio* et *casu* pro dolo et culpa utebantur, L. 5. §. 2. L. 11. §. 2. D. de Pœn. quemadmodum Galli dicunt: *c'est un fait exprès; c'est un accident.* Verbis vero *propositum* et *impetus*, *lascivia* et *negligentia* diversas doli et culpæ species vel gradus indicasse videntur.

3.

voluntatis ad damnum ullum datum explicasse, sed non ad damnum delictorum intrinsecum, sive ad violationem legis pœnalis quæ delicto continetur retulisse videntur.

Aliam viam in hisce notionibus pro jure criminali definiendis ingressi sunt recentiores, et jam FILANGIERI (3), qui omnium fere primus ad punitionis modum determinandum eas doctrina sistere et doli culpæque naturam diligentius ad usum juris criminalis investigare tentavit, in eo examine instituendo exit ex ea delicti notione qua id legis violationem cum voluntate eam violandi conjunctam esse contendit. Voluntatem vero eam animi facultatem adpellat, qua secundum stimulos cupidinis et rationis ductum determinemur, ita ut velle non possimus sine adpetitu et cognitione quadam ab intellectu suppeditata. Cognitio vero actionis ipsi et finis et circumstantiæ actionis intelligentia est, ideoque sine ea non datur voluntaria actio et involuntaria ea est, quæ ex vi vel ignorantia procedit (4); unde a culpa casus distinguitur qui adest ubi omnino ignoravit facti auctor, effectum qui ex actione secutus est, sequi inde posse, cum in culpa effectus a proposito diversus supponitur, quem tamen evenire posse ex actionis circumstantia ipsi nota non ignoraverit ejus auctor. In casu deest voluntas, quia ignorantia actioni fundamento est; in culpa non omnino deficit voluntas, quia non deficit omnis cognitio. In casu igitur non voluit

L. 11. §. 2. D. de Pœn. L. 38. §. 8. ad Leg. Jul. de Adult. coerc. L. 4. §. 1. D. ad Leg. Corn. de Sic. §. 11. Inst. de Oblig. quæ ex delic. nasc. L. 226. D. de V. S.

(3) Scienza della legislazione. Lib. III. cap. 37.

(4) Qua in re FILANGIERI secutus est ARISTOTELEM Moral. ad Nicom. Lib. III. cap. 1.

agens legem transgredi, neque periculum adire eam transgrediendi; in culpa quidem legem transgredi non vult, attamen sponte in discrimen eam transgrediendi venit: quapropter casus non imputari potest, sed tamen culpa. Voluntas demum legem transgrediendi dolum constituit.

Hæc Itali philosophi sententia, prima facie ingeniose deducta, penitus inspecta non omnino adcurata videtur : nam primum quod dicit de voluntate, si per se verum, non tamen cum disquisitionis exitu sat apte congruit. Deinde cognitionem in culpa necessariam ad solum effectum actionis physicum refert, quum ad dolum, ut cum eo plures alii fecerunt, cognitionem solam effectus moralis actonis requirere videatur. Quum enim dolum tanquam voluntatem legem transgrediendi cum actione conjunctam proponat, et voluntatem sine cognitione non esse dicat, dolosam actionem esse contendit, quam quis sciens eam legibus vetitam esse, sponte suscepit. Unde si quis sciens legem transgressus est qua actio prohibetur, ex qua juris ullius læsio oriri potest, dolo fecisse dicendus esset, licet hanc læsionem efficere noluerit. Contra is qui actione suscepta hominem lædere volens, si in hanc læsionem pœnam sancitam esse ignoraverit, legem violare voluisse et ideo dolo fecisse dici non posset. Porro voluntas discrimen violationis legis subeundi (5) quodam modo quidem in eo adesse dici potest qui actionem suscepit, ex qua juris læsionem vetitam oriri posse providit, etiamsi effectum hunc, qui secutus est, se evitaturum esse speraverit (in quo casu alii quoque culposam esse actionem cre-

(5) La volontà di esporsi al rischio di violare la legge.

dunt); sed idem de eo dicendum est, qui licet non intentaverit effectum actionis vetitum, actionem tamen voluit tam determinato animo, ut ne eventus certitudo ab illa eum detinuisset (in quo casu alii indeterminatum dolum statuunt). Is tandem qui licet non providit effectum actionis suæ juri contrarium a lege sub pœna vetitum, providere tamen debuisset et potuisset adhibita diligentia, casu læsionem effecisse nominandus foret ex doctrina auctoris Italici, et eum ipsum in hoc casu culposam actionem credidisse ex reliquis ejus verbis effici potest.

In Germania quum per longum tempus ad distinguendum dolum a culpa juris criminalis auctores usi essent notionibus omnino vagis, jam superius memoratis, magis philosophicæ a sectatoribus scholæ WOLFIANÆ, inprimis a JCto NETTELBLADTIO (6) sistebantur, cujus sententiam jam antea a CARPZOVIO (7) indicatam, secuti sunt et explicuerunt magis ESCHENBACHIUS (8), BOEHMERUS (9), MEISTERUS (10), aliique multi. Eam nuperrime defendit GOENNERUS (11), ejusque summa hæc est: « Si quis læsionem juris actione sua effecit, distinguendum est utrum illam providerit, annon : si providerit, dolo, si non

---

(6) De homicidio ex intentione indirecta commisso. Halæ. 1756.

(7) Practica nova rerum criminalium Part. I. quæst. 5. n. 37.

(8) De dolo indirecto delinquentium. Rostochi. 1787.

(9) Observationes ad CARPZOVIUM. Quæst. 1. obs. 2. et Meditationes ad constitutionem criminalem Carolinam ad art. 137.

(10) Principia juris crim. edit. quart. Gottingæ. 1802. §. 40. 131.

(11) Revision des Begriffs des *Dolus*. Landshut. 1810.

providerit, providere tamen facile potuisset, culpa egit. Dolo vero non solum agit is qui actione sua aliquid directe intendit juri contrarium, vel id tanquam necessario ex actione sua eventurum providet (*dolus directus*); sed etiam is qui scit ex actione sua præter id quod directe intendit, æque facile aliud quicquam juri contrarium sequi posse, vel id tanquam verisimiliter eventurum providet (*dolus indirectus*). Nam is qui scit quid ex sua actione sequi possit, ratione ejus, quod præter directe intentatum sequitur, sciens agit; quumque id agere statuit e quo aliud quidquam præter directe intentatum sequi possit, præter directe intentatum etiam id quod sequi potest, velit necesse est, et quidem vere quamvis indirecte, quum si hoc nollet, illud agere non statueret. Hinc etiam volens quoad id quod sequitur agit, ergo in dolo est. In dolo enim quivis est, qui sciens volensque læsionem juris efficit, in culpa is qui licet nec sciens nec volens, actione sua effecit, quod eventurum esse scire debuisset. Culpa et dolus exinde *defectus rectitudinis actionis, illa tamen quoad intellectum, hic quoad voluntatem vincibilis* (12) vocabatur.

Quam defectivum autem hoc systema sit, jam ex modo ipso videri potest, quo illud ejus defensores adplicuerunt. Nam de dolo indirecto in iis tantum casibus loquuntur, ubi directe intentatum agentis per se jam factum juri contrarium a lege sub pœna vetitum est; sed eorum argumentatio si vera esset, tunc quoque de dolo indirecto dicendum foret, si directe inten-

---

(12) Ita NETTELBLADTIUS in dissert. laud. §. 5, 6, 13. Idem in Jurisprud. natur. systemat. §. 103 his verbis utitur : *Dolus malus est, si agens scivit et voluit existentiæ dari quod per suum factum existentiæ datur!*

tatum agentis, per se nondum juri contrarium est, quod vero nemo contendet. Is enim qui actione per se licita effectum licitum producere vult, et effectum vetitum ex actione sua evenire posse scit quidem, sed non eventurum esse sperat, certe hunc velle dici non potest. Cur vero in eo casu, si quis læsionem actione sua producere vult, ex qua aliam quoque sequi posse scit, quam tamen vitare voluit, si ea nihilominus evenerit, actionis auctor hanc quoque voluisse magis quam in priori casu dicatur? Omnis itaque divisio intentionis in directam et in indirectam, quæ NETTELBLADTII opinioni fundamento est, nulla veritate nititur, licet adhuc simile quoddam præceptum in Galliæ judiciis prævaleat (13).

In iis tantum casibus, si quis in genere actionem committere voluit quidquid ex ea eventurum sit, vel si alteram ex duabus læsionibus vetitis certe, neutram vero exclusive producere voluit; quemvis effectum secutum voluisse dici potest : sed quamvis tunc læsio secuta qualiscunque dolo effecta dici

(13) « Il n'est pas nécessaire pour constituer le crime d'homicide volontaire que l'auteur des coups, qui ont donné la mort, ait eu dessein de tuer, il suffit que les coups aient été portés volontairement. Celui qui, volontairement exerce des violences de nature à ce qu'elles puissent ôter la vie, se rend coupable de toutes les suites qu'elles peuvent avoir. » Les cinq Codes annotés par DESENNE. Paris. 1819. ad art. 297. Cod. pœnar. — Cf. GROTII dictum *involuntarium, ex voluntario ortum, moraliter pro voluntario habetur;* De J. B. et P. Part. II. 17. 18. et vulgatum illud quo utitur BOEHMERUS Elem. Jur. crim. §. 202. *Qui consentit in antecedens non potest non consentire in consequens.* Ita etiam BARTHOLUS sentit ad L. 38. §. 1. D. ad Leg. Jul. de Adult. « *Danti operam rei illicitæ imputantur omnia quæ sequuntur contra voluntatem suam.*

possit, non tamen dolo *indirecto* effecta apte dicitur. Nonnulli quidem improprie hunc dolum *indirectum* adpellant, alii vero eum rectius *indeterminatum* vel *eventualem* (14) nominarunt.

Utrumque casum doli indeterminati JCtus GOENNERUS, in opere laudato, etiam nomine distinguit, alterum *dolum indeterminatum*, alterum *directum et alternative determinatum* adpellans. Quum vero quis certum actionis effectum vetitum exclusive voluit et effecit, dolum *directum et determinatum;* quod si effectum injustum voluit, et alius gravior sequatur, dolum *indirectum*, NETTELBLADTIUM defendens, nuncupat. Imo adeo dolum indirectum statuit, non solum si facti auctor leviorem ejus effectum vetitum voluit, et graviorem ex inde sequi posse scivit, sed etiam si graviorem providere potuisset et debuisset. Ut autem sententiam suam firmet, præcipue affert, in foro externo ad intimos animi sensus non esse respiciendum, si semel dolus actioni ulli fundamento sit; rationem juridicam cognoscendi ambitum doli non aliam dari, quam effectum revera secutum cum mediis ad eum producendum adhibitis comparatum; nec reo fidem habendam esse causanti se momento actionis suæ, qua ex. g. alterum vulnerare voluit, nescivisse, instrumentum quo usus est mortem inferre posse.

Sed hæc tantum probant ex facti circumstantia colligi posse ejus auctorem etiam ad effectum graviorem intendisse; si vero ex circumstantia contrarium patet, de dolo sane, effectus gra-

(14) Ex. g. MEISTER im neuen Archiv. des Crim. Rechts. vol. I. Halle. 1816. p. 106; et SCHROETER in compend. J. crim. Lipsiæ. 1818. pag. 107.

vioris intuitu, quamvis quoad leviorem sine dubio exstet, sermo esse nequit.

In hisce casibus jam inter JCtos antiquiores BEYERUS (15) dolum *et* culpam inesse affirmavit : ejus quidem sententia fere a nemine excepta et a BOEHMERO (16) impugnata, sed temporibus recentioribus magis explicata et probata est a FEUERBACHIO (17) qui læsiones ita ortas per *culpam dolo determinatam* effectas dicit, et potissimum impugnat doctrinam de dolo indirecto antea jam a quibusdam imprimis a CHRISTIANO (18) et a PUETTMANNO (19) impugnatam. Alii tandem in læsionibus modo dicto effectis neque dolum neque culpam adesse affirmaverunt, sed propriam speciem reatus, quem *consentientem* adpellant; inter quos COMES DE SODEN (20), qui tamen asserit illum fundari in eo, quod auctor læsionis gravioris eâ quam intentavit necessario illam eventuram esse providere debuit, ideoque tacite in ejus eventum consentit, qua re Vir Clariss.

(15) Ad tit. de priv. delict. posit. II. ut ex BOEHMERI observatt. refert HENKE Geschichte des Crim. Rechts. Sulzbach. 1809. Vol. II. §. 340 sqq. et Lehrbuch der Strafrechtswissenchaft. Zuerich. 1815. pag. 62.

(16) Hic JCtus in observatt. ad CARPZOVIUM Quæst. 1. obs. 2. contendit dolum et culpam concurrere non posse, quia, inquit, sunt *opposita*.

(17) De dolo et culpa præsertim de dolo indirecto in Bibl. superius laud. Vol. II. Gotting. 1800. p. 193.

(18) Kieler Magazin. Hamburg. 1784. Vol. I. p. 345. contra NETTELBLADTIUM vol. II. pag. 365. contra ESCHENBACHIUM, qui hunc JCtum defenderat.

(19) De distinctione inter animum occidendi directum et indirectum e Jurisp. crim. prorsus eliminanda. Lipsiæ. 1789.

doli indirecti reipsa defensor est, quamvis alio nomine utatur. Cæterum non desunt qui appellationem *reatus consentiens* non improbant, sed tantum pro casu doli indeterminati usurpant (21).

Cæterum Nettelbladtii dicta, *defectum* qui in dolo contineretur quoad *voluntatem*, eum qui culpa exstaret quoad *intellectum* esse *vincibilem* (22), illud præceptum provocasse videntur, dolum in vitio voluntatis, culpam in vitio intellectus consistere, quod fortasse auctoritate Filangierii sed non ab ipsis doli indirecti defensoribus omnibus adoptatum (23) a singulis JCtis adhuc defenditur, et magnam inter viros clarissimos litem summumque studium excitavit, jus Civitatis demonstrandi, quo culpa pœna adfici posset, si soli intellectus errori adscribenda esset. Nonnulli ad dubium illud tollendum culpam errorem intellectus vincibilem adpellarunt, quem igitur is qui culpa egit, si voluisset, vitare potuisset, eaque re in sententiam eorum revera discedebant, qui culpæ causam in voluntate ponunt, licet discedere non videbantur. Alii priori sententiæ adscripti manebant, sed et si quis damnum quod vulgo culpa datum dicitur nullo modo voluntate vitari potuisse probaverit, nec sagacissimis argumentis jus culpam puniendi persuasum mihi erit.

Longius adhuc JCtus Steltzerus (24) progreditur qui ipsum

(20) Geist der deutschen peinl. Gesetze. Francf. 1792. Vol. I. §. 7. sqq.
(21) Vid. Meister et Schroeter ub. supr.
(22) V. supra pag. 23.
(23) Cf. Boehmer l. l.
(24) Princip. jur. crim. Erfurti. 1790. Cap. 2. §. 10 et sqq. Comp. jur. crim. Hallæ. 1795. §. 86. Ejusdem opus de voluntate ratione jur. crim. scriptum. Lipsiæ. 1817. pag. 160 sqq.

delictum quod dolo commissum dicitur, ex errore ortum proponit. Ex ejus sententia homo, quum voluntas a ratione determinetur, malum non mali causa *velle*, malum tamen efficere potest eo quod bonum adpetendo circa actionum suarum sequelas *errat.* Hæ enim vel *naturales* sunt, vel *accidentales* prout ex actione necessario, vel aliis causis adjuvantibus prodeant. Si quis actione sua bonum adpetens, malam ejus consequentiam naturalem producit, quam usu rationis providere poterat, actio ejus *absolute* mala est, et quidem vel *positive* mala, vel *relative*, prout malam actionis consequentiam tanquam principium finis sui adtingendi statuit, vel non. Si quis vero actionis suæ malas sequelas accidentales producit, actio ejus *casu* mala est et quidem vel *culpose* mala est vel malæ tantum *speciem* habet prout sequelæ provideri poterant, an non. Omnis reatus itaque in errore, in neglecto usu intellectus sive facultatis sanam rationem adplicandi consistit. Homo enim etiam si in dolo esse dicitur sive in voluntate male faciendi, revera nunquam directe malum vult; sed tantum ad bonum impetrandum medium quo aliis nocetur licitum credit, ergo in errore versatur, licet in jure id quod voluntas non est pro voluntate accipiatur ad facilius sistendos gradus neglecti usus rationis; utque id quod dolus adpellatur, sic etiam culpa neglectus usus sanæ rationis in computandis actionum consequentiis accidentalibus, ideoque, ut dolus, error est.

Huic sententiæ veri quicquam inest, sed multum abest ut omne quod peccamus licitum semper credamus, quod probant conscientiæ maleficorum; nec verius est dicere nos directe malum velle non posse: imo adeo nos vel id directe vel omnino non velle credo. Quamvis enim nemo malum mali causa

velle posse fortasse recte dicatur, is tamen qui malum boni ullius impetrandi causa voluit, id voluisse et directe voluisse non minus dici potest, si ad bonum per malum impetrandum se ita obfirmavit, ut nec certitudo mali eventuri eum ab actione detinuisset, qua se bonum impetraturum esse speravit. Nec, licet hæc spes eum fefellit, isque in hoc casu malum ex errore effecisse dici poterit, hic ejus error circa *eventum mali* versabatur, nec ejus errore, sed ejus voluntate malum evenit. Alias is qui ad bonum impetrandum actionem suscepit, quam non suscepisset, si mali inde orituri certitudinem habuisset, licet id oriri inde posse providerit, nullatenus malum inde ortum voluisse dici potest. Quum vero auctor noster credat eum in hoc casu malum *indeterminate*, in casu priori *determinate*, et in utroque casu, ratione ultimi actionis finis, *indirecte* voluisse, revera sub alia denominatione NETTELBLADTII sententiam de dolo directo et indirecto amplectitur, eumque impugnando ei mentem supponit quam nec ille verbis *dolus directus* et *indirectus* dare voluit, nec dari posse credimus. Sive enim aliquis tanquam finem ultimum actionis suæ rem ullam voluerit, sive tanquam medium ad finem adtingendum, semper eam directe voluisse, nec ullo modo aliquis indirecte quidquam velle dici posse mihi videtur, licet ad læsionem ortam ex alicujus actione voluntatem vel directe vel indirecte contulisse recte dicatur (25). In genere voluntatis notionem nimis strictam statuit STELTZERUS, et aliorum ex alia ejus notione derivatum systema quasi ex eadem suppositione ortum

(25) Ita Italiæ legumlatores in Progetto di Codice penale pel regno d'Italia. Milano. 1806. art. 4.

dijudicando, interdum verba magis quam sententiam impugnasse videtur.

Simili modo inter recentiores SCHROETERUS (26) omnem reatum in omisso usu rationis ponit, ad quem quivis in determinanda externa sua efficacitate adversus alios communi juris præcepto obligatur; et reatum *dolum* nominat vel *culpam*, prout non-usus rationis in consilio ad migrandum juris præceptum capto, vel in omissa actione intellectus ad evitandum effectum juri contrarium necessaria, consistit. Attamen verius est delictum quod dolosum vocatur oriri non ex eo quia ratione non utimur, sed quia ejus normam non observamus, semper ergo ex vitio voluntatis quæ vel rationem sequi potest vel cupidinem. Nec omissa actio intellectus, quæ in delicto culposo adesse potest, culpæ essentiam constituit, licet eam nec capto consilio, quod culposæ læsionis causa esse solet, constitui, cum ipso JCto credamus.

Cæterum ejusdem JCti distinctio doli in duas species quarum alteram *directum* alteram *indirectum* adpellat, veritate nititur; quamvis non adæquatis denominationibus usus sit, ut jam dictum est. Recte etiam culpam dividere videtur prout ex *ignorantia*, vel ex *incuria* proficiscitur, ut infra dicetur, licet delictum culposum male involuntarium adpellet.

Quod autem veri inest STELTZERI sententiæ a KLEINSCHRODIO (27) quoque comprobabatur, in genere dolum in intentione

---

(26) Ubi supr. p. 103.

(27) Grundbegriffe und Grundwahrheiten des peinlichen Rechts. Edit. 3. Erlangen. 1805. vol. I. p. 23. sqq.

indirecta consistere posse, in eo sensu quod is qui dolo agit effectum illegalem actionis suæ non tanquam finem ultimum, sed ut cupiditatem impleat, et tanquam medium ad hunc finem attingendum contra rationem velle censeri possit : quæ vero falsa insunt illi sententiæ ab eo minus clare refutata esse videntur. Ex hac ratione vel quia revera forsitan in libri sui prima editione sententiæ contrariæ addictus erat KLEINSCHRODIUS, quamvis errorem Nettelbladtianum de dolo indirecto nullo modo sicuti STELTZERUS participet, NETTELBLADTIO assentire; huic vero STELTZERUS adversari immerito dicitur (28).

Distinguit quidem KLEINSCHRODIUS utrum effectus actionis ullius illegalis sit talis, qualis plerumque et facile oritur, annon: in casu priori ei qui proposito actionem commisit, effectum secutum ad dolum indirectum imputandum; in casu vero quo agens illegalem quidem effectum providerit, sed se eum vitaturum esse crediderit, eum quoad effectum secutum in culpa tantum esse affirmat. Unde patet JCtum ad dolum indirectum eam tantum actionem imputandam esse censere, quam alii dolo indeterminato commissam adpellant, ideoque potius dolum in eo casu eventualem adpellandum et omnem distinctionem doli indirectum et in directum de jure criminali eliminandam esse contendit.

---

(28) Inter eos qui STELTZERI sententiam male intellexisse videntur, nominari omnino potest ROOSENDAEL, qui in operis laud. parte altera cap. 1 et 2. ad dolum a culpa discriminandum partim sequitur sententiam KLEINSCHRODII, partim GOENNERI, præsertim eo quod culpam non in vitio voluntatis ponit, et dolum indirectum defendit : cæterum argumenta quibus utitur GOENNERUS ab eo minus recte reddita et casus diversi non satis adcurate distincti sunt.

Cæterum ad dolum a culpa discriminandum, utrumque esse ait consilium actionem committendi, illum vero tale cujus illegalitas omnino distincte agenti nota fuerit; hanc vero tale cujus mala consequentia et illegalitas ab agente intelligi potuisset et debuisset, sed ea ex causa non intellecta fuerit quia error imputandus et evitandus obstiterit.

Sed ut omittam quædam verba minus adcurata, et licet concedam in eo ipso casu, quum agens malum actionis effectum providit et se vitare eum posse frustra speraverit, errorem subesse; non tamen concipi potest quomodo hic error vinci potuisset, nisi in agentis voluntate positum fuisset ab eo vacare; nec intelligo quomodo hoc in tali casu per voluntatem effici potuisset.

Jam magis sibi constans et propius ad veritatem accedens exponenda nobis videtur sententia Kleinii (29), qui sub voluntate intelligit facultatem animi se vi consilii ad actionem determinandi, illamque a facultatibus adpetendi rationali et sensuali distinguit, quarum alterutri vel utrique voluntas, dum actionem statuat, satisfaciat. Consilium vero ait JCtus tam ad committendum quam ad omittendum dirigi; at quamvis commissionem ex consilio tantum, omissionem autem tam ex consilio quam ex ejus defectu oriri; nemini intellectus defectum imputari, defectum itaque adtentionis tantum ob defectum

(29) Archiv. des Crim. Rechts (inchoat. Hallæ. 1799). V. I. fassic. 2. p. 56; vol. II. fass. 1. p. 216; vol. III. fass. 1. p. 119. — Annalen der Gesetzgebung und Rechtsgel. in den Preuss. Staaten. Vol. XII (Berlin. 1774). pag. 173.

consilii quod capi debuisset imputari posse : omnem reatum igitur vel in vitioso consilio, vel in defectu boni consilii fundari; quamvis etiam omnia voluntatis vitia, quodammodo ad vitium intellectus referri posse videantur, quum causa mali ultima quærenda sit in falsa conclusione, pro norma agendi adsumpta.

His positis, ad dolum a culpa discernendum sic statuit : cuivis delicto violatio legis inest; sed intentio legem violandi, ut violetur, sine intentione quicquam aliud obtinendi, cui obtinendo legis violatio tanquam medium sit, cogitari nequit : Is tamen qui proposito efficit quod lege prohibitum esse scit, non quidem ex intentione, sed tamen proposito legem violat. Contra is qui actione sua aliquid a lege prohibitum effecit et in ipsa actione aut legem ipsam, aut effectum illegalem aut medium eum impediendi ignoravit, sine proposito legem violavit; si vero scientiam necessariam ad effectum illegalem evitandum, quamvis non in ipsa actione sed antea impetrare potuisset, ab eo omissum est consilium acquirendi hanc necessariam scientiam, ideoque legem non malo consilio, sed defectu boni consilii violavit. Prior dolo, posterior culpa deliquit; in illo voluntas *positive mala*, in hoc *negative mala* est. Positive mala voluntas sive dolus etiam tunc adest, si quis proposito actionem committit, unde effectum illegalem licet non necessario oriri, oriri tamen posse scit, etiamsi optat ne sequatur; hæc enim optatio dolum non excludit, nam in pessimis actionibus agens effectum illegalem solummodo tanquam malum necessarium vult, sine quo finis attingi nequit, ideoque quodammodo eum non optat.

Interea tamen hæc posteriora non indistincte vera sunt;

nemo enim ex. g. mortem alterius velle et simul optare potest ut non sequatur actionem, qua eam intentat; maleque adducit JCtus exemplum Bruti Cæsarem occidentis, et simul optantis ne necessaria sit ejus mors; nam aliud est optare ne ad finem adsequendum aliquid necessarium sit, aliud optare ne eveniat. Quæ ergo dicit ad defendendum dolum indirectum in sensu NETTELBLADTII, non firmiora sunt quam ipsa scholæ antiquioris argumenta. Cæterum KLEINIUS dolum indirectum ad solum homicidium restringere videtur, et crimen incendii dolo excitati tunc tantum adesse censet, si quis actione sua incendium producere volens, ut eveniat, optat. In eo enim crimine quod plerumque committitur ad sumendam vindictam, ne hoc quidem dici potest, ejus auctorem incendium tantum tanquam malum necessarium ad finem suum adsequendum voluisse, ideoque ne *necessarium* esset optasse, nam in eo casu agentis finis non alio modo quam *mali* illatione adtingi poterat. Hoc fortasse JCtum impulit ad statuendum, eum solum *dolo* incendium excitasse dicendum esse, qui ut *sequeretur* actionem suam optaverit, quod vero æque in homicidio dicendum nobis videtur. Cæterum ut FILANGIERI ita KLEINIUS malum considerat de quo in dolo sermo est, indistincte respectu ad violationem legis considerat, qua re permulta confunduntur, quæ nobis separanda esse videntur; ideoque nec Viro Cel. MITTERMAIERO assentire possum, qui in egregia de doli natura disquisitione (30) dolum adpellat *propositum actionem a lege vetitam committendi cum scientia eam sub poena vetitam esse.* Scientia

---

(30) Ueber die Natur und Merkmale des boesen Vorsatzes. Criminal Archiv. vol. II. Hall. 1813. pag. 521.

enim aliquid a lege sub pœna vetitum esse pertinet quidem ad doli imputationem, sed non necessario ad doli notionem requiritur. Hoc pro parte indicasse mihi videtur Vir Cl. KEMPERUS (31), nec distinctionem inter *dolum juris* et *dolum facti* (32) ab eo propositam in jure criminali inutilem esse puto, licet in hanc ejus sententiam discedere nequeam, *consilium id quod lege vetitum est faciendi*, indistincte *dolum constituere*.

Cum KEMPERO quodam modo congruit STUEBELIUS (33), qui dolum adpellat *liberum consilium actionem committendi a lege pœnali expresse vetitam*, discrimine nullo facto utrum illud comitetur conscientia legem certo, an conscientia eam verisimiliter violatum iri; culpam vero *consilium committendi actionem cum conscientia exinde aliam in lege pœnali expresse vetitam oriri posse, sine intentione hanc efficiendi*. JCtus itaque cum aliis dolum et culpam in vitio voluntatis ponit: illum tamen nimis extendit, indolem quoque diversam factorum a lege sub pœna vetitorum, non satis distinguendo, hanc contra nimium restringit præcipue omittendo casum si quis effectum actionis suæ non providit, sed providere debuisset.

Latius porro de distinctione doli et culpæ disseruit Clariss. FEUERBACHIUS (34), qui etiam utrumque in vitio voluntatis

---

(31) In annotationnib. ad Cod. crim. Holland. Amstelod. 1809. p. 23. sqq.

(32) Cf. ROOSENDAEL de dolo in del. p. 57.

(33) System des allgemeinen peinlichen Rechts. Lipsiæ. 1795. vol. 1. p. 60. De notione culpæ progr. Wittemb. 1815.

(34) Biblioth. Jur. crim. Gottingæ. 1800. vol. II. p. 193. Revision der

5.

ponit. Ipsi dolus est *ea voluntatis constitutio qua quis juris laesionem tanquam finem vult, sciens illegalem esse hanc adpetionem;* culpa vero *illegalis constitutio voluntatis ad aliquid faciendum vel omittendum unde secundum leges naturae sine intentione agentis vel omittentis laesio juris oritur.*

Sed primum vox ipsa *finis* licet se eam non de *fine ultimo* intelligere dicat JCtus, ambigua certe, nisi omnino superflua videtur. Si quis enim hominem occidit ad eum spoliandum, hominis mortem quidem tanquam finem ejus actionis qua eum vita privavit, sed etiam tanquam *medium* ad eum spoliandum voluisse dici potest; et quid ad animum delinquendi definiendum refert, utrum aliquis læsionem juris tanquam finem an tanquam medium voluerit, si modo voluerit?

Porro verbum *laesio juris* in tam lato sensu sumitur, et ex delictorum diversitate tam diverso (35) ut credam hanc definitionem non magis doli naturam definire quam eam qua dolus tanquam voluntas legem violandi proponitur. Nec felicius in culpæ definitione a JCto, ut culpam a casu distinguat, verbum *illegalis* adpositum est, quo remoto cætera æque apte ad casum quadrant. Nam ut illegalis dici possit voluntatis constitutio ad aliquid faciendum, ex doctrina FEUERBACHII requiritur ut consilium capiens sciat se habere obligationem id omittendi ex quo secundum leges naturæ, læsio juris oriri potest,

---

Grundbegriffe und Grundwahrheiten des peinl. R. Erfurti. 1799. vol. I. cap. 6 et in ejusdem compendio jur. crim. Germanici ed. 6. Gissæ. 1818. §. 53.

(35) Cf. §. 21. 22.

actionemque de qua statuit, sub hac obligatione contineri. Quum vero actio ex qua sine intentione effectus illegalis oriri potest, plerumque tunc tantum si hic secutus fuerit, punienda est, ideoque effectu demum secuto sub illa obligatione contenta fuisse dici possit, conscientiam illam actionem decernens tunc tantum habere potest, si effectum certe secuturum esse scit, in quo vero casu revera non sine intentione sequitur.

Ex eadem ratione minus recte FEUERBACHIUS reatum in genere dicit cogitari non posse, nisi quis sciens legem transgressus sit, qua vetita est actio, ex qua læsio sine intentione oriri poterat. Si enim hoc ita esset, ob actionem culposam nemo puniri posset, nisi actio ipsa qua sine intentione læsionem effecit, per se jam vetita esset, quod vero plerumque non obtinet : nec ideo verius est culpam consistere in voluntate negative quidem mala, intuitu legis qua læsio ipsa vetatur; sed positive mala, quoad legem, quæ actiones vetat ex quibus læsio sine intentione oriri potest. Quumque JCtus ad actiones has a lege vetitas etiam omissiones et ipsas internas i. e. omissum usum intellectus adnumeret (36), e. g. ratione legis, cui actio externa contraria est; hanc notam cum aliis antea propositis conjungendo pro hoc casu sequentem culpæ notionem acciperemus : *culpam esse consilium non comparandi cognitionem legis qua vetita est actio externa ex qua sine agentis intentione laesio oriri potest!* Tandem si ad læsionem ex omissione sine intentione ortam tanquam culposam puniendam consilium omittendi requiritur in alio sensu; is qui aliquid a

(36) Comp. Jur. crim. §. 55 56.

lege præscriptum ex oblivione omittens læsionem efficit, culpa deliquisse dici non posset. In genere diversa momenta de quibus in doctrina de dolo et culpa dicendum est, nec FEUERBACHIUM satis distinxisse puto: ceterum maxima ejus sunt circa hanc rem merita. Primus enim casus diversos explicavit, ante eum sub *dolo indirecto* comprehensos; in quibus modo meram culpam, modo dolum indeterminatum, modo concursum doli et culpæ omnino recte cognovit.

FEUERBACHIUM veris pro parte, ut nobis videtur, argumentis KONOPAKIUS (37) impugnat, qui contendit in culpæ natura investiganda, voluntatis relationem ad solam eam legem qua vetatur læsio ipsa quæ consequentia actionis est, considerandam esse. Nec tamen hoc cum eo affirmaverim effectum illegalem ad culpam puniendam semper requiri. In reliquis fere omnino FEUERBACHII sententiam sequitur, ut SALCHOWIUS, qui tamen in opere recentiori (38), culpam appellat *illegalem activitatem ex vitio intellectus ortam;* HENKE (39), MARTIN (40), ROSSHIRT (41), aliique.

Jam ante FEUERBACHIUM, pro parte magis ad FILANGIERIUM accedens, plura serius a JCto Germanico mutuans, propriam

---

(37) De dolo et culpa in Criminal Archiv. Halæ. 1802. vol. IV. fasc. 2. pag. 32.

(38) Doctrina de pœnis et delictis. Jenæ. 1804. p. 12 et 65. vol. I. Comp. Jur. crim. Germ. Halæ. 1817. p. 41.

(39) Compend. Jur. crim. Thurici. 1815. p. 57.

(40) Compend. Jur. crim. Heidelbergæ. 1820. p. 69.

(41) Compend. Jur. crim. Heidelbergæ. 1821. p. 45.

sententiam de dolo et culpa proposuit GROLMANNUS (42) qui casus diversos distinguit : vel agens certum finem sibi proponens providet, ad eum adtingendum id quod delictum constituit necessario efficiendum esse, vel providet id effici posse; vel providere debuisset et potuisset id necessario efficiendum esse, vel denique providere debuisset et potuisset id effici posse.

In primo casu dolum, in reliquis culpam adsumit. *Consilium captum ad finem ullum per injuriam praevisam adtingendum* dolum appellat; culpam vero *consilium ad finem ullum adtingendum captum, sine certitudine effectum illegalem evitatum iri*. Dolosa igitur ei juris læsio est, quæ in fine agentis erat; culposa quæ, quamvis in agentis fine non esset, tamen ex ejus voluntatis statu ejusdem obligationi contrario orta est. Contra FEUERBACHIUM contendit, non *requiri* ad notionem culpæ læsionem *dolosam* obligationis ad diligentiam, sive conlium hanc obligationem lædendi; sed eum quoque in culpa esse qui, quamvis consilium non capiat cognitionem distinctam obligationis suæ ad custodiam sibi non comparandi, voluntate tamen careat non prius agendi quam cognitionem ejus habeat, quod ex lege actionem dirigere debeat. In dolo agentem *inimicitiam* contra legem, in culpa *defectum amicitiae* exhibere dicit.

Huic GROLMANNI sententiæ multum quidem veri inest : in-

---

(42) Biblioth. Jur. crim. Vol. 1. fasc. 1. p. 1. edito anno 1797. et fasc. 3. p. 71. edito anno 1799. Principia Juris crim. Edit. recentissima. Gissæ. 1805. pag. 50.

terea tamen verba JCti ejus mentem non satis indicant, quod ipsi cum pluribus aliis commune est. Læsionem *dolosam* obligationis ad custodiam tanquam possibilem in *culpa* adsumere, eaque re ut KEMPERUS duplicem dolum distinguere videtur; sed hoc non sat lucide exponit, et ut alii multi relationem voluntatis ad legem quæ violatur delicto et ad juris læsionem quæ lege vetatur, promiscue spectat in doli et culpæ natura examinanda. Cæterum recte contra KONOPAKIUM contendit, ad puniendam culpam, non magis quam in dolo, effectum illegalem actionis requiri.

Novum omnino de culpa systema proposuit ALMENDINGENIUS, prius FEUERBACHII assentator (43); contra quem deinde argumenta firmiora suppeditavit (44). Ejus argumentandi ratio hæc est : Si quis accepta perceptione intellectus, animi adpetitione fertur ad agendum contra legem, alia intellectus perceptione qua ei malum pœnale proponitur, ab agendo detineri potest, quod ni effectum fuerit *dolo* fecisse censendus est. *Culpa* vero commissa dici possunt ea tantum, in quibus nulla erat pœnæ lege statutæ in animum delinquentis efficacia, ubi agens momento actionis nec tanquam possibilem nec tanquam necessarium providit actionis effectum illegalem, nec ad pœnam in eum pronuntiatam cogitavit. Nam is qui effectum illegalem actionis suæ providet, quamvis tantum tanquam possibilem, hunc qua talem in eventum vult; et ideo actionem committens dolo agit. Quod si illum non eventurum esse sibi persuadeat,

(43) In opere : De imputatione juridica. Gissæ. 1803.

(44) De culposo delicto. Gissæ. 1804.

id quod revera evenire potest, *pro eo* non amplius possibile est, in falsa igitur persuasione, ergo in *errore* versatur: et ideo quodvis factum culposum ex errore oritur, et quidem ex errore qui nullo voluntatis actu vinci poterat. Ideo nec ex eo capite illatio pœnæ in facta culposa justificari potest. Is qui sine proposito effectum illegalem producit, hujus intuitu nihil omnino adpetiit, nec positive nec negative voluit: vitium itaque facultatis cognoscendi, ex malo proposito ortum, et minatione pœnæ vincendum, quod alii fundamentum puniendæ culpæ credunt, nequaquam dari potest; nec datur error, quem quis, si voluisset effugere potuisset: quivis actus facultatis cognoscendi est plane involuntarius, non secus ac quod momento videmus, videre debemus, quod non videmus, videre non possumus. Delictum culposum in quo conscientia obligationis impositæ per legem contra id sancitam et ideo culpæ ipsius exstaret, cogitari omnino nequit; nam actio suscepta cum conscientia nexus possibilis vel verisimilis inter eam et effectum illegalem non amplius culposa est. Si vero legis transgressio ob deficientem ejus scientiam effecta, tanquam delictum revera culposum adparet, actio non ex vitiosa voluntate orta considerari potest, quin eo ipso dolosa declaretur. Comminationes pœnarum solummodo actus arbitrarios facultatis adpetendi, nunquam actus non arbitrarios facultatis cognoscendi regere possunt: attamen lege per culpam migrata, id efficere possunt ut imprudens prudentior fiat in posterum, et ut non amplius ex negligentia, sed ex malo proposito deliquisse dici possit, si denuo legem eadem actione migraverit; id autem quod mera culpa commisit, nulla legis pœnalis in animum ejus efficacia vitari poterat;

atque ideo delicta culposa tanquam transgressiones voluntariæ consideranda non sunt. Verum enim vero civitatis interest juris læsiones nec ex vitio intellectus fieri : hoc autem sola experientia corrigi potest; quare si quis delictum culposum commisit, castigari debet, ut in posterum intelligat melius nexum inter actionem suam et ejus effectum, et ab hoc producendo, imaginatione mali pœnalis in eum sanciti detineatur. Delictum itaque culposum, tanquam vitium intellectus, puniendum est, ut sensus experientia mali tolerati, intellectum in posterum ad majorem adtentionem excitet: ad hanc qui culpose *deliquit* malo quod per pœnam patitur, sicuti dolose *delicturus* ad supprimendam malam voluntatem, malo quod ex lege providet, impelli debet. In hoc casu is qui cupiditate illegali tentatur, cogitur ad adpetendum id quod legale est; in illo cupiditatibus in errorem inductus, per pœnam illatam psychologice cogitur ad id videndum quod ex lege fugiendum est: in hoc igitur pœna comminatione, in illo illatione efficax est: in hoc civitas per malum futurum a delicto *deterrendi*, in illo per malum præterlapsum delictis *occurrendi* finem habet.

Sic JCtus : nos vero nullum civitatis jus esse credimus infligendi pœnam cujus minatione facto puniendo anteriori ad id omittendum non moveri poterat voluntas agentis, et quanticumque civitatis intersit, læsiones non fieri, nunquam effectas sine omni vitio voluntatis solo errore intellectus puniendi jus esse potest. Nec tale jus a viro sagacissimo *probatum* esse censeo. Contra si, ut ait, illatio pœnæ efficere potest ut voluntas quodammodo ad usum intellectus impellatur, cur ejus *comminatio* non idem efficeret? Cur ergo læsione ex errore intellectus revera orta hic error non in defectu bonæ volontatis quæren-

dus, et læsio ipsa, quæ culposa dicitur non ex eadem ratione ex qua læsio dolosa punienda esse posset?

Contra ALMENDINGIUM propriam sententiam proposuit GROSSE (45), qui dicit: homines illegales actionum suarum effectus vel per et secundum, vel per sed non secundum voluntatem suam producere, *dolum esse voluntatem producendi effectum contra comminationem legis*, et ad ejus notionem non pertinere conscientiam finem actionis esse illegalem, ea enim conscientia deficiente, notionem delicti in genere excludi; legis vero comminationem spectare vel voluntatem efficiendi id quod lex impedire vult, vel voluntatem efficiendi hujus causam; cuivis legi læsionem ex negligentia orituram prohibenti inesse comminationem modi posterioris, licet pœnæ infligendæ necessitas locum habeat non nisi effecto eo quod lex comminatione impedire velit; quemvis ergo, qui producat actione sua effectum, quem lex velit impedire, nullo discrimine utrum illum producere voluerit an non, aliquid voluisse a lege prohibitum, ideo in dolo, dolum vero vel directum esse, si intentio quoque adsit id producendi quod lex per comminationem velit impedire, vel indirectum, si hæc intentio desit: dolum ergo, non vero intentionem, directum vel indirectum esse; dolum enim esse determinationem voluntatis contra legem pœnalem, et posse ex. g. causam esse mortis hominis, vel directe, sive *intentione*, vel indirecte sive *casu*; inde sequi nullum delictum alio modo quam dolo committi posse. Ut igitur STELTZERUS vocem *dolus*, sic vocem *culpa* e jure criminali ejicit GROSSE,

(45) Magazin des Crim. Rechts. Marburg, 1804, nn. 1 et 3.

quin doli indirecti in sensu NETTELBLADTII defensor adpellari possit, licet eo nomine utatur. Nec veritate ejus systema carere dixerim, potius plus quam in ullo alio veri ipsi inesse puto. Sed nimis obscuris et minus justis verbis usus est, præcipue voluntatem efficiendi id quod directe a lege vetatur dolum directum adpellans, voluntatem efficiendi id quod a lege indirecte vetatur dolum indirectum; qua tamen distinctione ad veram doli et culpæ distinctionem sistendam perveniri posse credo, præcipue si cum distinctionibus, ab aliis JCtis jam factis cunjungatur, nominatim cum ea qua in delicto doloso voluntas sanctionem pœnæ legalem violandi a voluntate læsionem juris vetitam efficiendi distinguitur. Cæterum JCtus GROSSE vocem *dolus* pro eo etiam usurpando, quod alii culpam adpellant, non magis nobis *peccasse* videtur quam ii qui dolum juris et facti distinguunt; *re* ipsa idcirco *errasse* dici nequit.

Præter auctores Germaniæ apud nos quoque nonnulli essentiam doli in vitio voluntatis, culpæ in errore intellectus ponunt (46). In Gallia solent ex positione vaga exire delictum cogitari non posse sine voluntate id committendi, et inde vel jus civitatis negant culposa delicta puniendi (47); vel minus consequenter pœnam quidem in delicta culposa statuendam esse affirmant (48), sed nec adcuratius culpæ naturam investigare nec demonstrare quo modo cum illo præcepto culpæ punitio possit subsistere ipsis curæ est.

---

(46) Vid. VANDERLINDEN, regtsgeleerd practicaal. Amsterd. 1806, p. 199.

(47) Ex. g. BAVOUX, leçons prél. du Cod. pén. Paris, 1821, p. 157.

(48) Vid. BEXON, application de la théorie de la législation. Paris, 1807. introd. part. II, § 3.

Inter Anglos BENTHAM (49) paucis de doli et culpæ distinctione disseruit. Ad significandum dolum voce *mala fides* utitur, ipsamque culpam in vitio *voluntatis* positam esse credere videtur. Tria enim exempla proponens in quibus alii læsiones per dolum, per culpam dolo determinatam et per culpam effectas vident, eas intentione directa (intention exactement correspondante au fait), intentione minus plena (intention qui n'est pas plenière), et intentione indirecta (intention indirecte) ortas adpellat. Cæterum horum casuum examen ulterius detrectat (50).

Ex hisce quantum de argumento nostro disputatum fuerit, quantumque illud difficultatis habeat, satis patet; unde forsan prudentius nobis linquendum esset cum BENTHAMIO; sed jam non amplius licet, ut monui supra; ideoque opus ipsum institutum indefesse persequendum est.

---

(49) Traité de législ. civ. et pén. vol. 2, p. 256.

(50) Ub. supr. « Nous ne tenterons pas ici d'entrer dans ce sujet épineux. »

CAPUT TERTIUM.

QUAENAM SIT DIFFERENTIA INTER DELICTA DOLOSA ET CULPOSA.

Τὸ ἀκούσιον καὶ τὸ ἑκούσιον διαφέρει πολύ.
ARISTOTELIS. Mor. Lib. V. c. 5.

SECTIO PRIOR.

DIFFERENTIÆ INTER DELICTA DOLOSA ET CULPOSA IN GENERE SISTUNTUR.

§. I.

De voluntatis relatione ad id quod lege pœnali vetitum est

Hic primum animadvertendum est, ex duobus quæ ad animum delinquendi requirebamus unum tantum prævie in nostro argumento tractando spectandum esse; licet enim scientia legis pœnalis necessaria sit ut alicui quid jure tanquam delictum imputetur, præcipue tamen ex diversitate consilii quocum legis vetitum sine respectu ad pœnæ sanctionem migratur ac-

tionis ipsius qua migratur natura determinanda nobis videtur. Ea re difficultates plures effugiemus, clariusque lumen in reliquis ferre licebit. Primum igitur si quid admissum est, quod lege vetitum erat, examinari debet quo modo id quod factum est vel omissum per consilium ejus a quo factum vel omissum adparet, effectum fuerit. Effici vero per consilium aliquid diversis modis potest, scilicet vel directe vel indirecte. Si quis enim consilium capit aliquid faciendi vel omittendi, hoc quod statuit revera factum vel omissum directe per consilium, sive ex consilio, vel etiam cum animo, cum voluntate, cum intentione id efficiendi, effectum recte dici potest. Si quis vero consilium capit aliquid faciendi vel omittendi, id quod ex facto vel omisso præter id quod statuit, evenit per consilium quidem indirecte, sed non ex consilio, nec cum animo, cum voluntate, cum intentione id efficiendi, effectum dici potest. Ita jam Grossium distinxisse superius memoravi (1), nec sic distingui posse, quispiam infitias ibit. Sed hoc quod per se verum est, male adplicatum errori scholæ Nettelbladtianæ causam præbuisse videtur. Prout enim aliquid vel *directe* vel *indirecte* per consilium *effectum* adparet, id *intentione directa* vel *indirecta* effectum esse minus recte illius scholæ adsectatores dixerunt.

Si quid nec ex consilio nec per consilium alicujus effectum est, improprie tantum ab eo effectum dici potest. Si quis enim brachium meum movet ad aliquid faciendum, vel si quis me vi impedit, quominus aliquid faciam, aliquid a me factum vel omissum esse videtur, id tamen mihi imputari ex communi

(1) Pag. 43.

omnium sententia nequit. Fortasse mihi dicet aliquis, omissum ex oblivione id quod faciendum mihi erat, imputari mihi, nec hoc ex consilio omissum dici posse. Sed certe eo tempore quo mihi faciendum erat quod omisi, aliud quidquam ex consilio feci, cujus causa ejus oblitus sum quod faciendum erat; consilium itaque ullum oblivionis, et oblivio omissionis causa erat, ideoque ex oblivione omissum, licet non ex consilio, tamen per ullum consilium effectum adparet (2). Voluntas igitur actionum hominum quæ iis imputentur, principium et fons agnosci debet, sive nihil per hominem effectum ipsi imputari potest nisi per ullum ejus consilium effectum adpareat. Hoc vero ad imputationem non sufficit. Si quis enim per consilium aliquid indirecte effecit, quod malum est, quod vero ex actione quam statuit eventurum esse consilium suum capiens nec providit, nec providere poterat; nemo ipsi hoc factum imputabit. Sed imputabitur per consilium indirecte effectum si provideri potuisset, et quodammodo male factum censetur, non quidem ex malo consilio, sed tamen ex *negligentia*. Non enim ob id quod voluit agens, ei factum imputatur, quum malum non voluerit, nec ob id quia non providit male fecisse censendus est, sed ob id quia non providit quod providere potuisset, sive quia providere *neglexit*. Neglexisse vero aliquid is tantum dici potest, qui si voluisset id facere potuisset, et certe is qui providere potuisset malum quod effecit, hoc, si id sedulo vitare voluisset, quoque providisset, antequam cepit consilium per

---

(2) Hoc etiam eo comprobatur, quod cum neglecto eo quod certo tempore facere debuissemus, damnum datum est, læsione intellecta statim quoque reminiscimur ejus quod fecimus, dum facere debuissemus id quod neglexinus.

quod effectum est. Ut enim firma nostra voluntas id efficere, ut certo tempore ex somno expergiscamur, ita etiam nos providos facere potest. Malum igitur quod ex negligentia a nobis effectum est, non ex malo consilio id efficiendi, sed ex defectu consilii id vitandi effecimus. Sine dubio etiam et per consilium et ex ignorantia effectum dici potest, et quoddam consilium et quædam ignorantia ad negligenter facti essentiam pertinet; alias enim si malum sine omni nostro consilio evenisset, imputari nequaquam posset; et si mali eventum certum scivissemus, ex consilio nostro evenisset. Sed idem consilium, eadem ignorantia adest, si malum effecimus, quod minime providendum erat : utrumque ergo non sufficit ad malum nobis imputandum; sed hoc effectum per consilium quod ex ignorantia cepimus, tunc tantum ex negligentia ortum dicitur, si ignorantia ipsa ex defectu boni consilii profecta est. Hic igitur defectus, si negligentiam illam culpam adpellare licet, culpæ sola causa est; sed nihilominus verum est ex errore intellectus factum culposum oriri. Licet vero negligentia factum ab errore profectum dici possit, non ideo sine voluntatis vitio ortum est; imo adeo si error vinci per voluntatem non potuisset, factum pro culposo haberi non posset. Defectus tamen hujus voluntatis qua vinci potuisset error, licet culpæ sola causa, non facti culposi causa proxima est, et ideo fortasse quia ejus causa propior est falsa computatio ex illo defectu nata, non tam ad voluntatem quam ad intellectum accedere culpa dicitur; sæpius enim a causa proxima et maxime perspicua fit denominatio rerum (3). Simili modo sed minus apte

(3) Unde etiam Romani in leg. 213. §. 2. D. de verb. sign. dixerunt: *lata culpa est nimia* NEGLIGENTIA, i. e. NON INTELLIGERE *quod omnes*

in culpa esse voluntatem negative malam permulti dixerunt cum KLEINIO. Quamvis enim voluntas vel positive mala, vel non mala, ut intentio vel directa vel non intentio, sit; illo dicto tamen permulti nihil aliud dicere volunt, quam : consilium, quod delicti culposi causa proxima adparet, est causa propior adhuc ipso errore intellectus, ut hic error ipse *consequentia est defectus boni consilii*, non secus ac dicimus de homine, qui ad nutum postremi cujusvis *vult*, eum *nullam* habere voluntatem, quia non tam ex se quam ex aliis velle videtur.

Ex omnibus ergo hucusque dictis patet malum quoddam per hominem effectum ipsi duplici modo imputari posse : 1. si effectum fuerit per ullum ejus consilium directe et ex consilio, sive cum animo, cum voluntate cum intentione id efficiendi; 2. si effectum fuerit per ullum ejus consilium indirecte et ex negligentia, sive ex deficiente bono consilio id vitandi. Imputationis causa igitur in priori casu est consilium male faciendi, quod in ipso consilio per quod malum efficitur directe continetur; in posteriori casu vero imputationis causa est defectus consilii malum vitandi, qui consilii per quod malum efficitur, causa, per errorem intellectus intermedium, ergo indirecta est. Fortasse etiam exinde saltem quorumdam auctorum doctrina de intentione directa et indirecta originem duxit. Porro ipsius mali ex consilio effecti causa error intellectus esse potest, si quis scilicet malum effecit ad bonum impetrandum, quod malo effecto revera non impetravit, et eatenus

---

intelligunt. Cf. L. 31. D. ad leg. Aquil. Alias ipsa pœnitentia, quæ læsionem culpa effectam sequi solet, probat, culpam non sine vitio voluntatis contrahi.

STELTZERO adsentiendum est, omnia peccata ex errore oriri. Sed error hic non est causa cur alicui malum ex consilio effectum imputetur, ut nec causa esse potest, cur ex negligentia effectum imputetur, et ut error in illo casu ejus ob quod imputatur causa, sic in hoc casu ejus ob quod imputatur effectum est (4).

Hic quoque paucis examinandum est, quatenus malum quod aliquis per ullius consilii executionem effecit, si ab eo tanquam eventurum provisum est, quoque ex consilio evenisse, sive quatenus ille hoc voluisse dici possit. Is vero id voluisse sine dubio dicendus est, si malum ex consilii exsecutione certe eventurum esse providit; si vero hoc non certe eventurum esse providerit, eum id voluisse tunc tantum dici posse credo, si vel mali eventum tanquam necessarium ad consilii sui finem attingendum ejus executione adducere, vel saltem consilii sui finem ejus executione adtingere voluit, etiam si ea mali eventus adduceretur. In casu priori aliquis malum quod evenit producendi animum modo determinato, in casu posteriori modo indeterminato habuisse dici potest. Si quis autem ex. g. feram occidere volens se hominem occidere posse providet, sperans vero se hominis mortem evitaturum esse, consilium exsequitur per cujus executionem homo perit, hominis mortem voluisse dici non potest, licet ex vitio voluntatis occiderit; non ex consilio licet per consilium peccavit, sed ex deficiente consilio mali vitandi per errorem consilium exsecutus est cujus exsecutione malum effecit.

Præcepta hic exposita nunc applicanda sunt ratione habita

(4) Hic nondum de tali imputatione ex qua alicujus factum tanquam *delictum* possit *puniri*, sermonem esse cuivis patebit.

eorum, quæ legibus pœnalibus vetari solent, et quum eorum, ut superius jam indicavi, duplex sit natura, de diverso animo quocum effici ab aliquo potest quod lege vetatur, duobus paragraphis distinctis tractandum esse puto.

§. II.

Si laesio juris lege pœnali vetita fuerit.

Præcipue legibus pœnalibus vetari solent ea quæ nocent conjunctionis civilis incolumitati et securitati, sive jus ullum lædunt ipsa natura concessum, aut demum civitate constitutum. Si talis est vetiti pœnalis natura, ex iis quæ superius explicata sunt, is qui effecit quod lege vetitum erat, jus ullum læsisse vel damnum ullum extrinsecum dedisse dici potest; hoc vero damnum vel læsio illa per hominis ullius agendi consilium duplici modo effici potest, scilicet vel directe sive ex malo consilio id efficiendi, vel indirecte sive ex omisso consilio id vitandi. Si quis modo priori effecit quod lege vetitum erat, jus ullum sub legum pœnalium tuitione collocatum læsit eoque læso damnum extrinsecum dedit ex consilio jus illud lædendi et damnum hoc dandi, ideoque recte dici potest *dolo* egisse. Verbum *dolus* enim quod ipsum a δόλος (δέλω inesco?) descendere videtur, Romanis omnem fraudulentam simulationem ad nocendum adhibitam, indeque animum nocendi significabat. Sæpius autem ephitheton *malus* ei adjicitur; unde inter dolum bonum et malum distinguitur. Equidem, absolute loquendo, hanc distinctionem minus adcuratam affirmare non dubitaverim, simulationemque omnem a bono recedere rec-

tius crediderim; ut etiam quavis simulatione et dissimulatione dolum *malum* contineri, secundum AQUILIUM ait CICERO (1). Quod si hoc verum sit, quonam simulationis genere jam dolus *bonus* consisteret? Attamen quoniam veteres pro solertia hoc nomen accipiebant, quæ ad aliquid bonum adhiberi potest, *maxime si adversus hostem latronemve quis machinetur*, ad significandam *fraudulentam simulationem ad nocendum adhibitam* verbum *dolus* non sufficiens crediderunt, et vocem *malus* adjecerunt, nec immerito (2).

Præterea notionem doli non semper ad fraudem restringi notandum est, præcipue in iis casibus ubi quis non *omissione* sed *facto* animum nocendi sive lædendi exhibet, et læsionem sive damnum efficit. In genere is quoque qui ex consilio aperto sine omni simulatione læsit, *dolo* egisse dicitur (3).

Si quis effecit quod lege vetitum erat modo posterius indicato, i. e. sine voluntate id efficiendi, licet ex ulla negligentia; recte *culpa* damnum dedisse sive jus alterius legum sanctione munitum læsisse dicitur, sive hoc facile eventurum esse providerit, sive non. In culpa enim esse generaliter quidem quivis dicitur qui reprehensionis dignus est; unde sæpius ii qui re-

---

(1) De off. III. 14 et 15.

(2) Cf. ULPIANUS in L. 1. §. 3. D. de dol. mal.

(3) Damnum et omissione et facto dari posse tam *dolo* quam *culpa*; non vero propriam doli divisionem inde constituendam esse credo; nec mihi similis divisio culpæ a quibusdam admissa, in jure criminali admittenda esse videtur. Cf. THIBAUT Pandecten Recht. §. 251.

prehensibiles sunt hominibus *inculpatae* vitæ opponuntur (4): sed in specie culpa non reprehensibilem solertiam sive fraudem sed negligentiam et segnitiam significabat Romanis, sive defectum voluntatis omnia vitandi, unde jus alienum læderetur (5). Ratione hujus defectus ICti Romani culpam generaliter negligentiam adpellare videntur, non ratione defectus agendi quo interdum culpa manifestatur. Unde etiam in vetere glossario culpa ῥαθυμία (α θυμός animus) adpellatur, et ideo culpam proprie sic dictam in *culpam in specie* sive culpam quæ per factum, et in *negligentiam* sive culpam quæ per omissionem contrahitur, a quibusdam minus recte dividi puto.

Culpa proprie sic dicta omnis in *defectu*, sive in negligentia, sive in omissione officii *debiti* consistit, officii scilicet quo quis velle debet vitare læsionem. Quod æque recte exprimitur gallice voce *faute*, germaniceque verbo *Schuld;* quanquam rem eamdem Galli et Germani diverse acceperunt, illi ejus quod debitum erat, *defectum*, hi ejus quod defecit, *debitum* considerando (6).

---

(4) Sic etiam in L. 226. D. de V. S. « Magna negligentia culpa est, magna culpa dolus est. » Verbum *culpa* in duplici sensu sumi et PAULI dictum significare videtur: « magna negligentia culpa in specie vocatur, et culpæ in genere summus gradus dolus dicitur. »

(5) Cf. L. 8. C. de pignor. act. L. 22. §. 2. D. ad SCtum Trebell. L. 30, § 3. D. ad leg. Aquil.

(6) Sæpius tamen culpa in specie præcipue in legibus Germanorum *Fahrlaessigkeit* dicitur, quo negligentia exprimitur, et vox *Schuld* potius id quod culpa in genere significat. Fortasse in hoc sensu cognata est voci *schelten* i. q. reprehendere, unde *unbescholten* i. q. inculpatus. Ceterum

Cæterum, ex eo quod culpa quævis in negligentia consistit, respectu ad ultimam delicti culposi causam, eam vitium voluntatis sive reatum *passivum* esse sequitur; licet enim is qui agendo, v. c. aliquid e fenestra ejiciendo, læsionem effecit, quam non intentavit, per voluntariam actionem læsionem effecisse dici possit, ea tamen non deliquit sed segnitia voluntatis, quæ causa erat ex qua non ab actione se abstinuit. Contra dolus semper reatus *activus* est; licet enim medium quo dolosa læsio efficitur omissio esse possit, omissionis causa tamen consilium esse debet ut læsio per omissionem effecta dolosa dici possit.

Culpæ essentia igitur non quærenda est in eo voluntatis actu, quo læsio immediate efficitur, nec in errore intellectus, ex quo ille oriri solet. Nec culpa cessat si quis providit læsionem, modo eam non voluerit. Potest enim aliquis factum velle quo læsio efficitur, et simul providere eam ex facto evenire posse, quin læsionem ipsam velit; si scilicet factum *comitatur confisio* quamvis falsa, læsionem evitatum iri. Imo adeo fieri potest ut ad tale factum aliquis per ipsam *voluntatem moveatur,* læsionem quam providet effugiendi, sed falsam computationem faciat; in quo casu certe a dolo, sed non a culpa alienus est, nec omnem habet excusationem, quia judicare *potuit,* læsionem evenire posse ex suo facto, et eo quod id nihilominus omittere *noluit,* in ipsa diligentia quodammodo negligentiam manifestavit. Sic diligentia præpostera læsionem culposam efficere possum, quum ex. g. equo insidens, puerum despicio oscitabundum

---

culpa Romanis, ut Gallis *faute* pro levi delicto usurpatur. Sic Hispani in Codice pœnarum recentissimo voces Gallicas *crimes, délits* et *contraventions* vocibus *delitos, culpas* et *faltas* reddiderunt.

plateam transiturum, quem ne calcem, calcaria adhibeo; ille contra subito cursum corripiens, ut prior viam occupet, nimia mea celeritate interceptus, miserrime calcatur et necatur. *Scire potui* tutius esse proclamare, et gressum inhibere, sed aliter *agere volui*, ideoque mea voluntas ita agendi, et ipsa voluntas læsionem hoc modo vitandi consequentia deficientis voluntatis eam tali modo vitandi quo debuissem, læsionis causa ultima igitur ulla negligentia et ullum voluntatis vitium erat.

Male itaque culpa *vitium intellectus definitur*, nec rectius a quibusdam delicta culposa *non voluntaria* dicuntur, quod nequaquam probandum est, et facile explodendum. Verum quidem est, homines tantummodo res in animo per partes concipere posse, unde fit, ut jam notavimus, a potiore denominatio : nam eas ex parte considerant, quæ magis perspicua est, illique soli stantes, toti ab ea nomen imponunt. Quod si fuerint ejusdem rei plures æqualis momenti aspectus, quum alius ad alium spectet, res eadem apud diversos diversimode habetur. Sed quando pars in ea maxime notatione digna est, ut recte fiat denominatio, ab illa parte toti nomen imponi debet; sin minus contra logicas regulas peccatur, errorique ansa præbetur. Quum autem delictum ullum *non voluntarium* dicunt, in eo id tantum spectant, quod eo effectum est, quia ad hoc præsertim leges respiciunt, et quum hoc non ex voluntate effectum sit, recte quidem dici potest, hoc non voluntarie *effectum* esse, sed ideo non sine voluntate *delictum* est. Non enim *effecta laesio* per se *delictum culposum* constituit, sed læsio saltem *per* actum voluntarium effecta, et hic actus voluntarius deficientis bonæ voluntatis *consequentia* esse debet. Licet igitur recte dicatur, ex legibus læsiones voluntarias et non voluntarias puniri posse

(has scilicet si culpa efficiuntur) delicta tamen non recte in voluntaria et non voluntaria dividuntur; delictum enim sine vitio voluntatis, sine animo delinquendi, quem vocant, cogitari nequit, quare etiam delictum non voluntarium delictum non est.

Exinde magnopere reprehendi potest adpellatio *crimes et délits volontaires* a Codicibus nostris scriptoribusque Gallicis usurpata (7). Hæc enim ad aliam spectat *crimes et délits involontaires*, a qua tamen sedulo se abstinuerunt Galliæ legumlatores, nam de *homicidiis* quidem non voluntariis loquuntur, sed ea non *delicta* involuntaria adpellarunt (8). Nec dicat quis Romanos quoque delicta dolosa et culposa generaliter voluntaria et non voluntaria adpellasse, ut nuperrime adhuc contendit JCtus SCHROETERUS (9). Nec JCti Romani per culpam peccata omnino involuntarie admissa crediderunt. Verum quidem est MARCIANUM cum DEMOSTHENE in lege 2. D. de Leg. scripsisse *legem esse coërcitionem eorum quae sponte vel involuntarie delinquuntur;* sed latino *involuntarie*, sicuti græco ἀκουσίως plura significantur, quæ non extra voluntatem sunt (10); et vera JCtorum Romanorum sententia de culpæ natura patet quum ex aliis locis, tum inprimis ex L. 1. D. ad Leg. Corn. de Sicc. ubi quæ culpa facta sunt, *causa* (*casu*) MAGIS *quam voluntate*, non vero sine voluntate admissa dicuntur.

---

(7) Cf. Inscriptio Cod. poen. Lib. III. tit. II. cap. 2. sectio 2.

(8) Sect. 3. §. 1. art. 319 ejusd. Cod.

(9) In op. laud. p. 107.

(10) CICERO in Topic. cap. 17. ARISTOTELES Eth. ad Nic. III. 1. 5. et passim.

Quibusdam tamen delictum nihil aliud significat, quam læsio per se spectata, et in hoc sensu sane de delictis non voluntariis loqui licebit.

Si igitur id quod lege vetatur læsio est, relatio directa voluntatis ad id quod lege vetatur, sive intentio id faciendi quod lege vetitum est, dolus adpellari potest, quin ea re ab usu hujus verbi apud Romanos recedamus. Culpa sine ea intentione, sed non sine omni relatione voluntatis ad id quod lege vetitum est, contrahitur. Quum enim ut læsio culposa dici possit, effecta esse debeat per ullam actionem voluntariam, et hæc ipsa per defectum boni consilii, in delicto culposo voluntatis *relationem* indirectam ad læsionem a lege vetitam esse dici potest, quin læsio ex *voluntate* indirecta orta adpellari queat. Ob dolum aliquis punitur, si læsionem voluit efficere, ob culpam si læsionem noluit evitare; in illo casu in vitium voluntatis activum, in hoc in vitium voluntatis passivum animadvertitur. An vero in genere quævis intentio id faciendi quod lege vetitum est, dolus adpellari possit, sequenti paragrapho examinabitur.

§. III.

Si quid vetitum fuerit ratione laesionis inde oriturae.

A prima origine consilii ex cujus exsecutione læsio oritur, usque ad consummationem ipsam varii actus cogitari possunt, quibus ad rem illicitam tenditur, aut, ut concinnius dicam, ipsius delicti initium constituitur. Si enim consilium agendi con-

silio læsionem efficiendi directum, ergo dolosum fuerit, hi actus, modo sint externi, læsionis conatus adpellari possunt, sive initia dolosi delicti; et plerumque sub quibusdam conditionibus ex legum generali dispositione puniuntur, etiamsi finem suum non adtigerint. Interdum etiam in specie in certos actus pœna statuitur, si suscepti fuerint ad læsionem in genere, vel ad certam læsionem in specie efficiendam. Simili modo si consilium agendi fuerit consequentia deficientis voluntatis læsionem evitandi, ergo culposum, actus illiusmodi, modo sint externi, nominari possunt initia delicti culposi sive ausus læsionis, quia is *conari* læsionem dici nequit, qui ejus efficiendæ *intentione* caret. Etiam in eo casu tales actus interdum ex generali legum dispositione (1), etiamsi effectum non habuerint, puniuntur. Plerumque vero certi ejusmodi actus, sine intentione lædendi commissi, ex specialibus legum præscriptis coërcentur, tanquam admissa contra disciplinam publicam *contraventions de police*, apud Germanos *Polizey-uebertretungen*. Eos vero ad læsionem culposam eodem modo, quo conatus ad læsionem dolosam, referendos esse jam superius indicavi, utpote qui etiam ratione damni quod iis dari poterat, puniuntur. Imo adeo si, quod fieri solet, initia delictorum dolosorum, quæ in *laesionis* conatu consistunt, conatus *delictorum* nominantur, eo nomine, si nihil aliud significat quam quod *conatus criminalis*, quoque adpellari poterunt initia delictorum culposorum, sive actus qui ad læsiones culpa effectas eodem modo referri possunt, quo ii, quibus læsio intenditur, ad læsiones dolo effectas, licet illi

(1) Ex. g. in Cod. Austriæ de quo serius sermo erit.

laesionum conatus dici nequeant. Ejusmodi nempe actibus, ex negligentia profectis, ex quibus læsio quidem non orta est, sed facile oriri potuisset, qua orta culpose peccatum fuisset, eorum auctores aliquid conantur, quo delinquunt. Si vero in voce *conatus delicti*, *delictum* id quod *laesio* denotat, delicti conatus sine dolo non datur. In genere, potius verbis *conatus laesionis*, quam *conatus delicti*, uti deberent legumlatores; nam sub vocabulis conatus delictorum, plerumque conatus læsionum punire volunt, et si læsionis conatus puniendus, revera delictum et non amplius delicti conatus est. Ea re simul multa dubia amoverentur (2).

Si nunc relationem voluntatis ad actus de quibus hucusque sermo erat, consideramus, adparet eam quoque duplicem esse posse, ut duplex esse potest, respectu ad legis vetitum, quo læsio continetur. Si enim lege v. c. vetitum fuerit rem projicere ex ædibus, aliquis rem ex consilio, vel aliud quidquam faciendo, eam quin velit, projicere potest. An vero, nulla ratione habita violationis legis, modo priori projiciens, per se magis vituperandus est, quam is qui modo posteriori projicit? An prior semper dolo projecisse dici poterit? Minime, nisi omnino ab usu verbi illius, Romanis proprio, discedere velimus; et licet ille id, quod lege vetitum erat, cum intentione id faciendi, fecerit. Tum tantum si is, qui ex consilio projecit, id cum consilio hominem lædendi fecerit, dolo projecisse dici potest ex genuina hujus verbi significatione, etiamsi ignoraverit in id, quod fecit, pœnam

---

(2) Ex. g. dubia quæ de puniendo conatu oriri possunt in art. 84. 85. 404. Cod. pœnar.

statutam esse. Nam sine lædendi animo factum, ob damnum quod inde oriri potuisset, vel eo datum est, imputandum quidem, sed nunquam dolo commissum a JCtis Romanis dicitur, eosque dolum semper tantum de relatione voluntatis ad læsionem, quæ lege vetatur, nunquam de relatione ejus ad ipsam sanctionis pœnalis violationem intelligere serius adhuc exponetur. Is igitur, qui sine voluntate lædendi rem ex ædibus projecit, licet ex consilio, non magis in dolo est, quam is, qui aliud quidquam faciendo, sine consilio rem projecit. In culpa vero uterque esse potest, tam si re projecta damnum ipsum datum fuerit, quam si dari potuisset, ut etiam in dolo est tam is, qui re projecta damnum ex intentione effecit, quam is, qui damnum licet non effectum, intentavit. Revera itaque in iis casibus, ubi aliquid a legibus vetitum est ratione læsionis inde orituræ, ad dolum non sufficit voluntas id faciendi quod lege vetitum est, sed accedere debet voluntas per factum læsionem efficiendi, cujus causa illud vetitum est. Licet igitur voluntas id faciendi quod lege vetitum, si læsio ipsa vetita est, dolus possit *adpellari*, dolus tamen non generaliter *definiri* potest voluntas id faciendi, quod lege vetitum est, ut nonnulli eum definierunt : nam cum ipsa hac voluntate sæpius aliquis tantum in culpa esse potest, ut exemplum superius indicatum docet.

His præmissis, si doli et culpæ notas præcipuas, jam expositas, paucissimis verbis circumscribere et dolum culpamque definire velimus, generaliter ratione habita omnium quæ legibus pœnalibus vetari solent, dicendum erit : *dolum esse agendi consilium ductum voluntate efficiendi juris laesionem, quam lex vetavit, vel cui vetito suo voluit occurrere ; culpam vero agendi consilium ortum ex deficiente voluntate talem laesionem evi-*

tandi. Actio ex illo consilio, contra legis vetitum commissa, *dolosa*, commissa ex hoc consilio, contra legis vetitum, *culposa* dicenda est (3).

In nostra definitione nullam mentionem scientiæ legis pœnalis fecimus, quia ut jam diximus, ad doli et culpæ notionem talis scientia, nec ex rerum natura, nec ex Romanorum sententia, pertinere videtur, licet necessaria sit ut dolus et culpa possint puniri. Qua de re quædam adhuc in sequenti §. dicenda sunt.

§. IV.

De relatione voluntatis ad legem ipsam qua pœna sancitur.

Certam scientiam ad doli et culpæ notionem pertinere nemo

(3) Verborum definitionibus haud diu immorari consuevimus : attamen monendum est, quam multi auctores, in involutam doli et culpæ notionem definiendam, operam suam contulerint, quin convenire possent. Conferri possunt opera in capite secundo laudata, et nominatim STUEBEL. System des allgemeinen peinlichen Rechts §. §. 262. 279. KLEINSCHROD Systematische Entwickelung der Grundbegriffe und Grundwahrheiten des peinlichen Rechts §. §. 14. 25. GOENNER Revision des Begriffs und der Eintheilungen des Dolus p. 3. 19. sqq. KONOPAK Archiv des Criminal Rechts Bd. 4. st. 3. p. 32. sqq. Bibliothek fuer die peinliche Rechtswissenschaft, Th. 1. st. 1. p. 6. sqq. KLEIN Archiv des Criminal Rechts Bd. 1. st. 2. p. 56. sqq. et ROOSENDAEL in dissertatione sua de Dolo in delictis a pag. 48. ad ipsammet p. 54, ubi, postquam quosdam ex scriptoribus modo laudatis commemoraverat, minus recte FEUERBACHIUM cum GOENNERO reprehendit.

in dubium vocabit. Quum enim voluntas læsionem efficiendi dolum constituat, culpam vero deficiens voluntas læsionem evitandi, certe requiritur scientia id quod aliquis voluit efficere, vel id quod noluit vitare, læsionem esse, ut ratione hujus læsionis, ejus actio dolosa vel culposa adpellari possit, unde etiam ii, qui hujus scientiæ incapaces sunt, doli vel culpæ capaces dici nequeunt, licet id quod læsio est velle (1) dici possint. Si itaque factum vetitum tale, ut non nisi ex præceptis positivis læsio, sive si vetitum sit, quia contrarium est juri per legem positivam demum constituto, quædam ipsius legis positivæ scientia ad doli culpæve notionem necessaria erit. Aliud tamen est scire aliquid tanquam læsionem vetitum esse, aliud scire id sub pœna vetitum esse; et hæc scientia legis pœnalis, vel potius scientia sanctionis pœnæ, non ad notionem doli et culpæ, quamvis ad doli et culpæ punitionem, requiritur. Si quis enim sciens rei cujusdam ablationem juris alieni læsionem esse, eam voluntarie abstulerit, dolo sive lædendi animo egisse dici et ad damnum reparandum teneri poterit, licet fortasse si pœnæ sanctionem ignoraverit, puniendus non erit ex præceptis juris criminalis. JCti Romani saltem in tali casu certe non sine dolo actum esse dicebant, nam etsi in nota formula legum Romanarum QUI SCIENS DOLO MALO FECERIT etc. vox *sciens*, ut quidam volunt, legis pœnalis scientiam significare, et ideo ad

---

(1) « Une volonté quasi-animale » talem voluntatem quondam Galliæ judices adpellarunt, i. e. voluntatem intelligentia destitutam, ideoque nullam contradictionem inesse crediderunt effato juratorum, quo quis convictus homicidii voluntarii et nihilominus furiosus declaratus erat. Cf. BERRIAT SAINT-PRIX Cours de droit criminel. Grenoble. 1817. pag. 6.

irrogandam *poenam* publicam hanc scientiam necessariam fuisse dici possit, ex eo ipso tamen quod vox *sciens praeter* vocem *dolo* scripta reperiatur, effici potest, scientiam illam non ad doli *notionem* pertinuisse.

Ut vero intentio lædendi, sive dandi damnum extrinsecum, ad quod impediendum pœna sancitur, non adest sine notitia ipsius læsionis; sic scientia pœnæ sanctionis, quæ cum voluntaria læsionis commissione conjuncta est, voluntatem violandi sanctionem pœnæ et dandi damnum intrinsecum continet.

Si quis scientiam sanctionis pœnæ non habuit, habere tamen potuisset, ipsi quoque defuisse voluntas sanctionis hujus violationem vitandi dici potest. Duplex itaque voluntatis relatio ad sanctionis pœnæ violationem distingui potest, ut duplicem voluntatis relationem ad læsionem quam lex vult avertere distinximus; et quum ad hanc distinctionem verba dolus et culpa referri posse diximus, examinemus an non æque ad illam referenda sint? Voluntatem sanctionem pœnæ violandi fortasse non immerito dolum *adpellabis*, sed inde dolus voluntas pœnæ sanctionem violandi non potest *definiri*. Si enim hoc ita esset, is, qui ignorans pœnæ sanctionem, læsionem in quam edita erat, voluntarie efficiens, culpa tantum; contra is, qui sciens pœnæ sanctionem editam in factum ratione læsionis inde oriturae, hoc factum commisit, quin læsionem inde orituram voluerit, dolo egisse dicendus foret, quod, licet a quibusdam auctoribus affirmetur (2), omnino usui hujus verbi Romano

(2) Almendingen in oper. De culposo delicto, p. 206 sqq. contra Grosse Magazin des Crim. R. p. 84.

repugnat. Quare si voluntatem quoque sanctionem pœnæ violandi dolum adpellare velis, non inepte eam distingues nomine *doli juris*, a voluntate jus sanctione pœnali munitum lædendi sive *dolo facti*. Utraque notio in *una* definitione comprehendi nequit, quia sæpius voluntas juris læsionem efficiendi sine voluntate sanctionem pœnæ violandi, vel hæc sine illa constare potest; et licet hac cessante, illa levius punienda sit, tamen non ita leviter, ac si hac præsente, illa defuisset. Is ex. g. qui rem ex ædibus projecit occidendi animo, licet ignoraverit se ob id puniri posse, semper gravius peccat quam ille, qui sciens vetitum esse projicere rem, eam projecerit sine animo lædendi. Ex eo quoque quod duas notiones tam diversas in una definitione complecti voluerunt auctores, modo in hunc, modo in illum errorem incidisse videntur, et in plurimorum doctrinis, licet admodum oppositis, *aliquid* veri inesse credo.

Quum igitur delicto quovis pœnæ sanctio violatur, sive damnum intrinsecum datur, præterea delictum quodvis ratione læsionis ullius juris, sive damni extrinseci considerandum, et tam ad illam violationem, quam ad hanc læsionem, voluntatis relatio vel directa esse possit vel indirecta, — si tam directa relatio voluntatis ad illam violationem, quam relatio ejus directa ad hanc læsionem *dolus*, et tam relatio indirecta voluntatis ad illam, quam relatio ejus indirecta ad hanc *culpa* vocatur; *dolus* in sensu hoc latiori, qui licet apud Romanos non usitatus fuisse, a significatione originaria illius verbi tamen non abhorrere videtur, definiendus erit *agendi consilium vel ductum voluntate efficiendi juris laesionem, quam lex vetavit, cuive vetito suo voluit occurrere, vel associatum voluntati sanctionem pœnae violandi;* culpa vero definiri poterit *agendi consilium*

ortum, vel ex deficiente voluntate laesionem illius modi evitandi, vel ex deficiente voluntate evitandi violationem sanctionis pœnae.

Inde patet tam de culpa, quam de dolo in duplici sensu, ideoque idem factum, modo dolosum, modo culposum, in utroque sensu, modo dolosum in altero et in altero culposum, nullatenus vero delictum dici posse, nisi in utroque sensu, vel dolosum, vel culposum sit.

SECTIO POSTERIOR.

DIFFERENTIÆ INTER DELICTA DOLOSA ET CULPOSA IN SPECIE INVESTIGANTUR.

§. I.

De causis quibus dolosum et culposum consilium producuntur.

Dolus perinde ac culpa contemplari potest respectu ad causas e quibus consilium, quod utrique subest, ortum est; i. e. intuitu eorum quæ ad capiendum consilium, ex quo delictum oriebatur, animum delinquentis moverunt. Facti dolosi et culposi auctor ad agendum vel causam certam et sibi perspectam habuit, vel egit, nec sibi cur ageret, rationem reddidit; unde et doli et culpæ duæ species distingui possunt. Dolus certam causam non habens rarior est, quoniam plerumque homines, qui male facere volunt, cur agant, sciunt, nec levius puniendus esse videtur dolo certam causam habente. Contra frequentior

culpa manifesta in consilio, cui recta causa non est, et severius certe punienda, quippe quæ læsiones juris quascunque evitandi majorem defectum indicat. Si quis enim aliquem verberat, quia ipsi, ut aiunt, pugni gestiunt, an ob id levius punietur eo, qui causa quadam ad verberandum excitatus est? Si quis vero sine certa causa ex. g. rem ex ædibus projiciendo, hominem lædit, in graviori culpa esse videtur quam is, qui projecit quia aliqua causa ad rem projiciendam movebatur, modo lædere non voluerit; nam causa capti consilii animi adtentionem consilium capientis absorbuit; difficilior itaque pro eo erat intelligentia nexus inter læsionem et actionem, ideoque minus defectu bonæ voluntatis evenisse dici potest læsio, quam producere noluit. Diversitas causarum, quibus quis ad consilium capiendum movetur, in dolo diversam pœnam postulare potest, prout scilicet aliquis proprio quodam vitio ad animum lædendi stimulatur, an ipsa læsi injusta actione.

§. II.

De tempore quod inter consilium et ejus exsecutionem interest.

Quodvis factum voluntarium ex consilio, vel post quoddam intervallum interpositum, vel statim proficiscitur; sive consilium agendi, vel deliberatum est, vel subitum. Is, qui ex consilio deliberato egit, in specie *ex consilio*, sive ex *proposito*, is qui factum ex subito consilio commisit, ex *impetu* egisse, factum ipsum in priori casu *meditatum* dicitur, et si consilium in dolo consistit, deliberatum *animi nequitia* dici potest, vel etiam *dolus*

malus in specie (1). Hunc pœna graviori adficiendum esse quam dolum ex impetu, inter omnes constat, atque ad id a legibus respici solet (2), quia is qui dolum jam ante actionem concepit, ea, quæ eum ab actione detinerent, sibi proposuisse præsumi, et ideo pejorem voluntatem habuisse dici potest. Sin autem de facto culposo quæstio moveatur, quum culpa quoque per consilium agendi contrahatur, factum culposum haud secus vel ex impetu, vel ex proposito oriri potest, sed quia illud consilium non est causa cur factum ex eo ortum ad culpam imputetur, culpam ipsam non ex impetu, vel ex proposito ortam adpellare possumus, licet factum culposum ex proposito ortum, gravius puniendum esse censeo facto culposo ex impetu orto. Si quis enim ex. g. ad venandum per loca dumosa, ubi armenta et greges pascebantur egressus fuerit, sclopeto exonerato, plumboque per dumos misso, quod facere jam antea sibi proposuit, occiderit pastorem vel pascens quoddam, quin occidere sibi proposuerit, in graviori culpa est eo, qui per dumetum modo dictum, sclopeto instructus transiens, cervæque vel leporis visu concitus ex repentino motu feram occidere volens, bovem vel ejus custodem interfecerit : nam ille longo tempore, per quod venationem meditatus est, facilius læsionem ex ea orituram providere potuisset quam hic, ideoque bonæ voluntatis eam evitandi, majorem defectum manifestavit. Læsio-

(1) Dolum hic *malum* dici non ut opponatur dolo *bono*, neque hanc vocem hic accipi in eo sensu, in quo superius de dolo malo et bono locuti sumus, non est quod moneamus. Cf. Renazzi Elem. jur. crim. Nov. ed. Romæ. 1819. vol. 1. p. 131.

(2) Cf. Ex. g. art. 309. 311 et alii Cod. pœn. quo adhuc utimur.

nem ipsam neuter eorum voluit, neuter meditatus est, actionem vero qua effecta est læsio, uterque voluit, ille tantum meditatus est. Ille igitur actionem ex proposito commisit, licet non ex proposito effecerit læsionem; ille in culpa ex *incuria*, hic vero ex *inconsiderantia* versari dici potest.

Cæterum et propositum et impetus ex diversis animi motibus oritur, nec, quoad punitionem, per se multum refert an ex dolore aliquis deliquerit, an ex odio, an ex amore, an ex ira; sed ad id videndum est, utrum ex animi motu propositum ortum sit, an impetus. Simili modo in culpa, ubi aliquis actione sua effectum nocivum produxit quem providerat, sed evitatum iri speraverat, nihil refert utrum capto agendi consilio ex imperitia, an ex trepidatione agentis effectus evenerit; sed ad id videndum est, utrum ex incuria, an ex inconsiderantia ad capiendum agendi consilium delinquens pervenerit. Præterea notandum est certam scientiam, quæ ad doli notionem ut superius diximus requiritur, non esse debere claram conscientiam in momento dolosi consilii præsentem; alias enim in iræ, vel ebrietatis impetu agentes dolo agere nunquam dici possent. Si enim iratus et ebrius consilium capit læsionem sub pœna vetitam committendi, momento consilii capti certe nunquam in animo sibi proponit, læsionem esse et sub pœna vetitum id, quod facere statuit. Læsione demum effecta, hac conscientia opprimi solet, et inde effici potest, eum momento actionis scientiam saltem indistinctam habuisse ideoque dolo egisse (3). Nec

---

(3) Si igitur FEUERBACHIUS in compend. Jur. Crim. §. 53. ad dolum requirit *das Bewustseyn der Gesetzwidrigkeit des Begehrens* in ipso mo-

magis mihi persuadere possum requiri in momento capti consilii conscientiam obligationis læsionem vitandi per omissionem actionis suscipiendæ, ut actio ex illo consilio commissa culposa dici possit (4)! Ne cogitari quidem in plurimis factis culposis ejusmodi conscientia potest. Si tamen conscientià clara læsionis et vetiti factum dolosum antecedit, dolus semper ex proposito conceptus est, et si factum culposum commissum fuerit post acquisitam conscientiam obligationis vitandi læsionem per omissionem facti suscipiendi, culpa semper est talis qualis tanquam gravior serius adhuc particulari nomine distinguetur.

§. III.

De fine dolo et culpa agentium.

Læsio per actionem voluntariam effecta dolosa dicitur, si agens læsionem voluisse dici potest. An vero requiritur ut læsionem tanquam actionis finem voluerit? Necesse non esse ut eam tanquam finem ultimum voluerit, faciliter exemplum demonstrat. Is qui sclopetum exoneravit, eaque re hominem occidit, si voluit sclopetum exonerare, ut plumbum feriret hominem, hominem autem feriri ut occideretur, eumque occidi ut ejus bona haberet, sane hominem dolo occidisse, licet actionis finis ultimus non fuerit occisio, finis tamen actionis

---

mento capti consilii, doli notionem nimis restringere, nam hoc tantum ad dolum ex proposito pertinere mihi videtur.

(4) Cf. FEUERBACH l. l. §. 54.

occisio fuisse dici potest, quum ad eam efficiendam actio suscepta fuerit. Quid vero si quis sclopetum exoneravit, ut occideret feram, idque ita voluerit, ut si ipsa mors hominis eveniret sclopetum ad occidendam feram vellet exonerare? An non mortem hominis secutam is, qui sclopetum exoneravit, voluisse et ideo mortem dolo effecisse dicendus erit? Sed an sclopetum ad hominem occidendum exonerasse et ideo occisio hominis finis actionis fuisse dici poterit? Ii itaque qui ad notionem doli requirunt ut aliquis voluerit læsionem tanquam actionis finem, doli notionem nimis restringere videntur, ita ut tantum ad dolum quem *determinatum* vocant, non æque ad indeterminatum se referat (1). In exemplo a nobis indicato doli indeterminati, dolus etiam *eventualis* dici potest, nam tantum si evenit læsio, is, qui eam effecit, eam voluisse et proprie dolo egisse dici potest. Si quis vero sclopetum exoneraverit, ut alterum vel vulneraret, vel occideret, nulla læsione effecta non minus læsionem voluisse et dolo egisse dicendus, dolus vero tali modo indeterminatus, non eventualis, sed potius *alternativus* adpellandus est. Doli divisionem in determinatum et indeterminatum nullius esse practicæ utilitatis nonnulli contendunt (2); quod vero non asserendum esse puto. An enim is qui agendi consilium ita cepit, ut actionem etiamsi ex ea læsio oriretur,

---

(1) Ne quoad dolum determinatum quidem omnino recte dicitur « *Dolus ist die Bestimmung des Willens zu einer Rechtsverletzung als Zweck.* » Nam ei qui, exonerato sclopeto, hominem voluit occidere, læsio quidem *finis* erat *actionis* qua sclopetum exoneravit, sed tantum *medium acquisitionis* quam ex morte occisi speravit.

(2) Rosshirt Lehrbuch des Criminal Rechts, pag. 39.

vellet ad rem licitam adsequendam, ob conatum puniendus erit, eodem modo ac is, qui cum animo determinato læsionem efficiendi, actionem commiserit, si nec ex actione hujus, nec ex actione illius læsio fuerit orta?

Si doli notio ad violationem sanctionis pœnæ adplicatur, eo minus in omni casu ad doli notionem requirendum est, ut agens hanc violationem tanquam actionis finem voluerit; is enim qui actione sua aliquid a lege sub pœna vetitum, sciens id vetitum esse, efficere voluit, etiam simul legis violationem voluisse recte dicitur, minus recte tamen legis violatio actionis illius finis nominabitur.

Consilium per quod culpa contrahitur, ut consilium quo dolus constituitur, determinatum esse potest et indeterminatum, respectu ad id, quod quis illius consilii exsecutione, adtingere vult; sed exinde culpam ipsam determinatam vel indeterminatam esse non dixerim. Fortasse tamen culpa determinata, vel indeterminata nuncupari poterit, respectu ad læsiones, quarum ratione factum culposum punitur, prout scilicet vel ratione certæ læsionis determinatæ, vel ratione plurium læsionum indeterminatarum, in illud animadvertitur. In hoc vero usu verborum, non ad culpæ naturam internam (subjectivam), sed ad externam (objectivam) respicitur : ex illo culpa quodammodo semper indeterminata est; ubi enim ulla est voluntatis determinatio ad læsionem, doli notio adest.

§. IV.

De verisimilitudine per actionem effecti vel ex ea oriundi.

Ex verisimilitudine effectus qui factum sequi potuisset, vel factum secutus est, diversos gradus culpæ plerumque tres distinguunt auctores (1); ita quidem ut si læsionem eventuram esse, ex actione verisimilius fuerit quam eam non eventuram esse, culpam *latam*, si læsionem non eventuram esse verisimilius fuerit, culpam *levem*, momentum vero quo hæc et illa conveniant et confundantur, nempe ubi læsio æque verisimiliter, ex facto evenire quam non evenire potuerit, culpam *mediam* adpellent. Sed momentum illud *medium* mihi mere metaphysicum neque in usu, si rem ad vivum resecemus, uspiam inveniri posse videtur. In genere itaque dicere sufficiet, vel graviorem esse, vel leviorem culpam prout verisimilior fuerit, vel minus verisimilis læsionis eventus. Quo verisimilior enim effectus erat quem quis produxit, vel quia eum non providit, vel quia se eum evitaturum esse false speravit, eo facilius eum providere, eo facilius falsam suam conclusionem intelligere potuisset, eo majorem itaque bonæ voluntatis defectum manifestavit.

Si quis læsionem actione sua dolo effecit, et si de dolo

---

(1) Cf. STUEBEL System. des allg. p. R. §. 289; et auct. ibi laud. Cf. Positiones jur. crim. de triplicis partitionis in rebus infinitis utilitate, inprimis ad vim et modum uti culpæ ita doli quoque æstimandu WILHELMI DRONRYP PRINS. Amstelod. 1804.

constat, nihil quidem refert, utrum verisimilior fuerit læsionis eventus an minus verisimilis. Sed tamen ex verisimilitudine læsionis cum aliis conjuncta, intentio animi ad illam efficiendam, quæ præcipue in dolo consideratur, quanta fuerit dijudicari poterit.

§. V.

De quibusdam dolo et culpae propriis.

Præter ea quæ in genere proprie ad dolum spectare jam diximus, hoc unum adhuc specialiter ipsi proprium notatione dignum est : nempe in dolo nonnunquam fraudem inesse. Unde leges interdum diversis quoque pœnis tres homicidii dolosi species discernunt : nam præter homicidium dolosum meditatum (*mord*), et ex animi impetu factum (*todtschlag*), distinguitur etiam homicidium fraudulenter dolosum (*meuchelmord*), præcipue in legibus Germanorum.

Culpæ inprimis adhuc duæ species distinguendæ sunt, de quibus jam superius a nobis tractatum est. Vel enim culpose agens providit actionis suæ effectum nocivum, vel eum non providit, providere tamen potuisset; ad quas duas species denotandas jus romanum verba satis apta nobis suppeditat, quibus vitiosa delinquentis voluntas plus minusve vituperanda belle exprimitur. Illa scilicet culpæ species culpa ex *lascivia* vel ex *luxuria*, hæc ex *ignorantia* vel *imprudentia* (1) nominari po-

(1) *Imprudentia* Romanis id quod *ignorantia* significat; *inconsiderantia* vero id quod Gallis *imprudence*. Culpa ex ignorantia in hoc sensu non est confundenda cum culpa ex ignorantia legis, de qua quidam auctores loquuntur.

test; eodemque modo quo diversæ pœnæ irrogantur in actionem dolosam prout commissa fuerit ex *proposito* an ex *impetu*, etiam facti culposi adjuncta, ob quæ magis nexus causalis innotescebat, læsioque exinde tanquam possibilis prævidebatur, pœnæ graviori locum dent necesse est, ideoque culpa ex lascivia gravior culpâ ex ignorantia punienda est, et ut etiam jam superius monuimus, in culpa ex lascivia tantum cogitari potest præsens in momento actionis conscientia ejus obligationis cujus læsio culpam constituit.

Ex lascivia culpam contrahere ex. g. is videtur, qui ne actionem ex qua læsio orta est committeret, ab altero ante eam commissam indicato periculo monitus est, vel qui ante eam commissam, legis sibi conscius erat qua actio ipsa, respectu ad læsionem inde orituram, vetita est.

Porro culpæ gravitas augeri potest particulari modo quo quis ex munere, vel officio ad majorem diligentiam obligatur, vel judicii acumine quo quis facilius intelligere potest actionum suarum sequelas.

Diversis itaque modis culpa gravior a leviori distingui potest, quas nullibi reperi tam sedulo descriptas quam in Codice Bavarico, de quo inferius adhuc dicendum (2).

Attamen non semper admodum facile in praxi dictu est, quando hoc vel illo modo peccatum fuerit, quia notæ quibus hæc et illa inter se differunt culpa, ita nonnunquam permis-

(2) Vid. cap. VIII. sect. 2. §. 4.

centur et æquiparantur, ut quænam plus valeat temere dijudicaretur : præterea res ipsa probatu difficillima et a circumstantiis nimium in modum, ut plurimum fit, variis et multiplicibus quam ut enarrentur ac describantur, dignoscenda est : nam ut ait PESTELLIUS (3) « perdifficile est, quum tot sint culparum formæ, diversos earum gradus ad certam mensuram redigere, cujus non tam veritas intelligatur, quam applicatio in facto ipso nihil habeat obscuritatis et dubitationis. » Quapropter in iis recte æstimandis, judicum prudentia et religio valent; nec exinde mala graviora sunt timenda, quippe quum de rebus minoris momenti agatur.

Male a quibusdam culpam *ex ignorantia legis* agnitam fuisse, jam superius notavimus; nam sola ignorantia quæ considerari debet in culpæ speciebus distinguendis, ea est quæ ad nexum causalem inter actionem et læsionem spectat, nisi cum clariss. KEMPERO dolum et ex analogia culpam ad similitudinem erroris, qui juris aut facti est, dividamus (4); in quo casu is, qui læsionem ex consilio effecit, sed læsionem sub pœna vetitam esse ignoravit, non ex consilio violasse sanctionem pœnæ, quoad eam violationem itaque, si legem ex negligentia ignoravit, in culpa, quoad læsionem vero quam effecit, in dolo esse dici potest.

Ex jure nostro (5) etiam de propria culpa sermo est, quæ

---

(3) Fundamenta Jurisprudentiæ naturalis Lugd. Bat. 1788. P. II. §. 525.

(4) Teste ROOSENDAEL de Dolo in delictis, p. 57. Cf. quæ diximus in capit. huj. sect. I. §. 4.

(5) Cod. pœnar. art. 319.

non observato legis praecepto contrahatur; quod intelligendum est de eo casu si quis ex. g. causam mortis præbuit committendo factum, quod per se ratione læsionis inde orituræ, tanquam levius peccatum vetitum est (6). Si quis sciens tale præceptum migrando occiderit, homicidium ex graviori culpa commisit, quia legis monitum non ignorans, periculum actionis suæ providere debuit, ideoque ex lascivia potius quam ex imprudentia læsionem effecit, et præterea legis violationem voluisse dici potest, ideoque ejus ratione in dolo est.

Cæterum legis scientia quædam ad puniendam culpam in omni casu requiritur : ut enim in aliquem possit animadverti ob læsionem, quam licet tantum ex imprudentia effecit, in genere saltem scire debuit pœnam statutam esse in læsionem, si culpa efficeretur, etiamsi ejus rei sibi non conscius fuerit in momento actionis qua læsionem effecit; alias is non dici posset, quoad legis violationem saltem, voluntate eam evitandi caruisse; et saltem hoc accedere debere, ut defectus voluntatis læsionem juris evitandi possit puniri, jam a nobis expositum est.

Nec tamen amplius requiritur ad puniendum ut factum ipsum ex quo oriebatur læsio, jam per se vetitum esse sciverit delinquens; scientia enim sola effectum vetitum esse, per nexum causalem ejus cum actione, eam vim in delinquentis voluntatem habere potuit ut a facto abstineret. Attamen causa mitigationis ex tali ignorantia forsitan deduci posset, in factis culposis, quia ob ignorantiam legis, quæ factum ipsum vetavit, minus ad

---

(6) Ex. g. faciendo id quod Cod. pœn. art. 471. n. 2. vetitum est.

eam omittendam monitus dici potest, ideoque ejus culpa levior est.

Denique a quibusdam legibus facta sub pœna vetari solent, vel quia proprium agentis jus, vel quia mores bonos impugnant, veluti tentatum suicidium, fæda vita. In his de dolo et culpa solummodo ratione sanctionis pœnæ sermo esse potest, proprie vero ratione juris læsionis dici nequit. Licet enim quidam auctores contendant, ratione læsionis quæ ex his vitiis in civitatem redundet, ea puniri, ad eam tamen læsionem doli et culpæ notiones referendæ non sunt, alias ob stupra dolosa is tantum puniri posset, qui solutam vitam degens, ea re vires suas ne Civitati prodessent destruere vellet, quod sane cogitari nequit. Exinde similia facta semper tantum ut culposa consideranda, et inde etiam leges vituperandæ esse videntur, quæ in his delictis puniendis modum excedunt.

§. VI.

De doli et culpae concursu.

Huc usque dolum et culpam separatim, quippe ad utriusque indolem cognoscendam et in quibusnam inter se differant perscrutandum, contemplati sumus. Ut autem quanti sit momenti eas differentias doli et culpæ penitus noscere et indolem cuique propriam in quovis facto discernere amplius ostendamus, nunc quædam adhuc de utriusque concursu in eodem facto subnectere lubet. Præter quod in eodem facto dolus et culpa in diverso sensu concurrere possint, si scilicet et voluntatem violandi sanctionem pœnæ et voluntatem lædendi jus ullum legis sanc-

tione munitum, dolum adpellemus; in eodem facto ratione læsionis juris, doli et culpæ concursus datur.

Quotiescunque læsio levior intenditur, quæ tamen gravior evadit, non autem mero casu i. e. circumstantiis agentis voluntati alienis, sed causis quæ ipsi imputari possunt, hoc culpa ejus fit, et tunc dolus et culpa *concurrere* dici posse videtur.

Porro ad significandum in concursu doli et culpæ delinquendi animum variis scriptores utuntur denominationibus: quosdam illum *dolum indirectum* male nominasse jam vidimus; ab aliis *culpa dolo determinata* dictus est (1).

Si verbum *determinata* ex originatione sua interpretaremur, appellatio culpa dolo determinata quodammodo esset justa; dolus enim culpæ terminus esse, in nostro casu, dici posset, quæ tamen si levior foret, adcuratius *dolus culpa determinatus* diceretur. Sed interpretatione ista nos a significatione destinata recedere patet. Potius culpam dolo determinatam in eo sensu adpellari credimus, ac si culpa a consilio doloso processisset et a dolo incœpisset et determinata fuisset, quod minus adcuratum esse putamus. Nec adcuratius talis reatus *dolus culpa auctus* vocatur; dolus enim non est auctus culpa, hic et illa iidem manent, et quoniam diversæ naturæ sunt, alter ab altero augeri nequit; et si dolus culpa augeri posset, quidni, si culpa gravior quam dolus esset, *culpa dolo aucta* diceretur? Sed quidni potius culpam et dolum vel dolum et culpam concurrere

(1) Præcipue a FEUERBACHIO.

dicamus : quum verba in promptu sufficiunt et clara sunt, quorsum alia minus adcurata difficulter essent quærenda?

In tali concursu præcipue veras differentias inter dolum et culpam callere maximi momenti est; et in eo interdum dolum pro culpa, et hanc pro illo immerito puniri credo, quia utriusque natura non dignoscitur. Sed quanam pœna tandem delictum simul dolosum et culposum coërcendum est? Dolus pro dolo et culpa pro culpa puniantur; atque utriusque pœnæ conjungantur. Verum quidem aliter plerumque res se habet in legibus positivis (2).

Attamen principium nostrum verum esse puto, quod repe-

---

(2) Cfr. art. 351. 437. 296 cum 298 etc.; nec non quod Le Graverend notat, Traité de la Législation crim. T. II. p. 99. « On doit considérer comme coupable de *meurtre volontaire* celui qui, sans dessein de tuer, porte volontairement des coups qui occasionent la mort. (Voyez deux arrêts de la Cour de Cassation, l'un du 4 Pluviose an XIII, l'autre du 14 Février 1812). Les raisons principales énoncées dans le second arrêt sont que celui qui porte volontairement des coups d'où résulte la mort, se rend par-là responsable de toutes les suites que ces violences peuvent avoir; et qu'aux termes de la loi, on ne peut regarder comme *meurtre involontaire* que celui qui est commis par maladresse, imprudence, inattention et inobservation des réglemens. » Hisce rationibus refutandis non immorabor, prior enim quamvis vera, male adplicata est; nam, etsi quis ob factum suum teneatur, non promiscue tenetur; altera vero, etiam si valeret, nihilominus positiva foret. Sed nequidem in doctrina Codicis fundari constat; quæstio enim pendet ab alia an animus necandi ex legibus nostris ad homicidium requiratur; quod omnino in controversiam vocari et quidem affirmari potest, ut paucis infra monendum erit ad art. 319. cap. VI. sect. 2.

tendum erit quum de regulis generalibus a legum latore proponendis agetur (3).

Quem ad modum factum duobus actibus quorum unus dolo, alter vero culpæ sit adscribendus, ut modo dictum est, constare sic etiam fieri potest, ut actus diversi idem factum constituentes, partim dolo vel culpæ, partim casui fortuito adscribendi sint (per quem intelligendum est quidquid nec in dolum, nec in culpam hominis, sed in leges naturæ conferri debet), veluti si quis factum commisit, cujus effectum alterum providere, alterum non providere poterat, et uterque evenit. Porro quum in eodem facto aliquid dolo aut culpæ, aliquid etiam casui fortuito adscribi potest, dolus aut culpa et casus fortuitus recte concurrere dicuntur. Quid vero circa doli et culpæ concursum puniendum diximus, hoc quoque in doli aut culpæ et casus fortuiti concursu valet; dolus enim aut culpa sedulo separatim æstimari debent, ut pœna debita afficiantur; casus vero fortuitus nequaquam imputandus est. Nihilominus tamen quandoque casum præstari dicunt, nempe si culpa præcesserit, vel intervenerit (4), quod a fortiori de dolo affirmari posset. Sed quis non videat non casum tunc, sed culpam dolumve casum præcessam aut præcessum, reapse præstari, atque hoc pro rata culpæ dolive fieri debere, nulla habita casus quoad pœnam et præstationem ratione? Quod si quis dicat, quum casum præstitum esse aiunt, a potiore nomen rei effectæ imponi, nihilominus improprie sic diceretur, quoties nempe effectus

(3) Cf. inferius, cap. VIII.

(4) Vid ex. g. L. 5. §. 4. D. Commodati. L. 1. §. 4. D. de oblig. et act. etc.

gravior dolo aut culpæ, non autem casui fortuito esset adscribendus.

Casus quodammodo ad quamvis læsionem, si ea factum sequitur, contribuit. Si duo idem factum commiserint et ex facto utriusque læsio æque faciliter evenire potuisset, alterius tantum secuta est, culpa in utroque eadem et casus simul eventus causa erat. Nihilominus fortasse alter tantum punitur, nec casum puniri dicendum est; sed culpa punitur, licet tunc tantum si eam casus demonstrat; ut etiam dolus sæpe idem in conatu est, qui in læsione consummata, neque tamen ille ut ipsa læsio punitur. Inde etiam, licet improprie, casu delinqui interdum dicitur.

CAPUT QUARTUM.

AN EX PRINCIPIIS JURIS PUBLICI UNIVERSALIS CIVITATI JUS SIT CULPOSA ETIAM DELICTA PUNIENDI.

Non satis est eum qui lacesserit, injuriæ suæ pœnitere; et ut ipse ne quid tale posthac committat et cæteri sint ad injuriam tardiores.
CICERO de Off. I. 9. princ.

Quotus enim quisque reperietur, qui impunitate..... proposita, abstinere possit injuria?
De Off. III. 18.

SECTIO I.

IN QUO FUNDETUR JUS PUNIENDI CIVITATI COMPETENS.

ANTEQUAM quæstionem ipsam de jure puniendi facta culposa adgrediamur, paucis examinandum videtur, quo fundamento jus puniendi in genere nitatur.

Si quis vero paulo adtentius id quod initio sectionis primæ, capitis primi diximus, quum de delictis in genere locuti sumus, perpenderit, in eo jam juris puniendi fundamentum inveniet. Omne enim jus in hominis repetendum natura : quæ quum ita comparata sit, ut homo sine consortio et societate hominum

esse non possit, adparet homines ab antiquissimis temporibus inter se conjunctos et consociatos in civili qualiquali communitate ex naturali quadam necessitate vixisse; quæ vero communitas, nisi certæ regulæ consortii constitutæ sint, quibus cujusque consortis jura quam maxime secura reddantur et illæsa maneant, consistere non posset. Ut civitas itaque has constituere valeat necesse est; quod significatur quum dicimus civitati jus esse leges ferendi; quod jus tanquam in indole ejus fundatum ipsi tam naturale ac insitum est, quam homini jus respirandi, quandoquidem sine legibus, i. e. sine consortii regulis certis, civitas quidquid aliud, forsitan magnum latrocinium, non civitas esset (1). Quapropter ex ipso civitatis fine ejusque natura, patet ei jus esse leges ferendi atque ideo eas exsequendi, nam unum in alterum recidit, neque hoc absque illo cogitari potest : quid enim insulsius ac magis deridendum esset quam legislator qui vellet atque juberet, quin voluntatem suam ac jussus exsequi valeat? Illum infantulis vel puerulis istis iracundis ac violentis, qui volunt imo imperant et irascuntur nullum voluntati suæ vel imperiis effectum dari, comparandum putarim, atque perinde ac eos esse miserandum. Sed nunc in quo exsecutio hæc consistat videndum est. Ex fine civitatis jura cuique civi competentia æquo modo tutari, i. e. quam maxime secura reddi, et illæsa manere, ideoque hoc potissimum ne læsiones fiant, leges spectare debent. Earum legum exsecutio vero in physica singulorum prohibitione a juris læsionibus consistere nequit; ea enim ut efficax esse pos-

---

(1) Cfr. D. Augustinus « Seposita justitia, quid sunt regna? magna latrocinia. »

set, talis esse deberet, qua omnis libertas singulorum tolleretur. Nec legis læsionem prohibentis exsecutio in solo exercitio vis publicæ ad damnum læsione datum sarciendum constare potest; quum enim nec omnia damna ex læsionibus orta rebus corporeis certi ponderis ac mensuræ contineantur, nec eorum ipsorum quæ rebus corporeis continentur sarcitio semper effici possit, in plurimis casibus leges læsionem prohibentes exsequendi potestas cessaret, nec ipsa earum exsecutione tali modo facta earum finis adtingeretur.

Nullus igitur modus exsequendi leges læsionem vetantes justus et efficax superest, nisi psychologica singulorum prohibitio a futuris juris læsionibus, sive mali in juris violationem inferendi comminatio, quam *legis* læsionem vetantis *sanctionem* adpellant et quasi partem, conjuncta cum mali ipsius illatione post læsionem commissam. Tali enim comminatione summa civitatis potestas aptissime jura omnium communi modo defendit, eamque omnibus civibus fiduciam inspirat qua civilis conjunctionis prosperitas consistit; et si nihilominus læsio juris commissa eaque opinio de vi legis psychologica, quæ illam fiduciam gignit, apud reliquos cives minuta est, hoc damnum ipsi conjunctioni hominum datum reparari et vis legis physica in legis violatorem per mali illationem comprobari debet, qua re jus puniendi continetur, ut jam superius indicatum est.

Ex hisce patet jus puniendi in jure leges ferendi ad læsiones jurium avertendas comprehendi. Atqui civitatem ex sua indole et fine tales leges condere posse ac debere, modo probatum est : debet ergo sub pœna nonnulla prohibere, quædam autem

præscribere : sed an quæcumque vetare aut imperare ipsi liceat, vel quid et quantum legum ejus objectum esse queat, et an modum et qualem jus puniendi habeat; de hisce in sectione sequenti, jam, ut propius accedamus ad propositam quæstionem, videndum est.

SECTIO II.

AN MODUM ET QUALEM RECIPIAT.

Civitati jus non esse factum quodcunque sub pœna vetandi, quippe qua vetatione scopum sibi propositum, præcipue in tuitione jurium omnium consistentem, non assequeretur, imo huic contraria esset, illorum exercitium impediendo, nemo est, credo, qui neget. Constat itaque jus puniendi sub certo modo tantum posse exerceri; sed qualis ille sit, vel quid sit verum legum pœnalium objectum, hoc sane maximi momenti argumentum est, quod, ut æquum est, explicare nec locus, nec otium, nec judicii nostri modulus sinunt; attamen de quo nobis pauca verba sunt facienda.

Inprimis vero hoc affirmandum videtur, civitatem, ex fine suo primario, videlicet jurium omnium tuitione, facta juri contraria pœna adficere posse et debere. Quod vero, si recte intelligatur, extendi debet ad facta qualiacunque quibus civitas ipsa impeditur in alio, quem habet, fine adtingendo, quam maximæ scilicet absolutionis et prosperitatis. Sunt enim jura hominibus innata et in eorum natura fundata facultatum sua-

rum quam maximam explicationem et perfectionem adtingendi. Quæ, si in quovis homine privato sint ex fine ipsi proposito, cur non civitati competerent ex fine ipsi proprio? Sique talia jura civitati sunt, ut singulis hominibus, hæc ut illa sanctione pœnali adversus læsiones munienda videntur. Sic interpretanda nobis videtur sententia eorum qui postquam dixerunt ex principiis universalibus civitatis jus alia quam facta juri contraria pœna adficiendi derivari nequire, adjiciunt, interdum legislatoris prudentiæ esse ex populi moribus, vel aliis momentis *facta juris laesiones non continentia* punire. Nam quod ex principiis universalibus defendi nequit, id sane ex populi moribus vel aliis momentis, quæ etiam in principiis universalibus valent et considerantur, probari non posset. Quapropter sub *factis illis juris laesiones non continentibus*, attamen pœna adficiendis, intelligo facta quæ forsitan juribus acquisitis vel derivatis hominum non contraria sunt, sed quæ omnino illis originariis adversantur juribus, vi quorum ad quam maximam facultatum suarum explicationem et perfectionem tendere possunt homines, et quam maximam absolutionem et prosperitatem adpetere potest civitas.

Quam vero hæc latissime pateant non nos fugit: sed difficultas hæc omnibus est generalioribus contemplationibus communis; quam tamen ut pro viribus nostris levemus, hanc aliam regulam ad id cognoscendum quod civitas sub pœna præscribere vel prohibere jure possit, quæ quidem penitius inspecta in priorem recidit, proponemus: nempe civitati jus esse quidquid sub pœna vetandi aut imperandi, quod, sive commissum, sive omissum, ipsi nocuerit; aliis verbis, quidquid præscribere vel prohibere jure potest, quod, commissum,

aut omissum, ipsi utilitati est (2). Nam illud Horatianum prudentiæ plenissimum affirmaverim; scilicet *utilitas justi prope mater et aequi* (3). Specie quidem *utilis* decipimur æque ac *justi;* sed utile civitas ex juribus suis et jura sua ex utilitate metiri debet; *alterius sic altera poscit opem res et conjurat amice* (4).

Quapropter si quæratur an factum, quod si committeretur, juri quidem contrarium esset, sed ad quod reprimendum, utpote, quod tantum in obligationis ullius impletione denegata consistit, simplex coactus semper sufficeret, sub pœna sit vetandum (5), negative erit respondendum; nam et hic quoque illud Cassianum (6) *cui bono fuerit,* vel quidnam profuerit, valet. Contra facta interdum punienda sunt quibus læsio, licet non consummata, tentata tamen est; illud enim damnum, quod ex violatione legis læsionem sub pœna prohibentis oriri superius diximus, et intrinsecum adpellavimus, non minus co-

(2) Cfr. Discours prononcés par les Orateurs du Gouvernement, ou Exposé des motifs, ad sect. cap. III. tit. I. lib. III. Cod. pœn.... *puisqu'il est* UTILE....... *la loi* PEUT *l'ordonner.*

(3) L. I. Satyr. 3. 98.

(4) HORATII Ars Poet. 410–1.

(5) Ejusmodi factum *injuria civilis* vocatur et *crimini* i. e. facto juri contrario a civitate sub pœna vetito, et in quod revera commissum pœnalis adplicatur coactus, opponitur.

(6) Cfr. CICERO pro Milone. Bonum ab utili persæpe in communi usu loquendi, ut in hoc loco, non separatur; neque in genere separari debet; quod enim absolute (secus relative) utile est, hoc quoque bonum est.

natu læsionis quam ea consummata efficitur, præcipue si constat conatus auctorem a criminis consummatione impeditum esse momentis ab ejus voluntate non pendentibus; nam etiam in hoc casu opinio civium de vi legis psychologica et fiducia ad conjunctionem civilem necessaria minuitur, ideoque ad hoc damnum reparandum vis legis physica in conatus auctorem illatione mali comprobanda est.

Ex his omnibus jus puniendi civitati competens, non promiscue exerceri posse, atque modum recipere colligendum est, licet illud non tam arctis finibus restringendum esse credam, quam hoc a multis Juris Criminalis scriptoribus factum est. Nunc vero ad argumentum nostrum propius accedamus, et duabus sectionibus sequentibus de jure puniendi facta culposa disseramus.

SECTIO III.

MODUS ILLE NON OBSTAT QUO MINUS FACTA PUNIANTUR, QUIBUS PER CULPAM LÆSIONES EFFICIUNTUR.

Satis quidem ex indole factorum culposorum antea agnita, jam cuique compertum esset, illa civitati damna et privatis nonnunquam permagna afferre, et idcirco sub pœna vetari, et quum committuntur delicta vocari atque puniri posse; nec nobis obstant difficultates in hoc jure demonstrando, quibus impediuntur auctores qui culpam ex vitio intellectus repetunt (1); nam eam sicut ipsum dolum in vitio voluntatis positam, ideoque semper in agente esse hoc vel illa vacare contendimus,

(1) Vid. Cap. II. passim.

unde jus civitatis læsiones culposas puniendi per se patet. Nihilominus tamen quædam subnectere operæ pretium erit, ut res magis magisque eluceat.

Est vero civitatis prospicere ut omnium jura, quantum fieri potest, illæsa maneant, quare etiam ne læsiones fiant, per potestatem publicam effici debet. Hoc autem, ut in sectione prima expositum est, communi modo eo tantum effici potest, ut cum lege læsionem prohibente conjungatur comminatio mali, læsione commissa certe inferendi, quo omnes a læsionibus detineantur. Objectum legis pœnalis itaque quævis læsio esse potest, ad quam vitandam pœnæ comminatio voluntatem potest movere. Quum vero, ut supra exposuimus, læsiones culposæ ex defectu voluntatis læsionem vitandi oriantur, et mali comminatio tam ad detinendam voluntatem a læsione efficienda, quam ad impellendam voluntatem ad læsionem vitandam efficax esse possit; patet læsiones ex culpa orituras, non secus ac læsiones dolo efficiendas, a lege sub pœna vetari posse, licet in illas pœna multo levior statuenda sit.

Nec obstat sententiæ nostræ, quasdam læsiones a sanctione pœnali excipiendas esse, eas scilicet, quæ tantum in obligationis ullius impletione denegata, simplici coactu per vim publicam facile impetranda, consistant. Damna enim per culpam data, non minus quam læsiones dolo effectæ, talia esse possunt, quæ simplici coactu reparari nequeant; et conjunctionis civilis prosperitas postulat, ut non minus læsionibus ex malo consilio committendis, quam damnis ex negligentia orituris occurratur.

Contra sententiam nostram confirmat hoc juris naturalis præceptum, ex facto suo quemvis teneri ad damnum sarcien-

dum, sive dolo, sive culpa ejus immediate et directe inde ortum, quod præceptum quoque legibus nostris, sanctionem privatam damni injuria dati spectantibus, sancitum reperimus (2). Fortasse aliquis dicet, quum culpæ essentia in *defectu voluntatis* læsionem vitandi, ideoque quodammodo in *omissione* ponatur, tanquam causam cur quis ad sarciendum damnum culpa datum teneatur, proponi obligationem, qua quis *velle* debeat læsionem vitare, ergo quodammodo obligationem *faciendi*; quum vero nullæ sint ex juris præceptis originariæ obligationes *faciendi*, ideoque nullæ obligationes ad damna *omissionibus* data reparanda, nullam naturalem obligationem dari posse, qua quis *velle* teneatur; quare etiam nullam naturalem obligationem reparandi damnum ortum ex *defectu voluntatis*, nullam igitur obligationem ad diligentiam, nullamque obligationem damnum negligentia ortum sarciendi. Sed etiamsi verum sit, jure *originariam* non dari obligationem *faciendi*, eamque demum ex *facto* obligatorio oriri posse, veluti pacto, quod necessarium non sit ad constituendam obligationem *omittendi*; periculosa tamen hæc est conclusio : idcirco nullam dari obligationem naturalem sarciendi damnum culposum (3). Præterea, quum ex conjunctionis civilis natura quivis, qui pacto sociali in ea conjunctione versari censetur, ex eodem pacto obligetur ad omne id faciendum, quo læsiones vitentur, eum ad damnum culpa datum sarciendum teneri,

---

(2) Cfr. Cod. Civ. art. 1382. 1383. — Adde art. 1147-48. 1151.

(3) Falsa omnino hæc : donc il est évident qu'un *droit actif* ne peut résulter que de la convention, et qu'un *droit prohibitif* a lieu sans elle. Cfr. Introduction à l'étude philosophique du droit, par LHERBETTE. Paris. 1819, pag. 30.

ideoque ob læsionem culposam puniri posse, nullum dubium superesse potest.

Facti itaque cujusdam, juri contrarii, prudentem atque volentem auctorem, etiamsi animum nocendi non habuerit, teneri et qua talem pœna coërceri posse, rationi omnino consentaneum esse, satis probatum videtur. Attamen quædam ex sensu intimo deprompta, qui sæpe tutius ad veritatem quam ratio ipsa ducit, quasi supradictorum complementum et firmamentum adjiciemus. Nemo est, si quid gravius admisit, quod facto suo, tanquam causæ, moraliter adscribi queat, qui sibi ignoscat, imo qui se reum haud fateatur (4). Quin etiam quisque elati animi, si, quod intenderat, quum potuisset, non fecit, hoc sibi imputat. Exinde amici vel patris ira provenit, amici vel filii interfectorem parum prudentem, si vel coamicus vel frater et æque filius fuerit, non excusantium. Ex eodem fonte quoque promanarunt illa apud veteres usitata exilia homicidarum ex nimia imprudentia, forte a SATURNINO voluntaria dicta (5), quia pœna non plectebatur interfector, qui, ante judicium interfecti cognatos, quoquo modo, placasset (6).

---

(4) Nemo nocens, se judice, absolvitur. Cfr. JUVENALIS Satyr. XIII et SENECA, De ira. I 14.

(5) L. 16. §. 8. D. de Pœn. quæ quidem sic habet : « Apud Græcos exilio voluntario *fortuiti* casus luebantur. » Sed palam est ex versibus subjectis :

Εὖτ' ἐμὲ τυτθὸν ἐόντα Μενοίτιος ἐξ Ὀπόεντος
Ἤγαγεν ὑμέτερον δ' ἀνδροκτασίης ὑπὸ λυγρῆς,
Ἤματι τῷ, ὅτε παῖδα κατέκτανον Ἀμφιδάμαντος
Νήπιος, οὐκ ἐθέλων ἀμφ' ἀστραγάλοισι χολωθείς. Iliad. ψ. 85.

per *casus fortuitos* JCtum intelligere homicidium, quavis culpa admissum.

(6) Vid. SAM. PETITI Comment. in leges Atticas L. VII. tit. 1. c. 8-10. Similis dispositio in Alkorano, Azoara X, invenitur.

Tandem priusquam ab hoc puncto divertamus, quid sequeretur, si facta culposa impunita dimitterentur, non abs re erit respicere. Quid autem eveniret, si quisque nulla cautione adhibita, omnive prudentia seposita, vel negligenter agere impune posset; hic scilicet concitatis equis per urbem currere, ille saxis et lapidibus tecta et vias transmittere, alius passeres et hirundines volantes in plateis et vicis sclopeto occidere, omnes vero, si quid mali accideret, dicere possent: *non ex proposito feci:* ac liberarentur? Sane illud esset magnum ad talia facta incitamentum, et civium injuriarum jugis fons: præterea nemo amplius domo se commovere auderet, quin perpetuo metu angeretur; ita ut civium juribus, in hac re, tuendis minime consuleretur, neque ad civitatis scopum spectaretur.

Hæc quidem sufficiunt ad demonstrandum, læsionis culposæ auctorem, tam ex rationis et sensus legibus, quam ex omnis civilis communitatis natura ac fine, recte ob eam puniri posse; quandoquidem civitati licet facta quæcunque imputabilia, ex quorum commissione damnum ullum sentit, pœna coërcere; et quum sæpius ex factis culposis multum detrimenti accipiat, nullo modo dubium manet, illa a legislatore jure ac merito sub pœna vetari, et commissa pœna juste adfici.

SECTIO IV.

RECTE QUOQUE CULPOSA FACTA COERCENTUR, QUIBUS LÆSIO NULLA EFFECTA EST.

Præter læsiones effectas, sive dolo, sive culpa, facta quoque quibus læsio, licet non consummata, tentata tamen est, recte

pœnis adfici, jam superius a nobis demonstratum est, et sane a nemine in dubium vocabitur. Multa vero, quæ imprudenter committuntur, licet iis læsio non efficiatur, in eadem relatione sunt ad læsiones culposas, in qua conatus est ad læsionem dolosam; ideoque et illa puniri posse ex eadem ratione arbitror, ita quidem ut eorum punitio mensuretur ad modum punitionis læsionum culpa effectarum, ut pœna conatus ad modum pœnæ criminis consummati. Hoc eo magis contendendum esse videtur, quum sæpissime facta imprudentia, quæ læsio nulla sequitur, non minorem defectum bonæ voluntatis læsionem vitandi exhibeant, quam eadem facta quæ læsionis effectum habent. Si ex. g. duo eodem tempore ex ædibus rem ullam in eumdem locum dejiciunt, ab altero dejectum prætereuntem occiderit, ab altero vero demissum nullum damnum dederit, minor fortasse culpæ utriusque differentia est, quam inter animum delinquendi duorum, quorum alter dolo malo hominem occidit, alter occidere tentavit; non enim quivis qui facinus inchoare, id quoque perpetrare potest. Nec delictorum gravitas ex solo facti effectu, ut nec ex solo animo delinquendi ponderanda (1). Si quid dubii superesset circa punienda facta culposa, quibus læsio nulla effecta est, certe hoc moveretur ex iis quæ superius in hujus capitis sectione secunda

---

(1) In hoc sensu dicitur : *In maleficiis voluntas spectatur, non exitus.* L. 14. D. ad L. Cornel. de Sicar. *Consilium uniuscujusque, non factum, puniendum est.* Pauli Sentent. Recept. Lib. V. c. 3. §. 3. *Dolus pro facto accipitur.* L. 7. D. ad L. Cornel. de Sicar. Contra : *Cogitationis pœnam nemo patitur.* L. 18. D. de Pœn. *Eventus et exitus spectatur.* L. 16. §. 8. D. eod. Dicit etiam Cicero : *Peccata non rerum eventu metienda sunt.*

diximus, quum de jure civitatis disseruimus, id quod sibi utile intellexit, ex jure adpetendi quam maximam perfectionem, sub pœna præscribendi, aut prohibendi. Non ulterius itaque punctum hoc premamus; sed nunc a philosopha argumenti nostri tractatione ad historicam ejus disquisitionem transgrediamur.

CAPUT QUINTUM.

AN ROMANI UNQUAM, ET A QUO TEMPORE, IN DELICTA CULPOSA POENAM PUBLICAM STATUERINT.

> .... Poena adhibetur.... ut is, qui fortuito deliquit, attentior fiat correctiorque.
>
> GELLIUS. Noct. Att. VI. 14.

SECTIO I.

AN ROMANI IN GENERE IN CULPAM ANIMADVERTERINT.

Postquam delicta, sive dolo, sive culpa commissa, quum in iis quibus inter se differunt, tum in eorum justa civitati competente coërcitione, in universum contemplati sumus, re ipsa adducimur, ut ad ea, quæ juris positivi sunt, descendamus, et quid in eo circa argumentum nostrum notatione sit dignum, dispiciamus. Quum autem in scientia juris atque legum ferendarum, inter omnes populos, tum veteres, tum recentiores, principes exstiterint Romani, quid illi censuerint inprimis considerandum venit. Quamobrem, ordine servato quæstionis, quam respondendam, prout fert facultatum nostrarum tenuitas, suscipimus, jamjam ad hoc scilicet, an Romani unquam,

et a quo tempore, in delicta culposa pœnam publicam statuerint, procedit oratio. Eam vero quæstionis partem non aliter intelligendam esse puto, ac si quæreretur, an facta culposa unquam a Romanis, tanquam delicta publica considerata, et in judiciis publicis punita fuerint? Quare paucis erit primum ex historia disquirendum quid apud Romanos delictum publicum, et judicium publicum fuerit, et quum, quomodo Romani hæc delicta et judicia ab aliis distinxerint, investigabimus, res ipsa nos monebit indicare, an in culpam in genere animadverterint.

Principio Romæ jurisdictio et criminum quæstio, quibus summi magistratus in civitate haud magna, neque multis legibus instructa, sufficere valebant, penes reges erant (1). Attamen Romulus ipse jam senatoribus jus de levioribus delictis cognoscendi permiserat (2). Præterea viri in uxores, patres in liberos, domini in servos, etiam in causis gravioribus, in locum cujusvis alius, judicium exercebant (3); et insuper, de crimine gravissimo, ab Horatio commisso, duumviros a

---

(1) Vid. Jo. Aug. Bachii Histor. Jurisp. Rom. Edit. 6. p. 8 et Précis hist. et chron. sur le droit Rom. traduit de l'anglais de A. C. Schomberg p. 2. in not. « IV. Rex sacrorum præses, legum custos esto. *Judicia exerceto*. Belli imperium habeto...., »

(2) Vanderhoop de Iis, qui antiquitus apud Romanos de criminibus judicarunt. In supplemento thesauri Meermanniani, pag. 608. Sigonius de Judiciis lib. II. cap. 4. in opp. vol. V. p. 755 sqq.

(3) Dionysius Hal. II. 15; et IX. 22. L. ult. C. de Patria potest. Gaii Institut. Comm. I. §. 52. Gebauerus de Patria potest. Francof. 1773. Grupenius de Uxore romana, tam ea, quæ in manum convenit, quam ea, quæ pro uxore tantummodo habebatur. Lipsiæ. 1772.

rege Tullo Hostilio creatos, quæsivisse legimus (4). Postea Servius Tullius, a TACITO præcipuus sanctor legum dictus (5), novam judiciorum divisionem fecit, causisque ad rem privatorum familiarem spectantibus, a criminibus ad rempublicam pertinentibus separatis, illarum cognitionem permisit senatoribus, harum vero quæstionem sibi reservavit (6). Atque hinc forte distinctio inter delicta *publica* et *privata*, sive *crimina* et *delicta* in specie, repetenda est. Cæterum reges non sine consiliis judicia capitalia exercuisse ex loco LIVII (7) colligitur, quo de Tarquinio judicia capitalia, sine consiliis, per se solum exercente, tanquam de re insolita sermo est. Imo adeo judicium de criminibus, jam sub regibus quodammodo ad populum pertinuisse credo, cum SIGONIO (8). Saltem pluribus locis, haud secus ac a judicio duumvirorum, ab ipsius regis judicio provocatio fuisse ad populum videtur (9). Tarquinio expulso potestas de criminibus quærendi ad consules transiit, iisdem,

---

(4) LIVIUS I. 26.

(5) Annal. III. 26.

(6) DIONYSIUS HAL. II. 25 et 36. Cf. VANDERHOOP l.l.

(7) Lib. I. cap. 49.

(8) Cf. SIGONIUS de Judiciis, Lib. II. cap. 18. Contra VANDERHOOP l. l. pag. 612.

(9) Cf. SENECA Epistol. 108. VALERIUS MAXIMUS, Lib. VI. cap. 3. n. 6. cap. 1. n. 1. LIVIUS VIII. 53. et ejusdem verba lib. I. cap. 26. contenta: « Tullus Hostilius, ne ipse ingrati ad vulgus judicii, aut secundum judicium, supplicii auctor esset, concilio populi advocato, Duumviros, inquit, qui Horatio perduellionem judicent, secundum legem, facio. » Cf. HUGO Rechtsgeschichte. Ed. 8. p. 58.

quibus sub regibus, circumscripta finibus, eaque Brutus in filios suos usus est (10). Sed fere statim ab eorum damnatione, atque eodem anno, ad populum a Valerio Publicola, de provocatione lata est lex, cujus relatio ad ea, quæ de provocatione jam prius valebant, admodum obscura est. Nec aliena a veritate mihi videtur sententia SIGONII (11), licet eam improbet VANDERHOOP (12), lege Valeria cautum esse ne consules, injussu populi, de capite civis Romani quærerent, verum ii demum, quos populus quæstionibus publicis præfecisset, et qui inde quæstores parricidii dicti essent, hos saltem non multo post reges exactos institutos esse. In hanc sententiam et POMPONII (13) testimonium, et singula legis XII. Tabb. fragmenta (14) quadrant, in quibus de quæstoribus parricidii, a populo creandis, sermo est, et hæc verba habentur: DE CAPITE CIVIS NISI PER MAXIMUM COMITIATUM NE FERUNTO, i. e. magistratus criminum quæstionem ne habeant, nisi ejus rei facultatem, populi jussu, impetraverint. A lege Valeria lata itaque constitutum, et XII. Tabulis confirmatum esse videtur hoc præceptum: criminum judicia ad populum pertinent, cujus jussu in singulis casibus

(10) Cf. LIVIUS II. 5. « Pœnæ capiendæ ministerium patri de liberis consulatus imposuit, et qui spectator erat amovendus, eum ipsum fortuna exactorem supplicii dedit. » His verbis nullatenus dicitur Brutum solum de filiorum crimine cognovisse.

(11) De Judiciis Lib. II. cap. 4.

(12) L. l. pag. 617.

(13) L. 2. §. 16. 23. D. de Orig. jur.

(14) Apud BACHIUM, pag. 64.

vel a consulibus, vel a propriis quæstoribus exerceantur; in omni casu, et a consulibus, et ab his quæstoribus provocatio ad populum esto. Novum itaque hoc solum lege Valeria constitutum est, ne consules, injussu populi, de criminibus quærerent. Ne vero ea re antiquum jus provocationis sublatum videretur, adjectum est, a consulibus, etiamsi jussu populi quæstionem exercuissent, ad populum provocari posse, ut a reliquis magistratibus, ad judicia capitalia exercenda creatis, et quondam a regibus. Cæterum inde ab eo tempore capitalia judicia in singulari quovis casu ex *jussu populi speciali* exercebantur *vel* a consulibus *vel* a quæstoribus parricidii, ut quondam *vel* a regibus *vel* a duumviris pro regis arbitrio vel ex *lege ulla generali* (15); et sive consules ipsi, sive quæstores peculiares *quæstionem* exercerent, sine dubio non soli de criminibus *cognoscere* poterant, sed, ut quondam reges ipsi, *consilia* adhibere, vel, ut serius quæstores perpetui, *judices* adhibere debebant.

Interdum *populus ipse judicabat* in comitiis, postquam alicui consul, vel alius magistratus diem dixerat. Haud raro etiam accusati *judicio domestico* relinquebantur (16). Præterea ut *populi*, ita *senatus* judicia, jam ab antiquioribus temporibus, fuisse videntur; præcipue in crimina peregrinorum vel ab eo

---

(15) Cf. Livius I. 26. « Duumviros, qui Horatio perduellionem judicent, secundum legem facio »; vel « Duumviros, qui Horatio perduellionem judicent secundum legem, facio. »

(16) Cfr. Livius XXXIX. 8.

(17) Cfr. Dirksen ueber die Criminaljurisdiction des Roemischen Senats; in ejusdem Civilistischen Abhandlungen. Berlin. 1820. Vol. 1. p. 93 sqq. *Plebis* quoque judicia fuisse, notum est.

ipso animadvertebatur, vel a magistratibus, ad eum finem ab eo delegatis (17). Magistratus quoque non solum ex mandato speciali, post crimen commissum vel a populo vel a senatu accepto, sed ex generali legis concessione in singulis casibus capitalia judicia, sane jam primis reipublicæ temporibus, exercebant; præcipue *imperatores* in expeditionibus militum crimina, *triumviri capitales*, prius judiciorum exactores, serius crimina servorum, aliaque puniebant (18).

Potestate de criminibus quærendi ita constituta et distributa, per longum tempus adhuc penes consules erat jurisdictio, vi cujus ad eos judicium de pluribus delictis pertinebat, ex quibus veluti furto, rapina, actio dabatur, qua læsus damni sarcitionem, vel mulctam petere poterat. Hæc delicta fortasse eadem erant, quorum cognitionem prius reges senatoribus permiserant, et quæ serius tanquam *delicta privata*, sive *delicta in specie*, a *delictis publicis*, sive *criminibus* distinguebantur, ut judicia privata a judiciis publicis, pœnæ privatæ a pœnis publicis. Jurisdictio vero ipsa serius propriis magistratibus mandata est, præcipue quia juri dicendo consules, quippe frequentibus bellis avocati, vacare amplius non poterant; et quidem prius *prætor urbanus*, qui inter cives, deinde *prætor peregrinus*, qui inter peregrinos jus diceret, creatus est. Postea quoque criminum quæstiones propriis magistratibus delegari cœperunt, ita ut de singulis criminibus ex ulla lege puniendis, quotiescunque per annum committerentur, a singulis quæsitoribus, in hunc annum creatis, ex generali illius legis conces-

---

(18) Cfr. HUGO Rechtsgeschichte. Ed. 8. p. 256. Huc etiam *præsides* provinciarum pertinent.

sione secundum ordinem ab ea præscriptum quæreretur, quin amplius in quovis casu criminis commissi jussu populi opus esset, ad ejus criminis quæstionem alicui mandandam. Hæ *quæstiones perpetuæ* dictæ sunt, ad eas distinguendas ab iis, quæ antea ex speciali populi jussu a quæstoribus, ad singulum casum creatis, exercebantur. Quum enim respublica in dies incrementa acciperet, atque una criminum occasiones, ipsaque crebriora essent, præcipue, quum jam in provinciis regendis avaritia sibi alimentum quæreret, ad quas obtinendas largitiones, atque inde rapinæ, exactiones, ærariumque dilapidatum, magis magisque in usu esse cœperant; in repetundis primum ab antiquis judiciorum ambagibus et moris recedere visum est, atque prima de repetundis quæstio perpetua, lege Calpurnia A. U. 605, deinceps vero, aliorum criminum quæstiones perpetuæ institutæ sunt (19). Cuivis quæstioni perpetuæ unus ex prætoribus, jurisdictionem non habentibus, præerat; adhibitæ ad eas sunt judicum decuriæ, et magistratibus propriis ad accusandum non institutis, unicuique e populo Romano permissum erat reum in judicium adducere (20).

---

(19) G. H. Nieupoort Rituum, qui olim apud Romanos obtinuerunt, succincta explicatio. Ed. 5. p. 118.

(20) Cfr. Bachii historiam juris, pag. 103. Romæ magistratus fuisse, quorum munus erat speciale nocentes judicio persequi, apparere dicit Adam Antiq. Rom. T. I. p. 587, ex Cicerone pro Sext. Amer. 20, et ex Plinio Epist. III. 9. 4. Hæc loca diligenter perlegi, sed in iis nihilum, unde auctoris sententia confirmaretur, deprehendi. Imo ex loco Ciceronis de Legg. III. 47. ab eo laudato, contra eum argumentum a contrario institui posset. Ad eam, quam habet Adam sententiam confirmandam Buchaldus in Comm. ad leg. XII. Tabb. T. II. p. 197, Plinii epist. lib. III. 17. allegat; quod errore et pro loco a nobis adducto citatum videtur; nam in illa epis-

Præter quæstiones perpetuas tamen *extra ordinem* quæstiones criminum antiquo more in singulis casibus usque ad ultima reipublicæ tempora exercebantur, cujus rei exempla apud CICERONEM leguntur (21). Omnia vero judicia, sive a quæsitoribus perpetuis, sive ab aliis extra ordinem exercerentur, tanquam judicia publica judiciis privatis coram prætore urbano et peregrino opponebantur (22); et ad hanc judiciorum distinctionem sane ipsorum delictorum distinctio in publica et privata referebatur.

Præter crimina autem, quorum coërcitio ad judicium publicum, et delicta, quorum mulctatio ad judicium privatum pertinebat, multa alia facta vel ab ædilibus, jam ante prætorem urbanum institutis, ut urbis curam haberent, mulctari, vel a censoribus, jam ante quæstiones perpetuas creatis, ut penes eos morum regimen esset, animadverti poterant liberæ reipublicæ temporibus (23). Hæc vero facta, nec ad crimina publica, nec ad delicta privata pertinuisse videntur, et tantum mulctis et notis animadvertebantur. Tempore imperatorum in locum

---

tola nil ad rem nostram pertinens reperiri potest. Origo vero propriorum magistratuum ad accusandum institutorum, ex multo recentioribus temporibus repetenda est. Cfr. LE GRAVEREND Législ. crim. T. I. p. 385, MEYER Esprit, origine et progrès des institutions judiciaires, T. III. pag. 260 sqq.

(21) De finib. Bon. et Mal. II. 16. Brutus cap. 22.

(22) Judicia *populi* ipsius an recte ab HEINECCIO in Antiquitt. lib. IV. tit. 18. §. 24. *publicis judiciis* opponantur, dubium est.

(23) NIEUPOORT p. 123 et 156 sqq.

ædilium *praefecti vigilum* successerunt, et in præfectura morum, quam per proprios magistratus exerceri curabant imperatores, *praefecti urbis* potestas, quædam facta animadvertendi, originem duxisse verisimile est (24). Paulatim tamen graviores punitiones per præfectos vigilum et urbis præfectos infligi solebant, quam quondam ab ædilibus vel censoribus infligebantur, et non solum quædam delicta, ex quibus prius tantum actio pœnalis læso dabatur, judicio privato exercenda, sed omnia crimina, ex legibus judiciorum publicorum puniendi, sublatis quæstionibus perpetuis, ad eorum cognitionem pervenerunt (25). Inde ab eo tempore tantum inter delicta ad jurisdictionem civilem pertinentia et inter crimina ad jurisdictionem criminalem spectantia distinguebatur; contra quædam tamen facta et civiliter et criminaliter agi poterat (26), et in omni casu, quid crimen censendum esset, ab imperatorum arbitrio pendebat. Delicta, ad jurisdictionem civilem pertinentia, adhuc delictorum privatorum nomine a criminibus, ad jurisdictionem criminalem pertinentibus, sive criminibus publicis distinguebantur. Ut tamen a delictis privatis, judicio privato judicandis, quædam *quasi delicta*, ex quibus *actio popularis* dabatur, distincta fuisse videntur, sic etiam a criminibus publicis, legibus judiciorum publicorum puniendis, crimina extraordinaria, extra ordinem coërcenda, distinguebantur. Nam « non omnia » inquit MACER (27), « judicia in quibus

(24) Cfr. Tit. D. de officio præfecti vigilum et de officio præfecti urbis.

(25) L. 1. D. de off. præf. urb.

(26) L. ult. D. de Furtis.

(27) L. 1. D. de publ. judiciis.

crimen vertitur, et publica sunt, sed ea tantum quæ ex legibus publicorum judiciorum veniunt, ut Julia Majestatis, Julia de Adulteriis; » et in alio loco (28) : « Infamem non ex omni crimine sententia facit, sed ex eo quod judicii publici causam habuit. »

In genere ergo *delicta criminibus* opposita, et illa vel delicta *privata*, vel delicta ex quibus actio *popularis* dabatur, crimina vero vel *extraordinaria*, vel *publica* fuisse videntur ; quare etiam in Digestis, in quatuor titulis proxime sequentibus, de *privatis delictis*, de *extraordinariis criminibus*, de *actionibus popularibus*, de *judiciis publicis* tractatur (29). Interdum tamen sub delictis *privatis* ea quoque, ex quibus actio popularis nascitur, comprehenduntur, et crimina ex constitutionibus imperatorum punienda *publica* (30), crimina publica etiam interdum *delicta publica*, delicta privata vero non sane *crimina privata* dicuntur (31). In L. 1. §. 3. D. de pœnis, quidem de *criminibus privatis* sermo est, sed sub hoc nomine certe *extraordinaria crimina* intelliguntur, scilicet facta quæ quidem *criminalem* cöercitionem, sed causam *privatam* habent (32), ut ex ipsis

---

(28) L. 7. D. eod. Publica crimina etiam *legitima* dicta sunt. L. 3. §. 2. D. stellionatus.

(29) Quoad actiones populares cfr. tit. Dig. de His qui effud. vel dejec. et tit. Inst. de Obligat. quæ quasi ex delicto nascuntur.

(30) L. 2. §. 8. D. de veter. jur. enucleando L. 4. §. 1. C. de hæreticis.

(31) *Crimen* dicitur suspecti tutoris improprie, ut etiam actio contra eum data improprie *accusatio*. Vid. inferius not. 38.

(32) Cfr. etiam L. 1. §. 1. D. de Incendio, ruina etc. Si itaque delicta

verbis illius legis « qui extra ordinem cognoscunt præfecti » satis patet, et ex eo quod plurima criminum extraordinariorum non multum a *delictis privatis*, quoad suam naturam, differunt, de iisque in *eodem* libro in quo de delictis, et adhuc *ante* ipsas *actiones populares* sermo est, licet tempore Justiniani actiones populares ad jurisdictionem civilem ut delicta privata, crimina extraordinaria vero ut publica ad jurisdictionem criminalem pertinebant. In genere crimina expilatæ hæreditatis, stellionatus et qu. s. r. *extraordinaria*, magis delictorum *privatorum* quam criminum publicorum oppositione dicta esse videntur, ut patet ex leg. ult. D. de privat. delict. ubi dicitur : si quis ex delicto veluti furto *pecuniariter* agere velit, ad *jus ordinarium* remittendus erit, si vero *extra ordinem* ejus rei pœnam exerceri velit, eum in *crimen* subscribere opportebit; ideoque etiam crimina *delicta extraordinaria* dici potuissent. Denominatio vero *criminum extraordinariorum* fortasse præferenda videbatur, quia eo nomine præter plurima facta quæ antiquitus tantum *delicta privata* erant, multa alia puniri voluerunt imperatores, quæ quondam tantum *peccata censoria* vel tantum ab ædilibus mulctabantur, vel alia ex ratione punienda videbantur. Cæterum verba : delicta de quibus *extra ordinem cognoscitur*, crimina quæ *extraordinariam cöercitionem* habent, crimina *extraordinaria*, delicta quorum *pœnae extra ordinem* exercentur, sæpissime ad idem spectare puto.

---

privata interdum crimina dicuntur, ita adpellantur ratione exsecutionis criminalis quam simul habent, sed nunquam ratione actionis forensis quæ ex iis oritur; quare nullibi obligatio ex crimine dicitur.

Non tamen crimina extraordinaria serioris ævi confundenda sunt cum criminibus quæ extra ordinem, reipublicæ liberæ temporibus, post quæstiones perpetuas institutas, per populum puniri solebant, licet fortasse ex eo quod imperatores populi jura ad se translata, et quædam facta a se, ut quondam a populo, extra ordinem coërcenda esse crediderunt, criminum extraordinariorum origo pro parte repetenda sit. Quare etiam sæpius extra ordinem vel imperatores ipsi de criminibus cognoverunt, vel cognovit senatus, qui etiam in legum ferendarum potestate cum principe participavit (33); utque populus quondam vel ipse extra ordinem judicavit, vel per consules aut quæsitores speciales judicium exerceri jussit, ita etiam imperatores vel ipsi cognoverunt, vel cognitionem extraordinariam præfectis urbis et vigilum mandarunt. Quum vero hi simul ædilium et censorum munus exercere viderentur, non omnibus eorum cognitionibus effectum judiciorum publicorum dari, et crimina extraordinaria omnia usque ad Justinianum adhuc a criminibus publicis distingui placuit, licet horum punitiones tantum nomine adhuc ex legibus judiciorum publicorum descenderent, et non solum, quæstionibus perpetuis abolitis, et præfecto urbis omnium criminum judice constituto, illarum legum pœnæ et judiciorum publicorum formæ mutatæ, sed etiam ad alia facta pœnæ, quæ adhuc legum esse dicebantur, extensæ essent (34). Ex his etiam explicari potest

---

(33) Hæc præcipue confirmantur loco QUINCTILIANI Inst. Orat. III. 10. « Quod nunc in publicis judiciis non accidit, quoniam prætor certa lege sortitur, *principum* autem et *senatus* cognitionibus frequens *est*, et populi *fuit*. » Cfr. lib. VII. cap. 2.

(34) Cfr. L. 8. D. de publ. judiciis. L. 7. 8. C. ad Leg. Corn. de Sicc.

14.

cur præfectus urbis in antiquis inscriptionibus sacrarum cognitionum judex dicatur (35), et damnatus a senatu, damnatis judicio publico opponatur (36). Cæterum et ea de quibus præfecti vigilum, et ea de quibus præfecti urbis cognoverunt, *crimina* erant, et illi ut hi *capitalem* pœnam irrogare potuisse videntur (37), licet illi fortasse tantum de *extraordinariis* criminibus cognoscere poterant, hi tamen non solum de *publicis* judicabant (38). Tandem adhuc monendum est, facta, quæ ex sententia legum judiciorum publicorum non punienda, sed vel ex principum rescriptis, vel ex SCtis, vel ex usu fori, vel ex responsis prudentum pœnis legum illarum punienda erant, nihilominus publica crimina dicta fuisse, quare ex SCto Turpilliano calumniæ vel prævaricationis damnatus, judicio publico damnatus censebatur (39). Si vero vel ex SCtis generalibus, vel

---

(35) Philippi Berterii Pithanon diatriba I. in Thes. Ottonis T. IV. p. 837.

(36) Ulpiani fragm. Tit. XIII. §. 2.

(37) L. 15. D. de condictione causa data; ubi loco *præfecti vigilum*, *præfecti urbis* legendum esse putat Noodt Probab. Jur. Lib. II. cap. 5. quod vero improbat Bynkershoek Observatt. Jur. Lib. II. cap. 8.

(38) Cfr. ex. g. L. 1. §. 7. D. de Offic. præfecti urbi; unde patet contra tutores male versatos in tutela, non solum quasi accusationem suspecti tutoris, quæ magis ad judicia privata, vel actiones populares accedebat, apud Prætorem institui, sed etiam criminaliter agi potuisse apud præfectum urbi, in quo casu factum tutoris certe non ut publicum crimen, sed ut extraordinarium considerabatur. Cfr. L. 17. §. 1 et 2. de testam. tutel. L. 1. D. de suspectis tutoribus. L. ult. D. de privat. delict. Hac ex causa fortasse etiam de *crimine* suspecti tutoris sermo est.

(39) Cfr. L. 1. §. 6. D. de postulando; et Tit. D. ad SCtum Turpillianum, iis titulis adnexum, qui de publicis judiciis tractant.

ex principum edictis facta, ad nullam legem judiciorum publicorum spectantia, pœnis, iisque gravissimis punienda erant, saltem sub prioribus imperatoribus publica crimina non dicta fuisse videntur, serius tamen ex. g. hæresis ex constitutionibus imperatorum publicum crimen dicebatur (40).

His præmissis propius ad propositum nostrum accedere licebit, et antequam examinemus an apud Romanos delicta culposa unquam judicio publico, sive tanquam publica crimina punita fuerint, paucis disceptare, an in genere in facta culposa unquam Romani animadverterint. Eos vero diversis temporibus diverso modo non solum facta ex quibus læsiones per culpam ortæ erant, sed etiam facta culposa quibus læsio nulla effecta erat, pœnis adfecisse probare haud difficile est. Jam enim ex lege XII. tabularum eos qui incendia culpa excitaverant, castigari potuisse, ex loco GAJI in Pandectis contento patet (41); et ob damnum injuria datum, licet levissima culpa, legis Aquiliæ pœnam dandam fuisse notum est (42). Porro ex prætoris edicto hæc in Pandectis continentur : NE QUIS IN SUGGRUENDA PROTECTOVE SUPRA EUM LOCUM, QUO VULGO ITER FIET, INVE QUO CONSISTETUR, ID POSITUM HABEAT CUJUS CA-

---

(40) L. 4. C. de hæret. Cfr. L. un. C. de mulierib. qu. se serv. prop. junxerunt. In genere in Codice non multa distinctionis criminum in publica et extraordinaria ratio habetur, quare etiam titulis, qui de legibus judiciorum publicorum tractant, tituli de criminibus extraordinariis tractantes, partim jam in Pandectis obvii, partim alii, ex. g. de raptoribus virginum, de maleficis et mathematicis, intermixti inveniuntur.

(41) L. 9. D. de incen. ruin.

(42) L. 44. D. ad Leg. Aquil. GAJI Instit. Comm. III. 211.

SUS NOCERE CUI POSSIT. Ex eo facto obligatio quasi ex delicto nasci dicebatur, et actio popularis dabatur, qua mulcta petebatur : QUI ADVERSUS EA FECERIT, IN EUM SOLIDORUM DECEM IN FACTUM JUDICIUM DABO (43). In plebiscito, quod in aversa parte tabulæ Heraclæensis continetur, similia legimus : QUÆ VIÆ IN URBE ROMA, PROPIUSVE URBEM ROMAM PASSUS MILLE, UBI IN CONTINENTI HABITABITUR, SUNT, ERUNT, CUJUS ANTE ÆDIFICIUM EARUM QUÆ VIÆ ERUNT, IS EAM VIAM ARBITRATU EJUS ÆDILIS, CUI EA PARS URBIS HAC LEGE OBVENERIT, TUEATUR, ISQUE ÆDILIS CURATO, UTI QUORUM ANTE ÆDIFICIUM ERIT, QUAMQUE VIAM HAC LEGE QUEMQUE TUERI OPORTEBIT, EI OMNES ARBITRATU EJUS TUEANTUR, NEVE EO LOCO AQUA CONSISTAT, QUOMINUS COMMODE POPULUS EA VIA UTATUR; et in alio ejusdem plebisciti loco, simili præscripto pœna additur his verbis : QUI ADVERSUS EA FECERIT, IS INTRA TRES MENSES I. HS. D. POPULO DARE DAMNAS ESTO, EJUSQUE PECUNIÆ, QUI VOLET, PETITIO ESTO (44). Ædiles quoque præcipue ædificia publica et ut viæ mundæ essent, curare debuisse, et eos, qui hac occasione deliquissent, punire potuisse, aliunde scimus, et censores in eos, qui agrum male colerent, vel equum publicum male pastum haberent, notas suas infligendi potestatem habuisse, apud plures auctores legitur (45). Huc denique plura SCta referenda sunt ex quorum uno ex. g. præscriptum erat, NE CUI PRIVATO AQUAM DUCERE EX PUBLICIS RIVIS LICERET,

---

(43) L. 5. §. 6 et 13. D. de his qui effud. vel dej. et §. 1. Inst. de oblig. quæ qs. ex del. nasc.

(44) Apud MAZOCHIUM. pag. 304. 324.

(45) Cfr. NIEUPOORT. l. l.

UTIQUE OMNES II, QUIBUS AQUÆ DUCENDÆ JUS ESSET, EX CASTELLIS DUCERENT; alii simili addita est pœna, SI QUIS ADVERSUS EA COMMISERIT, IN DENA MILLIA DAMNAS ESTO, DEQUE EA RE CURATORES AQUARUM JUDICANTO (46). Plurima factorum hucusque nominatorum talia sunt qualia contra disciplinam publicam admissa hodie adpellamus, eaque ad delicta culposa pertinere superius exposuimus. Diversis itaque temporibus et legibus, et plebiscitis, et SCtis, et edictis prætorum, et per censores, et per ædiles, nec minus certe ex imperatorum constitutionibus, per diversos magistratus in delicta culposa animadvertebatur. An vero unquam per culpam admissa publica crimina judicio publico punienda fuerint, nunc videamus adcuratius in sectione sequenti, ita ut argumenti nostri historiam in quatuor periodis narremus.

SECTIO II.

AN ROMANI UNQUAM IN DELICTA CULPOSA POENAM PUBLICAM STATUERINT.

§. I.

Ab Urbe condita ad XII. tabulas.

Si quis legum originem apud populos diversos diligentius investigaverit, earum sæpius apud diversissimos similia initia fuisse facile intelliget. Sic, ut apud Judæos delicta præcipue

(46) Brissonius de formulis pop. rom. Francof. 1755, pag. 185. sq.

culposa sacrificiis expiari poterant (1), et apud Athenienses aliosque populos Græciæ (2), ita apud Romanos quoque jam ab antiquissimis temporibus ejusmodi piacula in usu fuisse in homicidiis culpa commissis traditur. Jam a Romulo legem in parricidas latam (3), sub parricidis vero cujusvis generis homicidas intelligendos esse (4), fertur. Post eum Numa Pompilius, qui præcipue religionibus et divino jure populum devinxisse dicitur (5), auctore FESTO (6), legem sanxit hanc : SIQUIS HOMINEM LIBERUM DOLO SCIENS MORTI DUIT, PARICIDA ESTO; aliamque ita a JOSEPHO SCALIGERO (7) restitutam : SEI

---

(1) MICHAELIS Mosaisches Recht. ed. 3. Francf. 1803 vol. V. §. 244.

(2) Vid. quæ ad POMP. FESTUM, in usum Delphini, edit. Amstel. 1700. p. 536. ad vocem *subici*, notat SCALIGER.

(3) BACHII hist. jur. p. 9.

(4) FESTUS sub voce *parici*.

(5) TACITI Annal. III. 26. 27.

(6) Sub voce *parici*.

(7) Ad FESTUM l. l. ubi vir doctissimus hæc habet : « Cujus legis ultimum membrum concinnavimus ex schediis SERVIANIS, in quibus hujus legis mentio fit : ut si quis imprudens hominem occidisset, pro capite occisi, et natis ejus in concione arietem offerret. » SERVIUS vero ad verba VIRGILII in Georg. lib. III. v. 387. *Aries sit candidus ipse*, hæc notavit : « Bene enim addidit *ipse*, quasi qui ut dominus gregis est, aut qui ante pro damno capitali dari consueverat. Nam apud majores homicidii pœnam noxius arietis damno luebat : quod in regum legibus legitur. » Sane autem SCALIGER aliunde illam legem concinnavit; hic enim locus Servii in eam non quadrat; alium, qui magis quadret, ignoro. Quare credendum est quod dicit BUCHALDUS in Comment. XII. Tab. T. II. p. 50, SCALIGERUM habuisse schedia SERVIANA nondum edita.

IMPRUDENS SE (8) DOLO MALO OCCISIT, PRO CAPITE OCCISI ET NATEIS EJUS, IN CONCIONE ARIETEM SUBICITO (9). Auctore FESTO (10) vero CINCIUS, in libro de officio JCti, scripsit arietem subjici exemplo Atheniensium apud quos *expiandi causa* aries inigeretur ab eo, qui scelus admisit, *pœnae pendendae* loco. Eodem modo illa piacula apud Hæbreos in usu erant, minus pœnæ causa quam ut iis pœna publica evitaretur, quare ea eruditissimus juris Mosaici investigator MICHAELIS (11), potius *quasi-poenas*, vel *criminum absolutiones* adpellandas esse existimat. Nec aliam indolem expiationes a Numa institutas habuisse, nec eas tanquam mulctas considerandas esse censet WELKERUS (12). Earum enim, ait vir consultissimus, plures ab eo rege institutas esse, veluti in nota lege : PELLEX ARAM JUNONIS NE TANGITO. SI TANGET JUNONI, CRINIBUS DEMISSIS, AGNUM FOEMINAM CÆDITO; vel si mulier post mortem mariti secundas nuptias nimis acceleraverit; notas esse præterea totius populi lustrationes, dum census ageretur, et expiationes adhuc serioribus temporibus, præter publicas delictorum pœnas, in usu fuisse. Porro putat fortasse ipsa dolosa homicidia ex lege Numæ ita expiari potuisse : verbis enim SI QUIS HOMINEM LIBERUM DOLO SCIENS MORTI DUIT PARRICIDA ESTO, nequaquam dici homicidam summo supplicio esse adficiendum, et ex PLINIO notum esse homicidia levius furtis quibusdam punita fuisse ex XII. tabulis. Nec hæc

(8) i. e. *sine*. Cfr. FESTUS ad vocem *sed*, et ad hunc locum notata.
(9) Ut pro nocente cædatur. ANTISTIUS apud FESTUM s. v. *Subici*.
(10) Eod.
(11) L. l.
(12) Ueber Recht, Staat und Strafe. Giessen. 1813. p. 537. sqq.

sententia omni veritate destituitur, nam etiam apud Hæbreos, ut refert MICHAELIS (13), delicta graviora, in quæ ex legibus ipsa pœna capitalis sancita erat, sacrificiis exilibus expiari poterant; et apud Athenienses et alios Græcos, ut notat SCALIGER (14), non solum qui ἀκούσιον φόνον, sed et qui ἐκ προνοίας fecissent, pecudibus immolandis expiari soliti sunt, ut de Oreste et aliis proditur; sique ex legibus Atheniensium in leges suas Numa illud, quod supra de cæde culposa indicavimus, retulerat, similia fortasse etiam de cæde dolosa sanxerat. In genere pœnæ apud Romanos, ut in aliis civitatibus theocraticis, antiquissimis temporibus, tanquam media iram Deorum leniendi, vel, ut apud populos germanicos, tanquam media vindictæ privatæ satisfaciendi, consideratæ fuisse videntur, unde adhuc, in XII. tabulis, pœnæ verbis « *talio* esto, vel *sacer* esto » sancitæ reperiuntur. Ut vero *talio* pactione privata, ita fortasse *supplicium* (15) voluntario sacrificio, quod simul culpæ confessionem contineret, tolli poterat. Ex causis similibus apud Hæbreos *piacula*, apud Germanos *compositiones* origines duxerunt (16); et expiatio a Numa præscripta pro cæde culposa duplicem hanc indolem habuisse videtur; unde explicari potest, cur hostia ab interfectore subigenda fuisse dicatur, pro capite occisi *natisque* ejus, et in *concione*, qua voce con-

(13) L. l.

(14) L. l.

(15) VAN WALREE de Antiqua juris puniendi conditione apud Romanos. Lugd. Bat. 1820. p. 21. sqq.

(16) MICHAELIS l. l. et ROGGE Gerichtswesen der Germanen. Halle. 1820. p. 195. sqq.

ventus a *magistratu*, vel a *sacerdote publico*, per *praeconem* convocatus significatur (17). Inde etiam eum, qui arietis damno scelus luere et culpam confiteri noluit, vel vindictæ privatæ cognatorum occisi relictum, vel tanquam sacrum summo supplicio adficiendum fuisse puto, cui tamen fortasse voluntario exilio se subtrahere poterat, ut etiam apud Græcos interfectores ex imprudentia, ut superius monuimus, nisi cognatos quoquo modo placassent (quod sane pecudis immolatione fieri poterat), exilii pœnam subierunt (fortasse etiam ad mortem evitandam). In hæc quadrant verba SERVII, qui homicidii pœnam noxium *damno arietis* luisse, et arietem pro *capitali damno* datum esse refert; et ex his fortasse etiam mos generalis temporum posteriorum ortus, ex quo damnatis exilio supplicium evadendi facultas data est, unde CICERO (18) exilium non supplicium, sed perfugium portumque supplicii esse dicit. Si hæc nostra præsumptio veritate nititur, homicidia culposa certe ad ea crimina pertinebant, de quibus ex Servi Tullii institutione rex ipse sibi judicium reservavit, et quum in hoc fortasse, ut supra diximus, delictorum publicorum et privatorum distinctionis prima origo quærenda sit, jam tunc temporis quædam culposa facta publica delicta, et ideo pœna publica in nostro sensu animadvertenda fuisse videntur, licet ea nomina nondum in usu essent.

Cæterum ex eo quod dicit FESTUS de CINCIO (19), et de

---

(17) FESTUS ad vocem *concio.*

(18) Pro Cæcina. Cfr. NICOL. ANTONIUS de Exilio. Antverp. 1659. Lib. I. cap. 5. n. 4.

(19) *Quod fit, ut ait* CINCIUS, *in libro de officio Jureconsulti, exemplo Atheniensium.*

15.

Antistio (20), conjectari posset expiationem per arietem, tempore horum prudentum, nondum obsoletam fuisse. Et hoc etiam confirmatur hoc loco Ciceronis (21), qui priore recentior, haud multum ante alterum florebat : « etiam ea quæ fiunt, partim sunt ignorata, partim voluntaria : ignorata, quæ necessitate effecta sunt; voluntaria, quæ consilio. Quæ autem fortuna, vel ignorata, vel voluntaria. Nam jacere telum, voluntatis est; ferire quem nolueris, fortunæ. *Ex quo aries ille subjicitur in vestris actionibus :* si telum manu fugit, magis quam jecit. »

§. II.

A XII. Tabulis ad quaestiones perpetuas institutas.

Multæ in XII. Tabulis pœnæ sanciebantur, sed utrum singula delicta, quorum in iis mentio facta erat, talia de quibus a magistratibus non nisi ex jussu populi speciali quæri poterat, an alia, sive, utrum publica an privata fuerint, ex pœnarum statutarum indole discendum non est. Quædam enim delicta gravissimos effectus habuisse, et de iis ex generali legis concessione a magistratibus judicari potuisse constat, salva tamen provocatione, quæ ab omni judicio et ab omni pœna fieri

(20) Subigere arietem in eodem libro (in lib. XV. juris pontificii; Pitiscus sub verb. *Aries.* Grævius T. II. p. 1348. Bach. p. 404; et Festus, quem laudat sub verb. *sistere*), Antistius *esse ait dare arietem, qui pro se agatur, cædatur.*

(21) In topicis ad Trebatium. cap. 17.

potuisse videtur (1): contra, jam ante quæstiones perpetuas institutas, in comitiis alicui mulcta dici poterat, ut etiam serioribus temporibus in legibus ipsis publicorum judiciorum pœnæ mere pecuniariæ statutæ erant (2). Quid igitur de castigatione ob incendium culposum (3), cujus in XII. Tabularum lege statutæ jam superius mentionem fecimus, dicendum sit, dubium est, quod ut melius removeatur, idem expedit quærere de nonnullis aliis pœnis, quæ cum nostra affinitatem quamdam habent et cognationem, ut quid de illis compertum habuerimus, de hac nobis pro vero sit habendum. Huc pertinent verbera impuberibus aliisque furibus manifestis cum addictione in servitutem infligenda (4), præterea fustigatio vel ipsa pœna capitis ob famosum libellum, et tandem pœna talionis ob membrum ruptum (5). Atqui hæ pœnæ omnino privatæ fuisse videntur in eo sensu, quod de iis infligendis

---

(1) Conradi Jus provocationum ex omni antiquitate erutum. Lipsiæ. 1723.

(2) Cfr. L. 2. §. 2. D. leg. Jul. de ann. L. 7. de leg. Fab. de plag. eod.

(3) Vid. tab. VII. §. 6. Sic se habet apud Buchaldum Comm. sur la loi des XII tables : « QUEI. AIDES. ACERVOMQUE. FROUCMENTI. AD. AIDES. POSITOM. DOLO. SCIENS. ENDOCENSIT. VINCTOS. VERBERATOSQUE. ICNEI. NECATOR. SEI. IMPRUDENS. SE. DOLO. MALO. DAMNOM. DUIT. NOCSIAM. SARCITOD. SEI. NEC. IDONEOS. ESCIT. LEVIUS CASTIGATOR.

(4) Tab. II. §. 4, et Tab. VII. §. 4.

(5) Tab. VII. §.§. 3. 8. Cf. Augustinus de civitate Dei. II. 9. Gaji. Inst. Comment. III. §.§. 189. 223. Cicero Tuscul. quæst. IV. 2. Pauli Sent. recept. Lib. V. tit. 4. §. 6. Gothofredi probation. ad Tab. VII. in opp. min. pag. 118. sq.

judicari posset apud magistratum qui jurisdictionem habebat, et non opus esset speciali populi jussu ad quærendum de illis delictis ob quæ hæ pœnæ dandæ erant, sed læso agente apud magistratum ordinarium judicium de illis privatum instituendum esset. Nec obstat illud principium : DE CAPITE CIVIS NISI PER MAXIMUM COMITIATUM NE FERUNTO. Omnia enim delicta, in quæ illæ pœnæ statutæ reperiuntur, talia sunt, quæ ut furta, injuriæ, inde ab eo tempore quo privatorum delictorum nomen in usu esse cœpit, usque ad Justinianum pro privatis habebantur, ad jurisdictionem prætoris pertinentibus, etiamsi quoque extra ordinem, quod serius obtinuit, cöercebantur (6). Porro de pœnis illis talionis et addictionis in servitutem, postquam prætor, ut de causis privatis jus diceret, institutus esset, adhuc ab eo ipso per aliquod tempus cognosci potuisse, patet ex eo, quod prætoris edicto illæ pœnæ abolitæ esse dicuntur (7). Quamvis enim in jure mutando magna prætori concessa esset potestas, attamen de iis, quæ extra jurisdictionem ejus erant, edicere non potuit; unde pœnas modo dictas, quas in pecuniarias edicto suo mutabat, ad eas causas de quibus jus dicere solebat necessario pertinuisse, atque ideo privatas fuisse, omnino credendum est. Tandem verisimile est omnes illas pœnas tantum infligendas fuisse, nisi læsionis auctor cum læso pacisceretur, quod de sanctione talionis ob membrum ruptum expresse dicitur (8), et sane etiam circa verbera, addictionem

(6) L. ult. D. de furt. Cfr. L. ult. D. de inj. §. 10 Inst. eod. et PAULI recept. sent. lib. V. tit. 4. §. §. 5. 6. 7. 8 et 22.

(7) Cfr. GAJI Inst. comm. §. §. 223. 224. 225 et 189. §. 7. Inst. de inj.

(8) Tab. III. §. 9.

in servitutem et capitis pœnam ob malum carmen conditum locum habuit; ut etiam si quis judicatum non solverit, neque interea pactum fuerit, creditor non solum debitorem in carcerem ducere et compedibus vincire, sed etiam hic in illius servitutem addici, imo adeo in partes secari poterat, si verba legis de debitore in partes secando, quum plures essent creditores, proprie accipere licet (9).

Talio igitur et addictio in servitutem, ut sectio in partes et verbera, multo potius noxæ causa, vel ad implendam vindictam privatam, quam ad satisfaciendum vindictæ publicæ, decernendæ fuisse videntur (10); quare etiam non sane veræ earum pœnarum exsecutiones dabantur, ut etiam GELLIUS dicit, se neque legisse, neque audivisse unquam, quemquam antiquitus dissectum esse; et illud præceptum DE CAPITE CIVIS NON NISI PER MAXIMUM COMITIATUM NE FERUNTO, tantum valebat, si pœna sumenda erat, cujus adplicatio non ab arbitrio privato sed ab omnium consensu penderet, et qua ipsi conjunctioni civili, vel fortasse etiam Diis, satisfaciendum esse credebatur. In hæc quadrant XII. Tabularum verba : IMPUBER PRÆTORIS ARBITRATU VERBERATOR NOXIAMQUE DECERNITO...... NOXIAMQUE DUPLIONE DECERNITO (11), sane ita intelligenda :

---

(9) Tab. III. §. 6. sqq. GELLIUS Noct. Att. XX. 1.

(10) Idem de pœna in carmen famosum constituta, qualisqualis fuerit, dicendum est; quare JCtum HUGONEM, in historia juris, famosos libellos ad delicta capitalia, de quibus ex lege XII. tabb. judicium populo esset, pertinuisse minus recte affirmare puto.

(11) Tab. II. et VII apud BACHIUM pag. 40. 56.

prætor, vel noxiam, vel si impuber impar est noxiæ solvendæ, castigationem decernat, ut etiam auctorem incendii culposi, ex lege XII. Tabb. vel noxiam sarcire juberi, vel, si minus idoneus sit, levius castigari, GAJUS exertis verbis dicit; et serius adhuc præceptum valuit, *luat corpore, qui non potest aere* (12).

Verba ipsa ex *arbitratu praetoris* pro nostra sententia faciunt, ex his enim has causas *praetor*, quasi arbiter inter læsum et læsionis auctorem, judicasse videtur. Castigationem itaque ob incendium culposum decernendam ex legibus XII. Tabb. mere privatam fuisse, ex supra dictis facile conficiemus; nec quemquam ea de re in ambiguo diu versari posse credimus eo magis, quod pro damni sarcitione simplici, et ne pro vera quidem pœna pecuniaria infligebatur illa castigatio, si quis damno reparando impar erat (13). Accedit, si quid tandem

(12) Cfr. L. 1. D. de pœn. L. 7. §. 3. de jurisdict. L. ult. in fin. de in jus vocand. L. 9. de incend. eod. L. 6. in fin. C. de modo mulct. L. 4. vers. *quod si.* de servis fugit. L. 12. §. 5. et ult. in fin. de ædif. privat. eod. etc.

(13) Quod ex verbis GAJI *levius castigator* efficit BUCHALDUS, in commentariis suis ad legem XII. Tabb. scilicet incendii culposi pœnam non semper *civilem* fuisse, nullis argumentis nititur, nisi sub civili non aliam quam pœnam *pecuniariam* intellexerit, de qua tamen in loco GAJI nequaquam sermo est, ubi tantum simpliciter de damno sarciendo agitur; unde ejus mens, saltem pro captu ingenii nostri, non admodum in promptu est. Ne autem multus in istis sim, quidquamve desiderandum omittere videar, totum locum hic adducam : sic enim habet T. II. p. 19 sq. ad verba *noxiam sarcito* : « ce qui n'est qu'une peine civile. — Notre loi se contente en général de la réparation du dommage, d'une peine civile. Nous disons *en général*, parce que tout de suite la loi ajoute cette

dubii superesse posset, quod procedente tempore culposa incendia *civiliter* (14) exerceri pergebant, et quod actio *incensarum aedium* (15) dabatur, porro quod ad explicandum, quid sit « *civiliter exercere fortuita incendia* », additur a JCto: « ita ut qui jactura affectus est, *damni disceptet*, vel *modice vindicetur*. » Imo adeo ipsa pœna incendii dolosi « VINCTUS VERBERATUS IGNI NECARI JUBEATUR » fortasse tunc tantum adplicabatur, nisi læsionis auctor læsum quoquo modo placasset; quare etiam posterioribus temporibus de incendio doloso nulla lata est lex publicorum judiciorum peculiaris, pœnæque in id sancitæ mentio fit in Pandectis, ubi de *delictis privatis* agitur, et quamvis postea adhuc crimen illud capitali pœna adficeretur, *extraordinarium* tantum fuisse videtur (16). Fortasse etiam ex illo

---

exception, *si non idoneus fuerit, levius castigator*; s'il n'est point en état de réparer le dommage, s'il est insolvable, il doit être puni plus légèrement, c'est-à-dire qu'il doit à la vérité payer en sa personne, ne pouvant payer en argent, qu'il doit être mis en prison et même battu de verges, mais non à outrance, ainsi qu'on en usait à l'égard de ceux qui devaient ensuite subir la mort. » Cæterum verbum *levius*, quod verbo *castigator* apud GAJUM adjectum est, non comparationem cum sarcitione damni indicare, non est quod moneam.

(14) L. 28. §. 12. D. de poen.

(15) L. 7. §. 13. D. de pactis. Cfr. L. 27. §. 9. et L. 30. §. penult. ad leg. Aquil. eodem. Cfr. THALELÆUS ad leg. 1. Cod. ad leg. Aquil. et L. 28. §. 12. D. de pœn. in Basilicorum FABROTI T. VII. p. 115 et p. 857.

(16) Cfr. L. 1. §. 1. D. de incend. L. 12. §. 1. eod. L. 28. §. 12. D. de pœn. Quidam incendiarii tamen ex lege Cornelia de sicariis et ex lege Julia de vi puniri poterant. L. 1. pr. D. ad leg. Corn. de sicc. L. 1. pr. D. ad leg. Jul. de vi. Cæterum ex L. 9. D. de incend. minus recte ef-

more antiquo, ex quo quædam privata delicta duplicem exsecutionem, pecuniariam scilicet et corpoream, quodammodo ex læsi arbitrio habebant, crimina extraordinaria serioris ævi originem duxerunt, et imperatores, postquam prætores damni æstimatione delictorum pœnas privatas leniissent, contra ea extraordinariam cöercitionem concesserunt (17).

De pœna capitali ex XII. Tabb. in eum, qui fruges aratro quæsitas furtim noctu secuerit, (18) constituta non idem dicendum est, quod de doloso incendio : hoc enim crimine simul Dii læsi credebantur, et ideo Cereri necandus videbatur ejus auctor; quare etiam in hoc furtum gravius quam in homicidium antiquitus animadversum esse, PLINIUS (19) refert. Sed fortasse sacrificiis expiabatur illud crimen; quare etiam, serioribus temporibus, antiquæ illius pœnæ furti segetum non amplius fit mentio.

---

ficitur, pœnam ignis a XII. Tabulis usque ad tempora remotissima in usu fuisse; hic enim locus tantum ad indicandum jus antiquum in Pandectis contineri videtur. Aliter sentit ROSSHIRT Crim. Recht. p. 261. Nostram sententiam confirmat, quod crimen extraordinarium termini moti prius in servo pœna capitali puniebatur, si ejus dominus mulctam non solvit. L 3. §. 1. D. determin. moto.

(17) Unde etiam PAULUS Sent. recept. lib. V. tit. 4. §. 15–17. refert, in eos auctores, qui famosos libellos in contumeliam alterius proponant, *extra ordinem* usque ad relegationem insulæ vindicari; et eum, qui carmen famosum in injuriam alterius composuerit, *ex auctoritate amplissimi ordinis* in insulam deportari. Cfr. tamen quæ superius de criminum extraordinariorum origine diximus passim, ad quæ addi potest locus PAULI eod. tit. §. 21. « Quod factum contemplatione *morum et causa publicæ honestatis* vindictam extraordinariæ ultionis exspectat. »

(18) Tab. VII apud BACHIUM p. 56.

(19) Histor. natural. XVIII. 3.

An alia facta culposa a XII. tabulis usque ad quæstiones perpetuas institutas publicis pœnis punienda fuerint, omnino temporum obscuritate latet. Nec enim præter incendium culpa excitatum aliorum culpa admissorum in legum XII. Tabb. fragmentis mentio fit, nec ex ullo historicorum testimonio exemplum judicii publici, ob factum culposum, adferre possum. Talio ob membrum ruptum permissa XII. Tabb. fortasse æque dolum ac culpam spectabat. Sed eam non ad pœnas judicio publico exsequendas pertinuisse, sufficienter nos probasse credimus. Fortasse etiam jam in singulis legibus ante primam quæstionem perpetuam institutam admissa contra disciplinam publicam, quæ ad culpam pertinere superius diximus, prohibita, et pœnæ in eadem statutæ erant his verbis : QUI SECUS FECERIT PECUNIAM POPULO DARE DAMNAS ESTO; ut ejus rei exemplum legimus in lege tabulæ Heraclæensis, saltem non multo post primam quæstionem perpetuam institutam lata (20). Sed ut præcipue ex formula illi sanctioni plerumque adjecta patet, EJUS PECUNIÆ, QUI VOLET PETITIO ESTO, harum pœnarum exsecutio se ad actiones *populares* serioris ævi referre videtur (21); actiones populares vero, ut quasi accusatio

---

(20) Cfr. HUGO Rechtsgeschichte ed. 8. p. 280. MAREZOLL Fragmenta legis Rom. in aversa Tabulæ Heracl. parte. Gotting. 1816. p. 76. sqq.

(21) DIRKSEN Observatt. ad Tab. Heracl. p. 61. sqq. Saltem in tali casu judicium non publicum erat arg. L. 3. D. de term. mot. ubi dicitur : « Lege agraria quam Cajus Cæsar tulit adversus eos, qui terminos statutos moverint extra fines suos dolo malo, pecuniariam pœnam constitutam esse, et ejus actionem, petitionemve ei qui volet, esse concessam. » Quum vero crimen termini moti extraordinarium esset serioribus temporibus, sane ejus judicium prius non publicum erat.

suspecti tutoris, non judicio publico exercebantur, sed ad prætoris jurisdictionem pertinebant. Tandem an NUMÆ lex de homicidio culpos olata in XII. Tabb. recepta fuerit, plane ignoramus; nec, licet serius adhuc ejusmodi homicidiorum expiationes in usu essent, in eum qui tali modo expiare scelus noluerit, amplius pœnæ publicæ in usu fuisse videntur; nec eum qui culpam sacrificio expiaverat, eæ ignominiæ notæ plectebant, quæ judicio publico damnatum sane jam tunc temporis sequi solebant. Nihil tamen certi ex hac ætate de culposorum delictorum punitionibus dici potest; quare ad ætatem quæstionum perpetuarum transeamus, ex qua saltem plurium legum judiciorum publicorum notitiam habemus, licet etiam circa harum legum sanctiones multa perobscura maneant.

§. III.

A quæstionibus perpetuis institutis ad criminum extraordinariorum originem.

Plurimæ legum judiciorum publicorum, quibus quæstiones perpetuæ institutæ sunt, his verbis : « SI QUIS SCIENS DOLO MALO, » inchoasse videntur, et ex his jam effici potest, ex illis potissimum dolosa facta punienda fuisse. In quibusdam ipsum nomen criminis publici ex iis puniendi culpæ notionem excludit, ut in lege Cornelia de falsis (1). In aliis ad cri-

(1) Notandum est falsum, quod pœna legis Corneliæ serius ex SCtis et constitutionibus principum puniendum erat, *quasi-falsum* adpellari in L. 1. §. ult. D. ad leg. Corn. de fals. collato cum §. 1. et 2. ejusd. legis. Unde etiam omnia facta quæ legis ullius judiciorum publicorum exten-

men publicum, ex iis puniendum, denotandum ex industria verbum generalius, quo et doli et culpæ notio contineretur, evitatum esse videtur, ut lex Cornelia, ex qua *homicidia* animadvertebantur, *de Sicariis* dicta est (2), qua voce potius dolosi homicidæ significantur. Et revera PAULUS, in libro singulari de publicis judiciis, ad legem Corneliam de Sicariis scripsit (3), licet ex hac lege puniri possit homicidii conatus (dolus pro facto accipiatur), ex ea tamen homicidium culposum non puniendum esse (culpam latam pro dolo non accipi); indeque putatorem ex arbore, qui quum ramum dejecisset nec proclamaverit, prætereuntemque occiderit, ad hujus legis cöercitionem non pertinere. Hoc ipsum exemplum demonstrat, JCtum inter legem Corneliam judicii publici, et legem Aquiliam judicii privati, comparationem facere voluisse (4). Ex qua posteriori contra, licet nemo ob solum conatum teneretur, culpa æque ac dolus puniebatur.

In genere, quod PAULUS circa culpam de lege Cornelia dixit, omnibus legibus judiciorum publicorum tanquam præceptum

---

tione puniebantur, et quæ magis ad *publica* crimina quam ad *extraordinaria* accedere superius diximus, *quasi-crimina* vel crimina *quasi publica* adpellare licebit, ex analogia eorum quæ *quasi-delicta* dicuntur, et quæ in singulis casibus, ubi actione populari exsequenda sunt, etiam non inepte delicta *quasi-privata* adpellari possent, ut etiam actiones quædam *quasi-accusationes* dicebantur.

(2) Cfr. CICERO pro Roscio Am. 13. 14. 36.

(3) L. 7. ad leg. Corn. de Sicc.

(4) Cfr. L. 31. D. ad leg. Aquil. GAJI Comment. III. §. 211.

generale constitutum fuisse credo. His quidem adversari videtur ULPIANUS, qui in libro VII. de officio proconsulis dicit: *in omnibus criminibus* referre, utrum aliquid consulto an casu (i. e. culpa) admissum fuerit, ut pœna aut justa decernetur, aut temperetur (5); et MARCIANUS in suo opere de publicis judiciis monet, dolo et culpa delinqui posse (6). Unde non omnino temere colligeretur, in legibus publicorum judiciorum nonnulla de culpa sancita fuisse. Sed uterque JCtus vixit tempore, quo jam pœnæ legibus judiciorum publicorum sancitæ, per SCta et constitutiones principum diversimode extensæ, et non solum permulta facta, quæ antea criminalem exsecutionem non habebant, crimina extraordinaria, sed etiam jam quæstiones perpetuæ abolitæ erant (7); utque ea ætate omnia crimina, publica et extraordinaria, extra ordinem coram urbis præfecto probabantur (8), ita etiam in scriptis juridicis de judiciis publicis simul de criminibus extraordinariis tractabatur (9). Magis contra nostram sententiam facere videtur locus PAULI (10), qui sub ipso titulo *ad legem Corneliam de Sicariis* refert, eos qui *abortionis* aut *amatorium poculum*

---

(5) L. 5. §. 2. D. de pœn.

(6) L. 11. §. 2. D. de pœn.

(7) L. 1. D. de off. præf. urb. quæ ULPIANI est.

(8) L. 8. D. de judiciis publ.

(9) Cfr. ex. g. L. 1. D. de receptatorib. ex MARCIANI libr. de judic. publ. desumpta.

(10) Recept. sentent. Lib. V. tit. 23. §. 14. unde excerpta est L. 38. §. 5. D. de pœn.

dent, ETSI DOLO NON FACIANT, morte inde secuta summo supplicio cöercendos esse, quia, inquit, *mali exempli res est;* unde fortasse erui posset, ex ipsa mente legis illius latoris tempore PAULI hoc facinus puniendum fuisse; quod adeo mirandum non foret, quoniam jam Syllæ temporibus, scilicet sub fine reipublicæ, mores admodum depravari cœperant, et paulo post lege Julia de adulteriis opus erat ad pravas libidines cöercendas. Sed quod attinet ad titulum in quo hic PAULI locus continetur, monendum est, in eodem titulo (11) JCtum scribere, putatorem ex arbore, qui negligentia hominem occiderit, in metallum dari, *licet in legem Corneliam non incurrat*, et quoad ipsam pœnæ sanctionem contra pocula amatoria et abortionis, eam ex *Senatus consultis* descendere, MARCIANUS refert. Hic enim JCtus in loco (12) ex ipsius institutionibus deprompto expresse dicit: ex lege Cornelia puniri eum qui *venenum* fecerit, vel vendiderit, vel habuerit, *tunc tantum* si id *hominis necandi causa* fecerit, vel habuerit, licet alias *veneni* nomine et *amatorium* contineretur, et medium ad *sanandum* datum; sed EX SCTO puniri esse jussam eam, quæ *non quidem malo animo, sed malo exemplo medicamentum dederat ad conceptionem, ex quo ea quae acceperat decesserat;* ALIOQUE SCTO effectum esse, ut pigmentarii, *si cui temere cicutam, salamandram* aliaque *et id quod lustramenti causa dederint cantharidas*, legis Corneliæ pœna tenerentur. Cæterum hæc SCta non origine criminum extraordinariorum anteriora

(11) Sent. Recept. §. 12. cfr. L. 7. D. ad leg. Cornel. de sicc.

(12) L. 3. §. 2 et 3. D. ad leg. Cornel. de sicc.

esse (13), et quodammodo non facta mere culposa, sed potius culpa dolo determinata quam vocant admissa spectare videntur (14).

Porro si ab ULPIANO (15) narratur, « quum quidam per lasciviam (i. e. culpa lata) causam mortis præbuisset, comprobatum esse factum Proconsulis Beticæ a D. Hadriano, quod eum in quinquennium relegasset »; hoc tanquam novum quidquam ab Hadriano constitutum considerandum, et ad hoc aliud ejusdem Imperatoris rescriptum addendum est, cujus meminit MARCIANUS (16), « eum qui hominem occidit, si non occidendi animo hoc admiserit, absolvi posse (scilicet si in levi culpa esset). » Verisimiliter Hadrianus hoc rescriptum ratione habita prioris culpam latam spectantis dedit; ideoque in posteriori quoque adjecit, eum, qui culpa dolo determinata i. e. sine necandi licet non sine lædendi animo occidisset, non quidem pœna legis Corneliæ, sed tamen levius puniendum esse.

Nullum præterea alium locum in toto corpore juris, neque in aliis quæ nobis supersunt juris romani fragmentis reperimus,

(13) Saltem non anteriora imperatoribus; ante Tiberium enim senatum leges judiciorum publiorum extendere potuisse non verisimile est.

(14) Quodammodo enim ipsa datio poculi amatorii tanquam conatus læsionis considerari potest. Cfr. MEISTER ueber Toedung durch Liebestraenke. Neues Crim. Archiv. II. p. 477.

(15) L. 4. §. 1. D. ad leg. Cornel. de sicc.

(16) L. 1. §. 3. D. eod.

ex quo erui posset, in legibus publicorum judiciorum aliquid de culpa cautum fuisse; atque omnia quæ de culpa criminaliter punienda in juris fontibus inveniuntur, ex ea ætate originem ducunt, de qua pauca quædam nobis restant in §. sequenti videnda, ad quem jam transibimus.

§ IV.

Ab origine criminum extraordinariorum ad Justinianum.

Præter facta culposa, quæ temporibus imperatorum quasi crimina ex legibus judiciorum publicorum per earum extensionem successivam punienda erant, et quorum jam in priori §. mentio facta est, multa alia per culpam admissa, tanquam crimina extraordinaria puniebantur, postquam in genere imperatores cœperant jubere extraordinarias punitiones delictotorum, quæ prius tantum privata erant; præcipue postquam, quæstionibus perpetuis abolitis, omnia crimina per præfectum urbis vindicabantur. Huc ex. g. termini per culpam moti pœna pertinet quam CALLISTRATUS (1) refert, ex cujus tamen verbis « si quis *per ignorantiam* sive fortuito lapides *furatus* sit, » i. e. si quis *dolose* lapides alienos contrectaverit ignorans eos terminos esse, ideoque per furtum simul termini moti crimen *culposum* admiserit, potius in culpam dolo determinatam pœna statuta fuisse videtur. Porro huc spectat pœna incendii per luxuriam i. e. latam culpam excitati, cujus MARCIANUS (2) mentionem facit, quæ sine dubio extraordinaria

(1) L. 2. D. de termin. mot.
(2) L. 11. D. de incend.

erat, ut ex aliis locis sub titulo « de officio præfecti vigilum » collocatis (3) videri potest : ex quibus ii ipsi, qui negligentius ignem apud se habuerint, etiamsi nullum inde incendium ortum fuerit, puniri potuisse videntur a præfecto vigilum, a quo incendiarii dolosi ad coërcitionem præfecti urbis remittendi erant. Locus GAJI ex lib. IV. ad leg. XII. Tabb. (4), in quo de pœna culposi incendii mere privata sermo est, ex iis quæ superius demonstravimus, nostræ sententiæ non adversatur; nam Justinianus in titulo de incendiis leg. 9. tantum jus vetus, leg. 11 et 12. vero jus novum indicare voluit, ut in titulo de termino moto leg. 2. jus novum, leg. 3. pr. et §. 1. jus vetus. Ex loco ultimo laudato ipsum delictum termini dolo moti prius ad jurisdictionem civilem pertinuisse patet, ut jam superius probavimus; licet a servo commissum ex SCto sub Nerva lato (5) capital esset, quale ex lege Numæ commissum a quocunque considerabatur (6). Sic quoque ut etiam jam superius monuimus, incendium dolo excitatum ad jurisdictionem civilem prius pertinuisse videtur, ad quam culpa excitatum indubitate pertinuit, licet in dolosum pœna capitalis XII. Tabb. sancita fuisse dicatur. Utrumque crimen igitur et incendii excitati et termini moti, sive culpa sive dolo commissum, prius delictum privatum fuisse et serius extraordinarium factum esse, quare utrumque nisi dolo commissum

(3) L. 3. §. 1. L. 4. D. h. t.

(4) L. 11. D. de incend.

(5) Cfr. VAN WALREE ubi supr. p. 26.

(6) Cfr. quod de leg. Agraria dicitur in L. 3. D. de term. mot. et BACHII Hist. jur. p. 377.

esset, ad cognitionem præfecti vigilum pertinuisse videtur, qui in genere tantum de extraordinariis criminibus, scilicet de incendiariis, effractoribus, furibus, raptoribus, receptatoribus cognoscebat (7); ideoque recte de utroque illo crimine hoc loco nos locutos esse credimus. Custodes insularum quoque ubi effracturæ fiebant, extra ordinem ob culpam a præfecto vigilum cöerceri potuisse videntur (8). Præterea adhuc alia facta culposa extra ordinem vel ab urbis præfecto vel a præfecto vigilum puniebantur, de quibus uberius in sequentibus sectionibus disserendum est.

SECTIO III.

QUID ROMANI, DIVERSIS TEMPORIBUS, STATUERINT CIRCA CULPAM, IN DELICTIS STATUM PUBLICUM SPECTANTIBUS.

§. I.

De delictis circa sacra et in ipsam religionem divinam.

Jam ab antiquioribus temporibus apud Romanos sacra ad statum rei publicæ spectantia considerabantur, ut jus sacrum ipsum pars erat juris publici (1). Quare etiam delicta circa sacra ad delicta statum publicum spectantia merito adnumerabuntur. Ut vero antiquum jus sacrum Romanorum in genere

---

(7) L. 3. §. 1. D. de off. præf. vigil.

(8) §. 2. eod.

(1) L. 1. §. 2. D. de just. et jur.

parum notum est (2), ita etiam de modo puniendi delicta circa sacra pauca tantum certa habemus. Sed nullum dubium est, Romanos tanquam delicta circa sacra non solum gravissimis suppliciis adfecisse facta permulta, in quibus saltem de dolo tanquam animo lædendi sermo esse non poterat, veluti incestum virginum vestalium (3), sed etiam gravi castigatione animadvertisse multa ex culpa proprie sic dicta, sive ex negligentia omissa, v. g. si virgines Vestales ignem in æde Vestæ exstingui sinebant (4). De ejusmodi delictis a collegio pontificum judicari solebat; sed nec an damnatus ab hoc collegio damnatus judicio publico habitus fuerit, nec hoc satis constat, an in omnes cives animadvertere potuerint soli pontifices. Cæterum capitis pœnam irrogare eos potuisse legimus. Missis tamen his temporibus obscuris ad Christianam ætatem deveniamus.

Et quidem certum est, apud imperatores fidei Christi addictos delicta in res sacras et in ipsam religionem divinam commissa magna cum severitate punita fuisse. Sed quum admodum difficile sit in his delictis, quid dolo quid culpæ sit adscribendum dicere, vel potius in iis proprie de illo sermo esse nequeat, eaque præterea magis ad forum internum quam ad legum cöercitionem pertinent, ex notionibus apud nos hodie usitatis; de iis plura dicenda esse non puto. Silentio tamen præterire non possum edictum imperatorum Gratiani et Valentiani in L. 1. C. de crimin. sacril. in quo culpa et dolus quo-

(2) Cfr. Hugo Rechtsgeschichte ed. 8. pag. 237.

(3) Livius IV. 44. cfr. Cicero de Haruspic. respons. cap. 7.

(4) Livius XXVIII. 11.

dammodo æquiparantur : « qui divinæ legis sanctitatem aut *nesciendo* omittunt, aut *negligendo* violant et offendunt, sacrilegium committunt. » Cæterum in illa lege, verbis *nesciendo omittunt* culpa, verbis vero *negligendo violant* dolus exprimitur, si alias de dolo in his delictis dicere licet; et ad verba priora referenda sunt quæ habet glossa : « *errans* in articulis fidei punitur ut sacrilegus »; vox enim *negligendo*, non de negligentia ea quæ culpæ propria est, sed de omissione rei debitæ hic usurpatur, quæ per se etiam dolosa esse potest. Ad hæc addi possunt quæ in Nov. 109. præf. in fin. leguntur : « Igitur sacram communionem in catholica ecclesia non percipientes a Deo amabilibus sacerdotibus hæreticos juste vocamus. »

§. II.

De delictis in majestatem imperii.

Jam liberæ reipublicæ temporibus majestas et amplitudo in populo romano id, quod existimatio et dignitas in singulis civibus erat (1); et ut minutio existimationis pœna (2) ita minutio majestatis crimen erat. Unde CICERO dicit : « majestas est amplitudo et dignitas civitatis. Is eam minuit, qui exercitum populi romani hostibus tradidit (3). Majestas est in imperii

(1) Cfr. HAGEMEISTER ueber Infamie. Civilistisches Magazin Bd. III. pag. 180. Berlin. 1812. WALTER ueber Ehre. Criminal Archiv Bd. IV. p. 116. Halle 1818.

(2) L. 5. D. de extraord. cognit.

(3) De Orator. II. 39.

atque in nominis populi romani dignitate : ipsam minuit is qui per vim multitudinis rem ad seditionem vocavit (4). » Ex his, majestatis minutionem tam dolo quam culpa fieri potuisse, facile intelligitur; sed an reipublicæ temporibus minuta majestas populi per culpam puniri potuerit tanquam majestatis crimen, alia est quæstio. TACITUS quidem refert : « quondam alia in judicium majestatis veniebant, si quis proditione exercitum aut plebem seditionibus denique male gesta re publica majestatem populi romani minuisset : facta arguebantur, dicta impune erant (5). » Sed his non dicitur solummodo dolum puniendum fuisse, licet in antiquioribus legibus majestatis GABINIA, APPULEIA, VARIA, CORNELIA (6), præcipue doli rationem habitam fuisse verisimile est, et lege Varia quæri jussum esse, « *quorum dolo malo socii ad arma ire coacti essent* » testimoniis veterum confirmatur (7). Crimen vero majestatis aliud fuisse libera republica, aliud sub imperatoribus, præcipue Tiberio Caracallave regnantibus, cuique compertum est. Et quum res jam ita se haberent, ut *majestatis singulare et unicum crimen esset illorum qui crimine vacarent* (8), quanto facilius quis culpa qualiquali admissa in majestatem incurrere potuit ? Nondum quidem LEGE JULIA majestatis, a C. Julio

(4) Partit. Orator. c. 30.

(5) Annal. I. 72.

(6) Cfr. HAUBOLD Dissert. de legibus majestatis populi romani latis, ante legem Juliam. Lips. 1786.

(7) VALERIUS MAXIMUS VIII. 6. 4. III. 7. 8.

(8) PLINII Panegyric. c. 42.

Cæsare lata, cujus mentionem CICERO facit (9), *sed specie ejus legis* ab Augusto jam cognitio de libellis famosis in ejus gentem et in viros fæminasque illustres conscriptis ad majestatem relata est (10). Tiberius postea etiam paucorum simpliciumque verborum crimen capital esse volebat (11). Imo res eo devenit, ut si quis paulo inhonestius quid egisset coram statua Augusti, aut nummum Augusti effigie signatum secum in locum immundum aut turpem asportasset, statim majestatis reus fieret (12). Sed hæc non ad leges verum ad fœditatem temporum pertinent, et forsan in iis ratio inveniri potest, cur postea MARCIANUS, qui fere sub Alexandro Severo floruit (13), scribendum esse duxerit (14), crimen majestatis nec qui sta-

---

(9) Philip I. 9. Legem Juliam majestatis, cujus fit mentio in D. XLVIII. 4. et in Cod. IX. 8. quidam Julii Cæsaris, alii Augusti esse dicunt; qua in controversia priorum, et quidem ANTON. AUGUSTINI de legg. rom. in GRÆVII thes. T. II. p. 1222. et F. CROPPII de præceptis Jur. rom. circa puniendum conatum delinquendi, Heidelbergæ 1813. p. II. p. 7. sententiam sequor, quam etiam confirmat DIECK historische Versuche ueber das Criminalrecht der Roemer. Halle. 1822. pag. 94. sqq. Cfr. adversantes SIGONIUS de Judiciis L. II. cap. 29. HEINECCIUS in Antiqq. J. r. Lib. IV. tit. 18. §. 49. BACH p. 193 et 339. ADAM T. I. p. 509. etc. et ipse DIECK modo laud. in dissertatione de crimine majestatis apud Romanos, prius edita Hal. 1821. cap. I. §. 9.

(10) TACITI Annal. I. 72. cfr. GRONOVIUS ad h. l.

(11) SUETONII Tiber. cap. 61. SENECCA de beneficiis. III. 27.

(12) SUETONII Tiber. c. 58. cfr. TACITI Annal. I. 72.

(13) BACH p. 503.

(14) L. 5. D. ad leg. Jul. maj.

tuas Cæsaris vetustate corruptas refecerit, nec qui lapide jactato incerto, fortuito statuam attigerit, commisisse; quod jam impp. Severus et Antoninus rescripserant (15), et sana ratio proclamaverat.

Cæterum nec his temporibus solummodo dolo crimen majestatis contrahi potuisse dixerim; pœna tamen in culpam sane levior quam in dolum statuta erat, ut etiam ULPIANUS (16) refert, mortuo *majestatis* reo tantum si *perduellionis* reus i. e. *hostili* animo adversus rempublicam vel principem animatus esset, crimen mortalitate non exstingui, unde efficitur, tunc temporis perduellionem crimen majestatis fuisse dolo malo commissum, ideoque et majestatis crimen per culpam committi potuisse (17). Cæterum perduellionis crimen antiquioribus temporibus significationem multo latiorem habuit (18); et majestatis minutæ pœna ex lege Julia aquæ et ignis interdictio (19),

---

(15) Ibid. cfr. L. 4. §. 1. L. 6. D. eod. SPARTIANUS Caracalla cap. 5. Multo ante Tiberius, artificio simulationis eruditus, initio regni, rebus trepidis, similia consulibus scripsit, contra religiones non fieri, quod Augusti effigies ut et alia numinum simulacra venditionibus domcum et hortorum accederent. TACITI Annal. I. 73. Cfr. SUETONII Tiber. c. 28. L. 5. §. 2. D. h. t.

(16) L. ult. D. ad leg. Jul. majest.

(17) HEINECCIUS Antiqq. l. l. Fortasse ipsa vox *perduellio* voci *dolus* cognata est, licet aliam ejus originem indicet FESTUS sub voce *duellum*.

(18) DIECK Versuche. p. 4. sqq. GRUENEBUSCH de crimine perduellionis et majestatis, et de eo, quod inter utrumque jam liberæ reipublicæ tempore fuit, discrimine. Cellis. 1801.

(19) Pauli Sent. recep. lib. V, tit. XXIX. §. 1.

serius, saltem si crimen dolo malo commissum esset, vel si ex ipsa legis scriptura descenderet, aut ad exemplum legis vindicandum esset, summum supplicium, alias levior pœna fuisse videtur (20).

SECTIO IV.

QUID ROMANI STATUERINT IN DELICTIS, QUIBUS PRIVATI LÆDUNTUR.

§. I.

De homicidio.

Satis jam supra nos dixisse credimus de pœnis a Numa Pompilio sancitis, vel potius procurationibus pendendæ pœnæ loco præscriptis in eos, qui imprudenter et sine dolo, sed culpa aliquem occidissent. Qua in re sane legislator se mitiorem præbuit quam adversus dolosos interfectores, etiamsi nostra quam superius indicavimus sententia veritate nitatur, arietis sacrificium vel ad impediendam vindictam privatam, vel ad avertendam propriam pœnam ab initio a pœna homicidii dolosi non distinctam, instituendum fuisse. Cæterum quum hoc piaculum usque ad finem reipublicæ in usu fuisse verisimile sit, per aliquod tempus aliæ homicidii culposi pœnæ præter id peti potuisse videntur. Licet enim actio pœnalis legis Aquiliæ, in qua ad damni æstimationem et ejus reparationem potissimum spectabatur, ut actio de pauperie, quæ ex lege XII Tabb.

(20) Ibid. et L. 5. Cod. ad leg. Jul. majest. L. 7. §. 3 et 4. D. eod.

descendebat, originarie cessabat, si liber homo læsus erat, quia nemo dominus membrorum suorum videbatur et in homine libero nulla corporis æstimatio fieri poterat, hæ actiones tamen tanquam utiles mox ad vindicandas læsiones liberorum hominum dabantur (1). Præterea in singulis casibus prætor pro homine libero occiso quinquaginta aureorum, et ædiles curules ducentorum solidorum, imo prætor propter occisionem quæ ex facto oriri potuisset, decem aureorum judicium edictis suis dabant (2); quorum judiciorum origo sine dubio CICERONE anterior est, quum jam SERVIUS de eorum causa respondisse dicitur (3). Actiones vero, quibus illæ pœnæ petebantur, vel privatæ vel populares erant, et vel ex delicto vel quasi ex delicto ad eas solvendas teneri quis poterat (4). Nulla tamen actio criminalis, sive publica accusatio ex culposo homicidio reipublicæ temporibus data fuisse, ipsa lex Cornelia tantum dolosos interfectores spectasse videtur, ut jam superius a nobis dictum est (5). Interfectorum ex imprudentia pœnam quidem exilium

---

(1) L. 2. L. 7. pr. L. 13. pr. D. ad leg. Aquil. L. 3. D. Si quadrupes pauperiem fecisse dic. Cfr. L. 1. §. 5. L. ult. D. de his qui effud. vel dejec.

(2) L. 1. pr. et §. 5. L. 5. §. 6. D. de his qui effud. vel dejec. L. 42. pr. D. de Ædilit. edict. Cfr. PAULI Sent. recept. I. tit. 15. ubi id quod in Pandectis ab *ædilibus* edictum dicitur *prætori* adscribitur.

(3) Cfr. L. 5. §. 12. D. de his qui eff. vel. dej. SERVIUS vero CICERONIS coævus erat et familiaris. Cfr. Brutus cap. 41.

(4) L. 5. §.§. 4. 5. et 13. D. de his qui eff. vel. dej. §. 1. Inst. de oblig. quasi ex delict.

(5) Improprie actio *popularis* actio *publica* nominatur a PAULO L. 30. §. 3. D. de jurejur. et si ab eodem PAULO in lib. I. tit. 15. Sent. recept. di-

in quinquennium *ex lege* fuisse QUINCTILIANUS refert (6); unde erui posset, apud Romanos ipsas leges judiciorum publicorum pœnas, exilium scilicet, in cædem imprudentem statuisse. Sed sæpius quæ non ex legis scriptura descendunt, verum ad exemplum legis vindicantur, ex lege puniri dicuntur; quare etiam illa pœna exilii tempore imperatorum demum invaluisse videtur (7) tanquam pœna extraordinaria; licet fortasse culposum homicidium quodammodo tanquam publicum considararetur. Sub ipsis enim imperatoribus adhuc distinctio casus et voluntatis in homicidio *servabatur*, ut refert ULPIANUS (8), ita ut qui hominem occidit absolvi soleret, scilicet si non occidendi animo id admisit. Si tamen culpa dolo esset determinata, teste MARCIANO (9) ab Hadriano rescriptum est, pœnam leniendam esse ejus, qui casu magis quam voluntate homicidium admisit; et in casu in quo hoc locum habere MARCIANUS dicit, teste PAULO (10) humiliores *in metallum* dandi, honestiores *relegandi* erant. Alio rescripto ejusdem imperatoris,

---

citur *actionem extra ordinem* dari contra eum, qui feram bestiam habuerit in loco quo vulgo iter est, hoc non de judicio ab ædilibus dato intelligendum est, sed de judicio extraordinario serius introducto.

(6) Instit. Orator. VII. cap. 4. Declamatt. 296. 248. 305.

(7) Cfr. NICOL. ANTONII de exilio lib. I. cap. 6.

(8) Legg. rom. et mos. Coll. tit. 1. §. 6. Cfr. ea quæ habet SCHULTING ad loc. laud.

(9) L. 1. §. 3. ad leg. Corn. de sicc. coll. cum Legg. rom. et mos. Coll. l. l. et PAULI Sentent. recept. lib V. tit. 2. §. 3.

(10) Legg. rom. et mos. Coll. l. l. §. 7. L. ult. D. ad L. Corn. de sicc.

18.

in quo etiam, ut ex adjunctis videtur, de culpa dolo determinata vel saltem de gravi culpa (lascivia) sermo erat, comprobatum est factum proconsulis Bæticæ, quod interfectorem in *quinquennium relegasset*, his verbis (11) : « Pœnam Mari Evaristi recte, Taurine, moderatus es *ad modum culpæ* (i. e. de la culpabilité), refert enim et in majoribus delictis, consulto aliquid admittatur an casu. » Ad quæ verba rescripti ULPIANUS addidit hæc : « Et sane in *omnibus criminibus* distinctio hæc pœnam aut *justam provocare debet* aut *temperamentum admittere* (12). » In alio loco PAULUS hæc habet (13) : « Si putator ex arbore, quum ramum dejiceret non proclamaverit ut vitaretur, atque ita præteriens ejusdem ictu homo perierit, etsi in legem Corneliam non incurrit, in metallum damnatur. » Ex his omnibus efficitur, adhuc tempore JCtorum hucusque nominatorum, interfectorem ex culpa levi absolvi potuisse; interfectorem vero ex lata culpa, sive dolo proxima, sive ex lascivia, sive ex culpa dolo determinata, humiliorem in metallum damnandum, honestiorem ad tempus relegandum fuisse; et licet illa pœna admodum gravis esset, quum civitatem adimeret et existimationem consumeret (14), levior tamen erat pœna dolosi homicidii, quæ ex lege Cornelia quidem tantum aquæ et ignis interdictio, PAULI temporibus vero summum supplicium

(11) Legg. rom. et mos. Coll. eod. tit. §. 11. Cfr. L. 4. §. 1. D. ad leg. Corn. de sicc.

(12) Cfr. L. 5. §. 2. D. de pœn.

(13) Sent. recept. l. l. §. 12. Cfr. L. 7. D. ad Leg. Corn. de sicc.

(14) L. 5. D. de extraord. cognit.

erat (15). Eo vero quod PAULUS dicit, *eum qui jactu teli casu hominem imprudenter occiderit absolvi posse, et putatorem ex arbore qui non proclamaverit in metallum damnari* (16), nulla pœnæ proportio servata esse videtur. Etenim nemo est, puto, qui neget, culpam teli jactu imprudenter hominem occidentis, fere semper graviorem esse ea putatoris, cujus securis repetitis ictibus ramos cum crepitu percutiens, jam pro eo « cave » proclamavisse censeri potest. Sed fortasse verbum *absolvitur* tantum intelligendum est de remissione pœnæ legis Corneliæ, vel verba in *metallum damnatur* non genuina, in Pandectis omissa sunt, ubi alias ea referuntur, quæ eadem in Sent. recept. loco præcedunt. Cæterum pro nostra sententia, ipsis imperatorum temporibus saltem levem culpam in homicidiis criminaliter non punitam fuisse, facit adhuc locus MODESTINI, ex libro differentiarum sexto, qui in mos. et rom. legg. Coll. sub titulo « de sicariis et homicidis casu vel voluntate » continetur (17): *nonnunquam per ignorantiam delinquentibus jure civili venia tribui solet*, in quo loco verba *jure civili* per oppositionem *juris honorarii* et in specie *prætorii* usurpantur; iisque indicatur, ex legibus judiciorum publicorum quidem per culpam peccantibus ignosci, sed ex edictis prætorum vel ædilium actionem pœnalem dari ad culposa delicta vindicanda; licet jam PAULI temporibus mulctæ ædilitiæ et prætoriæ, in culposa homicidia in singulis casibus sancitæ, in extraordinarias cöer-

---

(15) PAULI Sent. recept. lib. V. tit. 23. §. 1. L. 16. D. ad Leg. Corn. de sicc.

(16) Sent. recept. l. l. §. 3. et 12. Legg. rom. et mos. Coll. l. l. §. 7.

(17) Tit. 1. §. 12.

citiones mutatæ fuerint (18); ut in genere jam his temporibus ex omnibus privatis delictis pecuniariter jure ordinario vel criminaliter extra ordinem agi poterat (19). Porro sententiam nostram confirmant duo alia rescripta ex Codice Gregoriano superstita in Collatione Legg. R. et M. (20), ex quibus conflata est L. 1. Cod. de sicc. Priori autem imperator Antoninus culposum homicidium *ad disciplinam militarem* remittit; altero vero imperator Alexander rescribit, *ea quae ex improviso casu potius quam fraude accidunt, fato* PLERUMQUE *non noxae imputari.* Quod etiam postea valuisse probat rescriptum impp. Diocletiani et Maximiani (21) in Codice quoque exstans (22). Sæpius tamen justa homicidii dolosi pœna, vel ex subreptis imperatorum rescriptis, vel ex nimia cognitorum indulgentia, remissa fuisse videtur; quare edicto impp. Theodosii et Valentiani (23), cujus quoque Lex Romana Burgundionum, vulgo PAPIANI liber responsorum dicta, mentionem facit (24), constitutum est: « si homicidium casu vel vitandæ mortis necessitate admissum dicatur, indulgentiam non nisi ex ipso imperatoris rescripto, et ex rescripto impetrato non nisi post causam diligenter examinatam

(18) Sent. recept. lib. I. tit. 15. §. 2. Cfr. L. 40–42. D. de ædil. edict.

(19) L. ult. D. de priv. del.

(20) Tit. 1. §. 8 et 9.

(21) Legg. R. et M. Coll. l. l. §. 10.

(22) L. 5. C. ad leg. Cornel. de sicc.

(23) Novell. Th. et Valent. lib. II. tit. 20. Jus Civ. Antej. ed. HUGO T. II. p. 1319.

(24) Tit. 2. Jus Civ. Antej. ed. HUGO T. II. p. 1502.

concedendam esse. » Quoad pœnam ipsam nil mutatum est hoc edicto, imo adeo, quum et de culpa et de moderamine inculpatæ tutelæ in eo sermo sit, inde colligi potest, ipsum culposum homicidium tunc temporis adhuc ut ante plenam veniam impetrare potuisse. Nec obstant verba Novellæ: « his tantum volumus ignosci, in quorum lapsibus sola potest fortuna inculpari; » nam hoc de culpa quoque intelligendum esse, demonstrant verba sequentia : « homicidas in hominum cædem nefaria voluntate grassatos, non licebit absolvi. » Nec pœna quinque auri librarum sacro ærario inferendarum, et quinquennalis relegationis, cujus inferius in nostro edicto sermo est, tanquam pœna culposi homicidii, sed tanquam pœna eorum constituta est, qui insciente imperatore tale rescriptum exhiberent, quo homicidii impunitas donaretur (25). Cæterum nec pœna *latae* culpæ in homicidiis jam *antea* usitata hac constitutione sublata est; nec Justinianus in libris suis eam sustulisse videtur. Etiam Pauli et Ulpiani ætate, præter pœnam relegationis culposi homicidii auctor vel partis bonorum confiscatione puniri solebat, vel impendii causa occisi patri summam pecuniæ dare tenebatur, ut ex duobus locis superius relatis videri potest (26). De pœna graviori homicidii culposi, in casu legis 38. §. 5. D. de pœnis, inferius, ubi de abortione, dicemus. In casu legis 3. §. 3. D. ad leg. Cornel. de sicc. si quis temere cicutam vendiderit absque dolo, legis Corneliæ pœna teneri dicitur;

---

(25) Rescripta alias vel nomine imperatoris a magistro scrinii (simplicia), vel ab ipso imperatore subsignata (personalia) dari solebant ut ex laud. Novella patet.

(26) Legg. R. et M. Coll. l. l. §. 7 et 11.

sed sane etiamsi data cicuta dolo alterius homo perierit, pœna venditoris non eadem quam dolosi interfectoris erat.

§. II.

De incendio.

Ædium incendium culpa effectum ex lege XII. Tabb. in regula sarciendum, non nunquam etiam, scilicet si minus idoneus esset reus, ob illud castigationem leviorem infligendam fuisse, jam superius vidimus, ibique de ea castigatione quæ multo levior erat pœna dolosi incendii satis superque disputavimus (1). Serius actio legis Aquiliæ ob incendium culpa excitatum dabatur pœnalis quidem, sed omnino privata, qua sine dubio dolosa incendia vindicari poterant (2); licet hæc in singulis casibus quoque, ex legibus judiciorum publicorum, non tamen propriis, sed vel ex lege Julia de vi publica, vel ex lege Cornelia de sicariis puniri possent (3); ex quibus sane incendia culposa non magis quam homicidia culposa animadvertebantur. Sub imperatoribus tandem, a quibus omnia incendia dolosa extra ordinem gravissimis pœnis vindicabantur (4), et in om-

---

(1) L. 9. D. de incend. ruin.

(2) Legg. R. et M. Coll. tit. XII. §. 7. L. 27. §. 7. sqq. D. ad leg. Aquil. Interdum etiam, ut ex his locis patet, ex incendio tantum *actio in factum* dabatur. Quæ actio sub *actione ædium incensarum* in L. 7. §. 13. D. de pactis, intelligenda sit, dubium videtur.

(3) Legg. R. et M. Coll. l. l. §. 5. L. 1. D. ad leg. Corn. de sicc. L. 5. pr. D. ad leg. Jul. de vi publ. PAULI Sent. recept. lib. V. tit. 26. §. 3.

(4) Legg. R. et M. Coll. l. l. §. 7. PAULI Sent. recept. lib. V. tit. 20. L. 12.

nia delicta, in quæ prius tantum actio pœnalis privata dabatur, extra ordinem quoque criminaliter agi poterat, certe culposa incendia quoque criminalem exsecutionem habebant, præcipue si lata culpa erat. Et sic generaliter loquitur MARCIANUS : « si fortuito incendium factum sit, venia indiget, nisi tam lata culpa fuit, ut luxuriæ aut dolo sit proxima (5); » et ULPIANUS : « ei qui non data opera incendium fecerit, plerumque ignoscitur, nisi in lata et incauta negligentia vel lascivia fuit (6). » In hæc quadrat, quod Antonius et Severus rescripserunt præfecto vigilum; qui magistratus ab Augusto institutus præcipue, ne incendia fierent, curam habere debuit, et de incendiariis cognovit (7). Hoc rescriptum ex loco ULPIANI in Digestis (8) his verbis relatum est : « Insularios et eos, qui negligenter ignes apud se habuerint, potes fustibus vel flagellis cædi jubere. » Cum hoc convenit locus PAULI (9), ex libro singulari de officio præfecti vigilum : « Et quia plerumque incendia fiunt culpa inhabitantium, præfectus vigilum aut fustibus castigat eos qui negligentius ignem habuerint, aut severa interlocutione comminatus fustium castigationem remittit. » In loco priori sane de tali casu sermo est, ubi ex. g. aliquis stipulam in agro suo incenderit et ignis etiam ad vicini insulam pervenerit (10),

(5) L. 11. D. de incend. ruin.

(6) Legg. R. et M. Coll. 1. 1. §. 5.

(7) L. 1. et 2. D. de officio præfecti vigil. Cfr. SUETONIUS in August. cap. 30.

(8) L. 4. D. de officio præf. vigil.

(9) L. 3. §. 1. D. eod.

(10) Legg. R. et M. Coll. 1. 1. §. 7. Cfr. L. 27. §. 7. sqq. D. ad Leg Aquil. Sub *insula* domus ab aliis separata intelligitur. Cfr. BRISSONIUS sub hac voce.

et imperatores tam eos, qui negligentius ignem *apud se* habuerint, quam servos insulæ custodes negligentes puniri voluerunt, qui sub voce *insularii* comprehenduntur (11); quare etiam de fugitivis domino restituendis in eodem loco sermo est, et de pœna *fustium* et *flagellorum*; fustium enim pœnæ hominibus liberis et flagellorum servis infligebantur (12); præterea servi insularum custodes a præfecto vigilum in casu effracturæ puniri poterant, ut eodem titulo dicitur (13). In loco posteriori, qui est PAULI, de flagellis non sermo est, quia PAULUS ibi tantum de inhabitantibus liberis hominibus loquitur; ea vero quæ de remittenda pœna fustium et severa interlocutione adjicit JCtus, vel de levi culpa intelligenda sunt, vel de casu ubi damnum non datum est. Sub his enim qui *negligentius ignem habuerint*, non solum ii qui negligentia incendium excitaverunt, sed etiam ii *qui facile id excitare potuissent*, intelligendos esse puto. Nec enim verba : *quia plerumque fiunt culpa inhabitantium*, pro solo casu incendii culposi perfecti loquuntur, nec ut jam dixi, usui verborum romano congrua est sententia eorum, qui in loco laudato tantum de *dolosa transgressione edictionis disciplinae publicae* sermonem esse adfirmant (14).

(11) Cfr. BRISSONIUS de V. S. sub hac voce; et HOFACKER ueber Brandstiftung im Archiv. des Criminalrechts Bd. V. st. 1. p. 125.

(12) L. 4. §. 1. D. de incend. ruin. L. 6. D. de accusat. L. 10. pr. D. de pœn.

(13) L. 3. §. 2. D. de off. præf. vigil.

(14) Cfr. ALMENDINGEN Untersuchungen ueber das Kulpose Verbrechen. Giesen 1803. p. 194. sqq. Contra GROSSE in opere : Magazin des Criminalrechts. Marburg. 1804. p. 84. sqq.

Quare etiam diversa pœna in loco PAULI ratione habita damni orti constituta esse potest; eam vero honestiorum et humiliorum diversitatem spectare non credo. Nostram sententiam porro confirmat CALLISTRATUS (15) his verbis : « Incendiarii capite puniuntur, qui ob inimicitias vel prædæ causa incenderint intra oppidum..... qui vero casam aut villam aliquo lenius. Nam fortuita incendia, si, quum vitari possent, per negligentiam eorum apud quos orta sunt, damno vicinis fuerunt, civiliter exercentur, ut qui jactura affectus est, damni disceptet, vel modice vindicaretur (16). » Cum hoc loco CALLISTRATI conferendus est alius PAULI (17), qui sic sonat : « Incendiarii qui in oppido prædæ causa id admiserint, capite puniuntur : qui casu insulam aut villam non inimicitia incenderint, levius; fortuita enim incendia ad forum remittenda sunt, ut damnum vicini sarciatur. » Hunc locum corruptum et in eo pro *casu*

(15) L. 28. §. 12. D. de pœn.

(16). Pro *vindicaretur* quidam legi volunt *vindicantur*; quam emendationem, quæ satis placet, probabiliorem reddit vir clariss. HOFACKER ex Basilicis, ubi locus noster sic versus est : *πολιτικῶς ὁποθεραπεύουσι τὴν ζημίαν τῷ βλαβέντι, ἢ μετρίως σωφρονίζονται*. Vid. Archiv. des Crim. R. l. l. p. 126. Basilica Fabroti T. VII. p. 833. Librarius facile pro *n* scribere poterat *re*. Cæterum etiam sine emendatione hic locus sensum præbet, quem jam superius indicavimus; dicere enim possumus : delictum pœna vindicatur, et delicto læsus pœna vindicatur. Sed si legimus *vindicaretur*, etiam vindicatio de qua agitur, *civilis* coercitio incendii est, ut castigatio ex legibus XII. Tabb. Si vero legimus *vindicantur*, hæc vindicatio civili coercitioni opponitur, et ideo tanquam *extraordinaria* consideranda est.

(17) Coll. Legg. M. et R. tit. 12. §. 6. in jur. antej. HUGO T. II. p. 1454.

insulam aut villam non inimicitia incenderint, legendum esse *casam solam aut villam ex inimicitia incenderint*, putant nonnulli (18); sed si ita emendatur, in locum Callistrati quidem magis quadrat; concipi vero non potest, cur in utroque loco particula *nam* usurpatur, ubi de fortuitis incendiis sermo est. Quare fortasse ille locus CALLISTRATI ex hoc loco PAULI emendandus est. Nec dicat quis, verba *fortuita incendia ad forum remittenda sunt, ut damnum vicini sarciatur*, adversari verbis prioribus, ubi *casu excitatum incendium levius puniendum* dicitur; nam sub hac remissione ad forum actio legis Aquiliæ intelligitur, quæ *pœnalis* erat; præterea saltem ULPIANI temporibus in genere is, qui actionem ex malificiis habuit, vel jure ordinario pecuniariter agere poterat, vel, si maluit, *extra ordinem* ejus rei pœnam exercere (19); quare etiam, si in locis singulis tantum de damni æstimatione sermo est, in his casibus aliam pœnam non locum habuisse, temere adfirmari nobis videtur (20).

(18) HOFACKER Criminalarchiv. l. l. p. 128.

(19) L. ult. D. de priv. delict. Cæterum casarum et villarum et messium incensores dolosi revera levius tempore PAULI puniebantur, quam ædium in oppidis incendiarii. arg. Coll. legg. R. et M. tit. 12. §. 2—6. Sent. recept. lib. V. tit. 20. §. 1. 2 et 5. Cfr. tamen L. 16. §. 9. D. de pœn. et Coll. l. l. §. 7. ubi ULPIANUS dicit, incensores *insulæ* capite puniri. Vid. supr. not. 10.

(20) HOFACKER l. l. pag. 129. hoc affirmat de loco PAULI, qui in Coll. legg. R. et M. tit. 12. §. 2 et 3; et in Sent. recept. lib. V. tit. 20. §. 3 et 4. continetur. Sed etiam in alio loco PAULI superius relato *generaliter* dicitur, fortuita incendia ad forum remittenda sunt, ut damnum vicini sarciatur, quin inde effici possit, ex fortuitis incendiis de quibus hic sermo est, tantum actionem ad sarciendum damnum datam fuisse.

Quare etiam in sententiam eorum, qui credunt, honestiores ad solum damnum sarciendum teneri, et in quibusdam speciebus incendii culposi ne impares quidem damno sarciendo alii pœnæ subjici potuisse (21), discedere nequeo, licet honestiores pœna fustium adfici non possent (22). Alia pœna in auctores incendiorum culposos nullibi statuta, honestiores ex arbitrio eorum, qui extra ordinem cognoverunt, puniendi fuisse videntur (23).

Notatu dignus est adhuc alius PAULI locus (24), qui sic se habet : « Incendiarii... supplicio adficiuntur. Quod si incuria eorum ignis evaserit, dupli compendio damnum ejusmodi sarciri placuit. » Nonnulli putant, hunc locum mancum, et in eo JCtum locutum sine dubio esse de pœna dupli contra inficiantem constituta ex lege Aquilia (25), quam JCti mentem male reddiderit compilator (26). Sed multo potius dicendum est, hanc pœnam dupli ex particulari edicto prætoris constitutam esse in eos, qui in *turba* ex incuria incendium fecissent, ut etiam si quis in rebus ex *incendio, ruina, naufragio* provenientibus damnum quid dedisset, in quadruplum actionem dedit prætor (27); licet alias in hoc quoque casu legis Aquiliæ

(21) HOFACKER l. l. pag. 129 et 125.

(22) L. 28. §. 2. D. de pœn. L. 45. pr. D. de injuriis.

(23) Cfr. L. 13. D. de pœn.

(24) Sentent. recept. lib. V. tit. 3. §. 6. HUGO T. I. p. 159.

(25) Cfr. L. 2. §. 1. L. 23. §. 10. D. ad leg. Aquil. L. 4. Cod. eod. §. 1. v. *at adversus inficiantes* Inst. de pœn. tem. litig.

(26) HOFACKER l. l. pag. 129. SCHULTING ad l. l. PAULI, in Jurispr. antej.

(27) L. 1. pr. D. de incend. ruin.

actio locum haberet, imo adeo criminalis exsecutio esset (28). Quare etiam locus ille sub titulo *de his quae per turbam fiunt* continetur, et in eodem titulo de ea pœna quadrupli sermo est, quæ prætoris edicto introducta ipsis prætoris verbis refertur in titulo Pandectarum de *incendio, ruina, naufragio*. Præterea de pœna dupli in eos, qui in *turba vel seditione* damnum dederint, expresse sermo est apud PAULUM, *in principio ejus tituli*, sub quo locus noster continetur; et prætori, qui in aliis casibus, ubi criminalis quoque exsecutio locum habuit, ad legis Aquiliæ sanctionem extendendam pœnam quadrupli proposuit, pœna dupli in incendium *in turba per culpam* ortum eo magis æqua videri debuit, quum hoc ex legibus judiciorum publicorum puniri non posset, licet incendium *in turba per dolum* effectum ex lege Julia de vi publica esset cöercendum (29). Argumentum quod clariss. HOFACKER pro contraria sententia ex usu verbi *incendiarii* desumit, nullius momenti est (30). Licet enim fortasse præcipue incendiarii ii dicuntur, qui ex lege Cornelia de sicariis puniri poterant, unde ii, qui extra ordinem pœna capitali adficiebantur, *quasi incendiarii* dicti fuisse videntur (31), vox *incendiarii* tamen in sensu generaliori omnes incensores sæpius denotat, ut ex. g. præfectus vigilum de *incendiariis* cognoscere dicitur, eum vero omnes qui *dolo incenderint* ad præfectum urbis remittere debuisse notum est (32).

---

(28) L. 1. §. 1. D. eod.
(29) L. 5. D. ad leg. Jul. de vi publ.
(30) L. l. p. 129. 106. sqq.
(31) Legg. R. et M. Coll. tit. 12. §. 7.
(32) L. 3. §. 1. coll. cum L. 4. D. de offic. præf. vigil.

§. III.

De termino moto.

De termino moto Numa Pompilius legem tulisse fertur (1), quam ita restituit JOSEPHUS SCALIGER : QUEI TERMINOM EXARASSIT, IPSUS ET BOVEIS SACREI SUNTO (2). Quænam autem fuerit pœna hæc, satis indicat fragmentum XII. Tabb. (3), in quo, qui frugem industrialem aratro videlicet partam, furtim noctu paverit immaturam, vel maturam secuerit, CERERI SACER ET DEVOTUS, SUSPENDIO NECARI JUBETUR. Utcumque hæc se habuerunt, nulla in lege Pompilii fit mentio discriminis habendi, utrum dolo an culpa contra eam sit factum, ita ut dubitari possit, an legislator etiam ad imprudentiam respexerit, eamque sanctione sua cöercere voluerit : quod non omni verisimilitudine caret, quoniam in hoc crimine minus damnum privato homini datum, quam Dei Termini violatio vindicanda esse credebatur, et in hujus modi delictis antiquitus Romani summa severitate utebantur, ut omnes populi quorum leges theocraticis præceptis nitebantur (4).

---

(1) BACH. Histor. jur. pag. 11.

(2) Ad FESTUM s. v. *terminus*.

(3) Tab. VII. §. 2. apud BACHIUM. p. 56.

(4) Quæ assertio pluribus exemplis ex historia confirmari posset, hoc unum ex sacris Codicibus depromptum sufficiat, scilicet Huzæ, qui arcam Dei ut sustineret tetigit et mortuus est. SAMUEL. II. cap. 6. v. 6 et 7.

Lege Agraria Caii Cæsaris in eos, qui dolo malo terminos moverint, actio popularis ad pœnam pecuniariam constituta est (5). Ex termino per culpam moto fortasse tantum in factum tunc temporis agebatur. Eo, quod Nerva edixit, si servus servave, insciente domino dolo malo terminos ejecerit vel loco moverit, ei capitale esse, nisi dominus dominave mulctam sufferre maluerit (6), ipsius delicti natura non mutata est; quæ omnia jam superius demonstravimus. Serius delictum termini moti crimen extraordinarium factum est, et dolo malo commissum relegatione vel operis pœna ad tempus puniebatur (7). Si vero servus id commiserit, in metallum dabatur (8). Illa pœna ex rescripto Hadriani descendebat, cujus præter CALLISTRATUM, ULPIANUS (9) quoque mentionem facit, et in cujus fine hæc verba habentur : « Quod si per ignorantiam aut fortuito lapides furati sunt, sufficiet, eos verberibus decidere. » Quodammodo vero hic culpam dolo determinatam puniri, jam superius indicavimus; et nihilominus pœna levior erat quam pœna termini dolo malo moti. Cæterum verba *furati sunt* in proprio sensu intelligenda et ideo in rescripto sermonem de eo esse, qui lapides dolose contrectaverit, et ea re culpose terminos moverit, probant verba hujus rescripti apud ULPIA-

(5) Cfr. L. 3. D. de termino mot.

(6) L. 3. D. §. 1. eod.

(7) L. 2. D. eod.

(8) PAULI Sentent. recept. lib. V. tit. 22. §. 2. in Jur. Civ. Antej. ed. HUGO T. I. p. 174.

(9) Cfr. ULPIANUS in Legg. R. et M. Coll. tit. 13. §. 3. in fin. in Jur. Civ. Antej. ed. HUGO T. II. p. 1458.

NUM, quæ ex PITHOEI restitutione (10) sic sonant : *qui lapides usus causa furati sunt;* ex quibus vera Imperatoris mens abunde patet.

§. IV.

De abortione.

Restat, ut pauca addam de abortione. Facinus hoc jam antiquitus Romanis notum erat (1); an vero ex legibus puniendum fuerit, admodum dubium est (2). Legis Aquiliæ actio quidem dabatur, si quis servam pugno percusserit eaque partum ejecerit, jam reipublicæ liberæ temporibus (3). Præterea si mulier ipsa visceribus suis vim intulisset, forte a marito judicio domestico puniri, sed sane ex nulla lege judiciorum publicorum accusari poterat (4). Serius sub imperatoribus abortionis procuratio crimen extraordinarium factum est, et generaliter pœna exilii punitum fuisse videtur (5). Huc etiam pertinet locus

(10) In SCHULTINGII Jurisprud. Antejust. ad loc. laud. Coll. legg. R. et M.

(1) Cfr. OVIDII Fast. L. I. v. 623 — 4. JUVENALIS Satyr. 6.

(2) SPANGENBERG ueber Abtreibung der Leibesfrucht. Criminal Archiv. Bd. II. st. 1. p. 20. sqq.

(3) L. 27. §. 22. D. ad leg. Aquil. ubi ULPIANUS dicit ita BRUTUM respondisse.

(4) Cfr. PLUTARCHUS in Vita Romuli cap. 22. T. I. pag. 77. Schaeferi; et IMBERT de Infanticid. Lov. 1822. p. 73. Cfr. etiam Leonis Novell. 31.

(5) L. 4. D. de extraord. crimm. L. 8. D. ad leg. Cornel. de sicc. L. 39. D. de poen. In loco ultimo nominato TRYPHONINUS mulieris capitis damnatæ

Pauli (6), cujus verba hæc sunt : « qui abortionis aut amatorium poculum dant, *etsi dolo non faciant*, tamen quia mali exempli res est, humiliores in metallum honestiores in insulam amissa parte bonorum relegantur. Quod si ex hoc *homo aut mulier perierit*, summo supplicio adficientur. » Haud equidem inficior, hunc locum non omnino extra controversiam esse : nam quæri potest, an ob poculum abortionis datum, si nullus exinde effectus secutus sit, etiam damnatio ad metallum, aut relegatio cum amissione partis bonorum sit incurrenda? Quod certe adfirmandum esset, si verba *homo* et *mulier* cum Matthæo (7) et Croppio (8), de matre cui abortionis poculum datum est, et de fœtu abacto intelligeremus. Nam tunc legis pars prior et pœna exilii ad casum restringenda esset, ubi fœtus revera non abactus fuit, pars posterior vero et pœna capitalis ad casum effectus secuti. Sed nobis verba *homo* et *mulier* potius sic accipienda esse videntur, ut vox *mulier* ad *abortionis* poculum, *homo* vero ad *amatorium* poculum referatur; et ideo JCtus de muliere poculo abortionis interemta, et de fœmina vel masculo per poculum amatorium occiso loqui voluisse censeatur. Hæc explicatio eo magis præferenda est, quum hominis adpellatione apud Romanos, tam fœmina

---

mentionem facit. Hoc tamen non de pœna *Juris Romani* intelligendum esse recte exponit Spangenberg l. l. pag. 28; evidentius Nani, ad Matthæum de crimm. Ticini. 1805. pag. 121. in nota.

(6) Sent. recept. lib. V. tit. 23. §. 14. et L. 38. §. 5. D. de pœn.

(7) De criminibus ad lib. XLVII. tit. 5. art. 2.

(8) In dissertatione de conatu. Part. II. pag. 69.

quam masculus intelligebatur (9). Præterea in Pandectis, ubi locus noster adcuratius relatus esse videtur, quam in scriptura Sententiarum receptar. quam ex Codice Alariciano habemus (10), scriptum est: *si mulier aut homo perierit* (11), et in Basilicis simpliciter dicitur : εἰ δὲ ἀπέθανεν ὁ πιὼν (12). Hoc optime exposuit JCtus Salmanticensis RAMOS (13), quem in plurimis secutus est SPANGENBERG, quin auctorem nominaret (14); et huic sententiæ præter SCHULTINGIUM (15) quoque JCtus Italus NANI (16) addictus est. Sententia contraria orta est ex errore glossatorum, qui distinctionem juris canonici inter fœtum animatum et non animatum (17) JCtis Romanis supposuerunt (18); ex quo errore nonnulli sub voce *homo* in loco PAULI, fœtum *animatum* intelligendum esse censuerunt (19), licet alii

---

(9) L. 152. D. de verb. sign.

(10) Cfr. Jus. Civ. Antej. ed. HUGO T. I. pag. 103.

(11) L. 38. §. 5. D. de pœn.

(12) Lib. LX. tit. 39. cap. 4. tit. 51. cap. 34.

(13) Tribonianus sive de erroribus Triboniani de pœna parricidii. Lugd. Bat. 1752. pag. 256 sqq.

(14) In dissert. modo laud. Cæterum hic JCtus nominat BOEHMERUM « de cæde infantum in utero » tanquam cum ipso consentientem. Criminal Archiv. l. l. pag. 1. in nota.

(15) Ad PAULI Sent. recept. loc. laud. not. 47.

(16) Ad MATTHÆI l. l.

(17) In Decreto Gratiani c. 8 et 9. Causs. 32. qu. 2.

(18) Cfr. glossa ad L. 4. D. de extraord. crimm.

(19) Cfr. MATTHÆI l. l.

sub ea voce fœtum in genere audirent (20). Sed egregie jam RAMOS (21) et NANI (22) demonstraverunt, JCtos Romanos Stoicorum placitis addictos censuisse, partum nondum editum hominem non esse, sed viscerum tantum portionem (23); Peripateticos vero fœtum tanquam hominem considerasse, et ideo apud TRYPHONINUM (24) mulieris ob partum abactum capitis damnatæ *ex legibus Milesiorum* mentionem fieri, quia Mileti ut Athenis et in aliis Atheniensium coloniis magis doctrina Peripateticorum floruisset.

PAULI locus itaque sic intelligendus : etiamsi datum abortionis poculum abortio secuta fuerit, in metallum damnationem vel amissa parte bonorum in insulam relegationem; quod si mater ipsa perierit, summum supplicium locum habuisse. Et idem de potione amatoria dicendum est, metalli vel relegationis pœnam irrogandam fuisse, si quis ea potione pudicum alterius animum ad libidinem deflexisset (25); mortuo vero eo qui poculum accepit, pœnam capitalem. Sed ex hac ipsa

(20) Cfr. CROPPII l. l.

(21) L. l.

(22) L. l.

(23) L. 1. §. 1. D. de inspiciend. ventr. L. 9. §. 1. D. ad Leg. Falcid.

(24) L. 39. D. de pœn.

(25) Hæc verba CONSTANTINI in L. 4. C. de malefic. et mathem. et in L. 3. Cod. Theod. eod. tit. ad philtra vel pocula amatoria spectare docet J. GOTHOFREDUS ad h. l. et ex iis simul intelligitur, cur datio poculi abortionis et poculi amatorii eadem pœna adficiatur, quia utraque re finis illicitus adtingi potest.

interpretatione adhuc dubium manet, an dato poculo amatorio, quod nomine veneni continetur, ut MARCIANUS dicit (26), vel dato poculo abortionis pœna metalli aut relegationis locum habuerit, si ne abortionis aut impletæ libidinis quidem *effectum* habuerit illa datio; sive aliis verbis, an is qui partum abigere per poculum abortionis, vel ad libidinem alium deflectere per poculum amatorium *tentaverit*, puniendus fuerit apud Romanos? Quam quæstionem a fine nostro alienam aliis tractandam relinquimus.

Ad nostrum vero argumentum spectat ea quæstio, an etiam is, qui poculum amatorium vel abortionis *culpa* dederit, sive *sine intentione* alterius partum abigendi aut alterum ad libidinem deflectendi, ea pœna relegationis vel metalli puniendus fuerit? Hoc quidem efficiendum esse videtur ex PAULI verbis « *etsi dolo non faciant;* » durissimum tamen et omnino regulæ Juris contrarium, in omnibus delictis doli et culpæ differentiam pœnam diversam postulare. Hinc in PAULI loco, qui ex ejus Sententiis receptis desumptus est, et quidem ex titulo *ad legem Corneliam de sicariis*, illa verba nihil aliud significare quam *etsi occidendi animo non faciant*, omnino credendum est. Hanc sententiam confirmat alius locus MARCIANI (27) his verbis in Pandectis relatus : « Senatus Consulto relegari jussa est ea quæ, non quidem malo animo sed malo exemplo, medicamentum ad conceptionem dedit, ex quo ea quæ acceperat decesserit. » Ante omnia autem disquirendum est an MAR-

(26) L. 3. §. 2. D. ad leg. Cornel. de sicc.

(27) L. 3. §. 2. D. ad leg. Cornel. de sicc.

CIANUS hic de casu nostro loqui voluerit? Eum de *medicamentis conceptionem adjuvantibus* loqui, putat D. GOTHOFREDUS (28), iisque usas esse mulieres romanas, ne ob sterilitatem matrimonium dissolveretur (29). Sed verius est, sub *medicamentis ad conceptionem* intelligi *medicamenta data ne conciperetur*, ut ab ULPIANO alibi dicitur (30); hic verborum usus ipsum CICERONEM auctorem habet (31), et melius cum reliquis MARCIANI verbis congruit (32). Porro quum MARCIANUS in loco laudato præter SCtum, quo pœna constituta esset in *medicamenta ad conceptionem data*, alterum memorat (33), ex quo pigmentarii qui *lustramenti causa cantharidas dederint*, puniendi essent, hoc optime ex nostra interpretatione in ea quadrat, quæ superius ex PAULO de *poculo abortionis* et de *amatorio poculo* retulimus. Tandem in utroque loco de *malo exemplo* sermo est (34) et de *pœna relegationis;* et licet MARCIANUS dicere videatur, hanc pœnam locum habere ex SCto

---

(28) Ad L. 3. §. 2. mod. laud.

(29) Hoc quidem fieri posse dicitur in L. 60. in fin. D. de donat. inter vir. et uxor. sed eo GOTHOFREDI sententia minime confirmatur.

(30) In L. 3. §. 16. D. de stat. liber.

(31) De officiis III. 24. ubi dicitur *medicamentum ad* (i. e. contra) *aquam intercutem.*

(32) Præcipue quum JCtus supponit, aliam esse medicamentum dantem, aliam accipientem.

(33) L. 1. §. 3.

(34) Medicamenti conceptionem adjuvantis datio revera mali exempli esse minus dici potest.

etiam tunc, si ea quæ medicamentum acceperat decesserit, PAULUS vero dicat, si mulier perierit ex poculo accepto, summum supplicium irrogandum esse (35), hoc non est tanti momenti, ut inde ab ea sententia recedamus, JCtos dictos in utroque loco de iisdem casibus loqui (36). His vero concessis Marciani locus optime aliam nostram sententiam confirmat, in loco PAULI vocem *dolus* animum necandi significare, nam etiam in loco MARCIANI verba *malo animo* aperte animum occidendi indicant, ut ex ipsa horum verborum cum præcedentibus comparatione patet. Inde abortum culpa procuratum non eam, quam habuit abortus procuratio dolosa, pœnam habuisse videtur; servæ tamen procuratum sane legis Aquiliæ actione coërceri et fortasse serioribus temporibus generaliter extra ordinem levius puniri poterat; homicidium vero ex abortionis conatu sine animo necandi, ergo per culpam dolo determinatam ortum, summo supplicio adficiebatur (37), fortasse tamen leviori genere, quam homicidium do-

---

(35) Fortasse in loco MARCIANI vox *decesserit* significat i. q. *decedere potuisset*, vel locus ipse mancus est, qualis etiam sequens de pigmentariis esse videtur. Hoc quoque cogitari potest, pœnam SCti serius ab imperatoribus exacerbatam esse.

(36) Vel saltem de similibus casibus, scilicet de abortione procurata in altero, in altero de impedita conceptione, quæ delicta etiam in L. 3. §. 16. D. de stat. liber. æquiparantur: porro in altero de poculo amatorio dato personæ, quam quis ad libidinem deflectere voluit, in altero de lustramento dato a pigmentariis, quasi prioris delicti adjutoribus.

(37) Item homicidium ortum ex dato poculo amatorio sine animo occidendi, quod etiam tanquam homicidium ex culpa dolo determinata ortum considerari potest, ut jam supra diximus.

losum. Cæterum alia adhuc delicta, culpa commissa vel a militibus vel a paganis (38), serioribus temporibus apud Romanos puniebantur; quibus tamen missis ad jus Gallicum transeamus, in quo tractando non omnino rationem habebimus delictorum divisionis a Codice ipso adoptatæ, sed magis ad delictorum ipsorum naturam spectabimus, eoque ordine quem in tractando jure Romano servavimus, sectione priori scilicet delicta publica, posteriori privata, eaque quæ in Codicis pœnarum libro quarto, qui inscribitur *des contraventions*, ad culpam pertinent, passim data occasione examinabimus.

---

(38) Cfr. L. 6. §. §. 6 et 7. D. de re militari L. 12. pr. L. 14. §. 2. D. de custod. et exhibit. reorum.

CAPUT SEXTUM.

SINGULI LOCI CODICIS POENARUM ADHUC VIGENTIS, QUIBUS IN DELICTA MERE CULPOSA POENA STATUITUR, COLLIGUNTUR ET EXPLICANTUR.

Les lois pénales sont vicieuses, quand elles entravent le bon emploi de notre liberté et de nos facultés naturelles. Elles sont sagement conçues, lorsqu'elles ne font qu'en réprimer l'usage abusif et dangereux.

Le Graverend, Traité de législat. crim. T. I. p. 2.

SECTIO I.

DE DELICTIS CIRCA REMPUBLICAM.

§. I.

De iis qui tanquam privati delinquunt.

Quum suspiciosi fiunt reipublicæ administratores, multiplicantur viæ, quibus quis delictum contra ipsam reipublicæ securitatem contraxisse censetur. Nil mirum itaque tam multiplicem et adcuratam delictorum circa reipublicæ securitatem severis pœnis adficiendorum in codice pœnarum gallico anni

1810, adhuc apud nos vigente, recensionem inveniri, et eorum numero plura inesse quæ mera culpa contrahuntur. Inprimis occurrit art. 78. cujus verba hæc sunt :

« *Si la correspondance avec les sujets d'une puissance ennemie, sans avoir pour objet l'un des crimes énoncés en l'art. précédent, a néanmoins eu pour résultat de fournir aux ennemis des instructions nuisibles à la situation militaire ou politique de la France ou de ses alliés, ceux qui auront entretenu cette correspondance seront punis du bannissement, sans préjudice de plus fortes peines, dans le cas où ces instructions auraient été la suite d'un concert constituant un fait d'espionnage.* »

Ex quibus is qui, sine ullo et ne minimo quidem reipublicæ nocendi animo, filio forsitan vel fratri, vel etiam amico, vel ei quocum mercaturæ causa literarum commercium habet, ex. g. navem bellicam portum appulsam esse, aut legionem urbem transiisse, aliave similia nuntiaverit, quæ hostes civitatis inde edocti fuerint, exilio puniri poterit. Neque ad alios quam qui imprudenter talia hostibus communicaverint, hunc articulum spectare, ex ipsius verbis *sans avoir pour objet l'un des crimes énoncés en l'article précédent*, et ex ejusdem fine *sans préjudice* etc., facile cuique compertum erit. Si quis enim cum intentione adjuvandi exercitus inimici progressum, hostibus talem nuntium dederit, sane ex art. 77. graviori pœna adficiendus esset, et expresse consilii sanctioris oratores, quum horum articulorum rationes exponerent, dixerunt (1) : « Il

(1) Code pénal suivi de l'exposé des motifs etc. Paris, chez F. Didot. 1810. Vol. II. pag. 65.

convenait de bien caractériser les intelligences criminelles pour qu'elles ne fussent point confondues avec des correspondances imprudentes. »

Cæterum multa dubia gignunt articuli nostri verba. Ad pœnam ejus adplicandam nec sola scriptura, nec sola missio ejusmodi epistolarum sufficiet; sed ut verba indicant *a eu pour résultat de fournir aux ennemis des instructions nuisibles*, sane requiretur, ut hostes revera per missas epistolas nuntium civitati noxium acceperint. Nec obstat art. 2. Codicis pœnarum dispositio; licet enim pœna in casu nostro *infamans*, ideoque factum art. 78. vetitum *crimen* sit, sola scriptura vel missio epistolarum sine animo civitati nocendi tanquam dicti criminis conatus considerari nequit; *culposorum* enim factorum nullus *conatus* datur. Porro ex verbis *instructions nuisibles à la situation militaire ou politique*, oriri potest quæstio, an ex nuntiis ab hostibus acceptis revera ullum damnum civitati datum esse debeat? et quid in genere statui militari et politico noxium dici possit? Hæc omnia a legumlatore indicanda fuissent, et si fortasse ex ejus mente pœna tantum propter effectum irroganda est, quum interdum epistola innocentissima effectum perniciosissimum habere possit, sine dubio ad pœnam irrogandam saltem hoc requiritur, hunc effectum a scriptore epistolæ provideri potuisse. Sine hoc momento nulla est culpa. Exilii modus præterea ex gradu culpæ a judice definiendus est. Cæterum etsi non iniquum sit, imprudentes epistolarum in regionem hostilem missarum scriptores pœna adfici (2), pœna infamans tamen in solam imprudentiam sancita nimis severa videtur.

(2) Nulla statuta erat in eo exemplo Codicis, quod publicatum est Parisiis anno XII.

Pœna eadem autem exilii etiam irrogari potest in eos qui temere civitati belli denuntiationem vel singulis ejus civibus injuriam ab extraneis adsciverint, hostiliter sine summi imperantis concessione contra subditos extraneos agendo vel injuriam iis inferendo. Sique ex actione hostili contra extraneos bellum revera secutum fuerit, deportationis pœna irroganda est ex art. 84 et 85. Cod. pœn. qui his verbis concepti sunt :

« *Quiconque aura, par des actions hostiles non approuvées par le Gouvernement, exposé l'État à une déclaration de guerre, sera puni du bannissement; et si la guerre s'en est suivie, de la déportation.*

Quiconque aura, par des actes non approuvés par le Gouvernement, exposé des Français à éprouver des représailles, sera puni du bannissement. »

Ante omnia monendum est, hunc articulum non de dolo loqui : si quis enim cum intentione civitati bellum excitandi hostiliter egerit contra extraneos, sane ex art. 76. puniri poterit, ubi dicitur : *quiconque aura pratiqué des machinations pour engager les puissances étrangères à entreprendre la guerre contre la France sera puni de mort;* eaque ex causa modo superius relato mutata esse videntur verba exempli, quod codicis pœnarum sanctionem præcessit : *tout commandant de force de terre ou de mer, qui, sans ordre du Gouvernement, aura commis des aggressions hostiles ou des infractions de traités, tendant à allumer ou pouvant avoir l'effet d'allumer la guerre entre la France et une nation étrangère, sera puni de la peine de la relégation, et si la guerre s'en est ensuivie, il sera puni de la dé-*

portation (3); postquam curiæ quædam hunc articulum mutandum esse existimaverant (4). Etiam si quis extraneis injuriam intulerit cum intentione, ut injuria redderetur regnicolis, puniri poterit ac si ipse hanc injuriam regnicolis intulisset, ex art. 60. Cod. pœnar. qui dicit : *Seront punis comme complices d'une action qualifiée crime ceux qui, par machinations ou artifices coupables, auront provoqué à cette action*, etiamsi forte extra regnum extraneis injuria illata et regnicolis reddita fuerit; arg. art. 7. Cod. quæst. criminal. qui sic sonat : *tout Français qui se sera rendu coupable hors du territoire de l'empire d'un crime contre un Français, pourra, à son retour en France, y être poursuivi* etc.

Alia est quæstio, an non saltem crimina in duobus articulis nominata, tanquam admissa per culpam dolo determinatam consideranda sint, quum actus hostiles vel injuriæ contra extraneos per se dolosas actiones constituere censeri possint. Quum vero in nostris articulis præcipue actus hostiles vel injuriæ extra regni territorium in extraneos illata supponantur, ea igitur per se tanquam delicta ratione legum nostrarum considerari nequeant, sed tantum ratione effectus puniantur, admissa per meram culpam merito dici possunt. Revera autem in duobus articulis præcipue facta extra regnum commissa supponi, patet pro parte ex prima adumbratione art. 84. Cod.

(3) Art. 84. du projet de Code crim. Cfr. Cod. pœn. anni 1791. Part. II. tit. I. sect. 1. art. 2.

(4) Observations de la Cour d'appel d'Orléans sur l'art. 84 du projet; in Observatt. Curiar. editis Parisiis anno XIII.

pœnarum supra relata (5). Porro articuli 85. Cod. pœn. prima adumbratio hæc erat (6) : « *Quiconque aura outragé quelque personne que ce soit, sujette d'une puissance étrangère, hors du territoire de France, et exposé ainsi les Français à essuyer des représailles, sera puni comme s'il eût commis le délit dans l'intérieur.* » Unde actionum in dictis articulis Codicis nostri vetitarum natura facile intelligitur. Præterea in exemplo codicis anni 1804 proprius art. de *piratis* puniendis *summo supplicio* continebatur, in codice ipso omissus; unde *piratae* hodie ex admissorum effectu, vel ex art. 84, vel ex art. 85, puniendi videntur. Tandem si contra extraneos actus hostiles vel injuriæ in regno ipso committuntur, quum extranei in regno offensi legum nostrarum tutela fruantur, plerumque si gravis injuria est, in ejus auctorem gravior pœna infligenda erit quam pœna art. 84 et 85. statuta. His articulis tamen injuriæ in regno commissæ non omnino excluduntur. Hoc iterum colligitur ex alio articulo exempli codicis anni 1804, qui hæc habet : « *Si un commandant de forces nationales ou un fonctionnaire public, a attenté à la personne ou à la liberté d'un ambassadeur, ministre ou agent d'une puissance étrangère, ou à la franchise, soit d'un vaisseau, soit d'un commissaire parlementaire, il sera puni de relégation, sans préjudice des peines plus sévères que le genre de l'attentat commis serait de nature à mériter suivant la loi* (7). » Etiam hic articulus in Codice nostro omissus est, et inde facta in eo nominata ex

(5) Projet. art. 84.

(6) Projet. art. 88.

(7) Art. 86 du Projet.

diversitate effectus hodie vel ex art. 84, vel ex art. 85. punienda esse videntur. Cæterum hos art. Cod. nostri latius patere quam quatuor art. laud. exempli codicis criminalis, quivis primo adspectu videbit. Quæ vero de exempli articulis dixit curia quædam gallica (8), magis adhuc de articulis Codicis ipsius dicenda sunt, qui multorum dubiorum causam præbent. Primo quæri potest, cujus naturæ esse debeant actus, de quibus puniendis in art. ipsis sermo est. In art. 84. hi actus aliquatenus determinati esse videntur adpositione *hostiles non approuvées par le Gouvernement*, alias verba *non approuvées par le Gouvernement* sane ita intelligenda sunt, ut, si ex. g. navis præfectus ad vim a navi aliena illatam repellendam, contra hanc hostiliter egerit, vel disciplinæ publicæ præfectus vi usus fuerit ad avertendum crimen atrocissimum legati alieni, quod, si non nisi post summi imperantis concessionem impetratam egisset, impedire non amplius potuisset, pœna remittenda sit, quidquid ex vi ab illis præfectis exercita ortum fuerit; nec enim jus defensionis intra justos fines exercitum, nec officium justo modo impletum alicui pœnam adsciscere, nec justæ actionis eventus perniciosus alicui ad crimen imputari potest; nec, licet jus puniendi legatos alienos concessum non sit civitatibus ad quas mittuntur, hæ jure defensionis contra legatos exercendo privantur (9). Cæterum si

(8) Observations de la Cour d'appel de Bourges, ad art. 84 et 86. « Extrême prolixité; mauvaise rédaction. »

(9) Cfr. MARTENS Précis du Droit des Gens moderne de l'Europe. Gottingue, 1821. §. 218. pag. 382; et MALBLANC de pœnis ab effectibus defensionis naturalis etiam in statu civili probe distinguendis, in opp. ad jus crim. spectantib. Erlang. 1793. n. 3.

actus hostilis per se illegalis et injustus est, pœnæ art. 84. adplicatio non amplius a gravitate injuriæ pendebit; ob culpam enim in hoc articulo pœna et tam gravis ob gravem exitum irrogatur. Quot mala enim quodvis bellum vel sola belli denuntiatio gignit! et quam levis sit injuria quæ bellum vel belli denuntiationem provocavit, ejus origo semper auctoris injuriæ culpæ adscribi potest. Ex eadem ratione pœna art. 84. ad auctorem actus hostilis in *regno* exerciti, in eo solo casu adplicanda erit, si actus hostilis et injustus per se ex legibus nostris vel non puniendus, vel pœna quæ exilio aut deportatione levior est adficiendus sit. Actus hostilis *extra regnum* commissus, etiamsi per se gravissimam pœnam habeat, ipso bello secuto, non gravius quam deportatione puniendus erit, quia crimina extra regnum contra extraneum commissa non ex legibus nostris vindicantur (10).

Difficilius est definitu, quid sub verbis : *actes non approuvés par le gouvernement* in art. 85. intelligendum sit. Verbum *hostiles* in eo articulo omissum est; sed nihilominus actus illi injuriam continere debent; nam sub voce *représailles*, quam in jure gentium bene distinguimus a voce *rétorsion* (11), intelligimus injuriæ illatæ redditionem. An vero injuria extraneis illata qualiscunque sufficiet ad pœnam articuli irrogandam? Quid si regni nostri subditus extraneum injuria adfecerit, quæ

---

(10) Cfr. Cod. d'inst. crim. art. 5. 6 et 7. et Abegg ueber Bestrafung der im Ausland begangenen Verbrechen. Landshut. 1819.

(11) Cfr. Bynkershoek Quæst. jur. publici Lib. I. cap. 24; et Martens l. l. §. 253. sqq.

per se puniri non potuisset ex legibus nostris, et eadem injuria alteri subdito regni nostri reddita fuerit? An injuriæ primæ auctor exilio esset puniendus, qui si in ipso regno eamdem injuriam directe intulisset alteri subdito regni nostri, ab omni pœna immunis esset? Ex verbis articuli puniendus esse videtur : punitio vero hæc iniquissima foret. Magis æqua esset articuli sanctio, si sub verbis *actes non approuvés* tantum atrociores injurias vel tantum injurias ita illatas, ut nomine summi imperantis illatæ censeri possent, intelligere liceret; vel si verba *éprouver des représailles* ita accipi possent, ut tantum articuli pœna adplicaretur, si regni subditi præjudicio continuo fuerint expositi, vel ab ipsa civitatis alienæ summa potestate licentia vexandi subditos regni nostri fuerit data. Revera BYNKERSHOEK dicit : « repressalias accipimus pro licentia a Principe concessa occupandi aliorum personas bonaque, ob vim et injuriam antea suis subditis illatam et negatam de eo facinore justitiam, quo sic manu reparetur damnum, quod manu datum nec a magistratu coërcitum est. » Contra alii, veluti MARTENS, repressalias quoque adpellant violentias ad injuriam ab extraneis acceptam vindicandam ex privata auctoritate exercitas. Quomodo vero articulus noster intelligendus sit omnino dubium nec pœna ex gravitate injuriæ illatæ et redditæ in eo determinata est. Magis clara et magis justa ea de re est dispositio, quæ continetur in exemplo Codicis anni 1804, in quo injuria extra regnum illata supponitur : *Quiconque aura outragé quelque personne que ce soit sujette d'une puissance étrangère, hors du territoire de la France;* et pœna ex illatæ injuriæ gravitate determinatur : *sera puni comme s'il eût commis le délit dans l'intérieur.* Hæc enim pœna quodammodo naturalis esset consecutio ejus, quod in Cod. crim. art. 7. constitutum est, et injuria in regno illata

extraneis, quæ ut quævis alia injuria vindicari potest, particulari sanctione pœnæ non indiget. In solas læsiones legatorum extraneorum fortasse graviores pœnæ sanciendæ essent, ut gravius puniuntur injuriæ magistratibus illatæ. Nec injuria revera civibus innocentibus ab extraneis reddita, propter injuriam his illatam a singulo, hujus delictum magis adgravat, quam si injuria mea læsus eamdem injuriam reddit fratri meo cum læso et me eidem civitati subjecto. In eo solo casu si injuria extra regnum extraneis illata, cujus vindicationem læsus justo modo impetrare nequit, talem effectum habuit, ut inde commune periculum pluribus civitatis nostræ subditis ortum sit, pœna non minus quam secuta belli denuntiatione adgravanda esse videtur.

Hic naturaliter alia nascitur quæstio, an ex duobus articulis 84 et 85, pœna exilii etiam tunc adplicari possit, si ex actu hostili et injusto exercito a regnicolis in extraneos, nec belli denuntiatio nec repressaliæ, quas vocant, revera ortæ sunt? Quod negandum esse putamus. Deportatio certe non nisi bello secuto, quare etiam exilium non nisi belli denuntiatione facta vel repressaliis exercitis vel saltem literis ad eas exercendas a principe alieno concessis, infligi potest; alias quum idem actus vel belli denuntiationem vel repressalias provocare *possit*, eo commisso dubium esset ex *quo* articulo pœna esset irroganda. Nec obstat art. 2. Cod. pœnarum, nam in art. 84 et 85. *culpa* punitur, et culposorum factorum *conatus* cogitari nequit (12). Quum tandem ex fœderibus inter gentes Europæas initis literæ

(12) Quis cogitare potest *une tentative d'un homicide involontaire?* Sic nec cogitari quis poterit *avoir tenté d'attirer involontairement une déclaration de guerre à sa patrie.*

ad exercendas repressalias (lettres de marque ou de représailles), concedi non soleant nisi antecesserit id quod clarigationem Romani adpellaverunt (demande de satisfaction), ultima oritur quæstio, an clarigatione facta cum repressaliarum comminatione ob injuriam extraneis illatam, non saltem exilii pœna irrogari possit, quod adhuc dubitandum est.

Permulta præterea facta et omissiones, quæ tanquam delicta contra rempublicam considerantur, potius culposorum quam dolosorum naturam habent vel saltem ex Codice punienda videntur sine distinctione, utrum dolo an culpa facta vel omissa fuerint. Huc pertinent ex. g. pœnæ statutæ in eos, qui omiserunt ad magistratus deferre crimina ipsis nota in casibus articulorum 103 et sqq. 136; hæc enim omissio tam ex malo animo ea crimina adjuvandi vel iis favendi quam ex ulla negligentia culpam constituente oriri potest, nec hujus differentiæ ratio habenda esse videtur ex lege. Porro quum errones et mendicos pœnis adfici juberet legum lator art. 269 et sqq. 274, hoc sane fecit ob periculum quod reipublicæ ab hujusmodi hominibus imminet, nec certe pœnam ad casum restringi voluit, ubi hi homines revera hostiliter contra rempublicam animati essent. Tandem puniri possunt scriptorum seditiosorum distributores ex art. 285, licet crimen adjuvandi animum non habeant; iique qui solvunt nummos adulterinos quos pro bonis acceperunt, ex art. 135, licet hoc dolo non faciant, animadvertuntur. Omnia tamen facta quibus culpa vel tantum ratione damni futuri vel tantum ratione auxilii delictis aliorum dati inest, a fine nostro magis aliena et potissimum eas legis sanctiones explicandas esse puto, quæ vindicant facta, quibus læsio ulla sine auctoris intentione effecta et delictum quoddam per se exstans contractum est. Quare hoc argumento relicto nos ad sequentem §. convertamus.

22.

§. II.

De iis qui ratione muneris peccant.

Simul ac aliquis munus ullum a civitate ipsi delatum in se suscepit, ea re ipsa se ad omnia ea facienda obligavit, quæ ipsi vi muneris illius præscribuntur. Civitati igitur inde jus est ab eo strictam hujus obligationis impletionem exigendi, et quævis illius officii læsio hujus juris quoque læsio adpellari potest. Quare etiam notio doli in relatione munere quodam fungentium ad civitatem latius patet, quam in relatione aliorum civium ad civitatem; omniaque quæ præcipue a publico munere fungentibus sive magistratibus omittuntur, cum scientia se id vi muneris sui debere, dolosa adpellari poterunt. Ex his patet permulta ab argumenti nostri tractatione aliena esse, quæ alias ad eam pertinere viderentur. Cæterum non omnium quæ quis vi muneris facere tenetur omissio pœnis vindicatur; et permulta a munere ullo fungentibus ex ignorantia peccantur. Hæc vero ignorantia ut in aliis delictis duplex esse potest; vel enim ignoratur muneris obligatio vel pœnæ in eam non impletam sanctio. Prior non vero posterior doli notionem excludit; et sæpius in his causis ob bonam fidem delicti excusatio datur (1). Quatenus vero pœnæ sanctionis ignorantia doli pœnam excludere possit, ex generalibus præceptis est dijudicandum, et quæ hic diximus conformia judicabuntur cum iis, quæ de dolo et culpa ex rei natura superius examinavimus. In singulis casibus ea, de qua

---

(1) Sirey Code pénal annoté. Paris. 1819. ad art. 121. n. 1.

diximus, bonæ fidei probatio sane non admittenda est vel fieri nequit; et in his casibus si revera adfuit, punitio ob eam culpam infligitur, quam contrahit is, qui muneris sui officia scire neglexit. Codicis nostri articulos hanc culpam spectantes, ex proposito nostro et iis quæ in fine §. præcedentis diximus, silentio præterire licebit. Ex eadem ratione breviores erimus circa eos casus, in quibus ii, qui magistratu ullo vel munere funguntur, ex negligentia eorum, quæ vi muneris facere tenentur, alienum crimen per culpam adjuvant (2); sed præcipue nobis explicandi sunt ii casus, ubi quis punitur, quia per negligentiam eorum, quæ ex munere ipsi facienda erant, damnum quoddam sine intentione effecerit, ad quod avertendum muneris obligatio spectabat; iique, in quibus pœna statuitur, si officii ullius ex munere impositi læsione aliud delictum ortum fuerit, quod sine illa læsione ortum non esset.

Ad delicta culposa per negligentiam in muneris functione commissa præcipue referenda sunt ea, quæ contrahuntur a custodibus carcerum, si propter negligentiam eorum custodiæ quis evaserit, qua de re artt. 238. 239 et 240. sequentia statuta sunt.

« *Si l'évadé était prévenu de délits de police ou de crimes simplement infamants, ou s'il était prisonnier de guerre, les préposés à sa garde ou conduite seront punis, en cas de négligence, d'un emprisonnement de six jours à deux mois;......*

---

(2) Cfr. ex. g. art. 116. 119. et 120. Cod. pœnar.

Si les détenus évadés ou l'un d'eux étaient prévenus ou accusés d'un crime de nature à entraîner une peine afflictive à temps, ou condamnés pour l'un de ces crimes, la peine sera contre les préposés à sa garde ou conduite, en cas de négligence un emprisonnement de deux mois à six mois; . . . . . .

Si les évadés, ou l'un d'eux, sont prévenus ou accusés de crimes de nature à entraîner la peine de mort, ou des peines perpétuelles, ou s'ils sont condamnés à l'une de ces peines, leurs conducteurs ou gardiens seront punis d'un an à deux ans d'emprisonnement, en cas de négligence; . . . . »

Qui hic sub nomine veniant custodum definitur art. 237, qui hæc habet :

« *Toutes les fois qu'une évasion de détenus aura lieu, les huissiers, les commandants en chef ou en sous-ordre, soit de la gendarmerie, soit de la force armée, servant d'escorte ou garnissant les postes, les concierges, gardiens, geôliers et tous autres préposés à la conduite, au transport, ou à la garde des détenus, seront punis ainsi qu'il suit.* »

Ad eos vero, ob quorum fugam custodidus pœna irrogatur, pertinent *les prévenus d'un délit, les accusés, les condamnés, les prisonniers de guerre;* sub iis autem non intelliguntur ob æs alienum inclusi (3). De hisce enim lex non loquitur, nec ulla est ratio sta-

(3) Sirey ad art. 237. n. 3. dicit : « Les lois relatives à l'évasion des prisonniers détenus, ne concernent pas les individus détenus ou arrêtés pour

tuendi, legumlatorem hos quoque in sua dispositione contineri voluisse, imo adeo verisimilius est legumlatorem eos excipere voluisse : incusatos enim vel accusatos vel condemnatos vel hostes captos in carceribus remanere utilitas publica postulat; quum ob æs alienum inclusi ad privatorum commodum in carcere contineantur. Nec pœnam in custodes irrogari posse puto, si correctionis causa contenti vel ex Codicis pœnarum art. 66, vel ex decreti regii 23. Februarii an. 1815. art. 1. (4), ex carcere effugiunt. Licet enim hæc inclusio ex judicis sententia locum habere possit, ad eam remissi, præcipue inclusi ex Codicis pœnarum art. laudato, non *delicti* causa condemnati censeri possunt. Inclusi enim sunt, quia sine *judicio* factum vetitum commisisse judicabantur; et sine *judicio* nullum *delictum* contrahitur.

Custodes carceris, ex quo æris alieni causa contentus effugit, ex articulis nostris *puniri* non posse diximus, *condemnari* ta-

---

dettes, que l'huissier préposé à leur garde laisse échapper par *négligence* ou connivence; » quod auctoritas rerum judicatarum et legum anteriorum confirmat.

(4) « De regtbanken van eersten aanleg zijn bevoegd, om tot handhaving der goede orde en ter voorkoming zoo van krenking aan de openlijke zeden, als van ongelukken, op aanzoek der naaste bloedverwanten, of zelfs op requisitie van onze civil Procureurs, ex officio gedaan, in een verbeterhuis te doen plaatsen, alle zoodanige personen, die, of door het verlies hunner zinnen, of wel uit hoofde van grove verkwisting of andere bewijzen van slecht gedrag, in de zamenleving niet kunnen worden behouden, of zich daartoe onwaardig hebben gemaakt, en zulks voor zoo lang, als geene zekere bewijzen van beterschap door de gedetineerden zijn gegeven. »

men possunt ex art. 244. Cod. pœnar. qui generaliter de inclusis loquitur his verbis: *Tous ceux qui auront connivé à l'évasion d'un détenu seront solidairement condamnés à titre de dommages-intérêts à tout ce que la partie civile du détenu aurait eu droit d'obtenir contre lui.* Sed verbum *connivé* demonstrat ad *negligentes* custodes hunc articulum adplicari non posse, licet et hi ex codice civili teneri posse videntur. Nec ut verbum *favorisé* indicat, ad negligentes custodes spectat art. 247, qui sic sonat : *Quiconque sera condamné pour avoir favorisé une évasion..... pourra en outre être mis sous la surveillance spéciale de la haute police.*

Præterea pœnæ art. 238. 239 et 240. statutæ, eo graviores quo gravior causa est propter quam custodia locum habuit, si ii qui evaserunt, intra certum tempus nec novi delicti causa custodiæ fuerint redditi, aut esse in judicio stiterint, negligentibus custodibus remittuntur. Articulus enim 247 dicit : « *Les peines d'emprisonnement ci-dessus établies contre les conducteurs ou les gardiens en cas de négligence seulement, cesseront lorsque les évadés seront repris ou représentés, pourvu que ce soit dans les quatre mois de l'évasion, et qu'ils ne soient pas arrêtés pour d'autres crimes ou délits commis postérieurement.* »

Non abs re erit admovere quod in codice anni 1791 erat receptum : « *Si les évadés viennent à être repris dans les six mois de leur évasion, la durée de l'emprisonnement ou des fers prononcée contre les préposés à leur garde et autres responsables sera diminuée de moitié.* » Unde patet lege ea vigente in hoc casu pœnam tantum fuisse minutam ; sed in eo nec ex codice anni 1810 custodes semper a pœna liberari, sive om-

nino excusari credendum est; nam totam pœnam quis ex articulo 238, vel ejus partem ex art. 239 et ex art. 240, jam subiisse poterit, antequam causa remissionis exstiterit. Articulus enim 247 dicit *cesseront*, nec usquam dicitur differendam esse pœnæ illationem donec tempus statutum quatuor mensium elapsum fuerit (5).

Hujus remissionis autem, qualisqualis sit, causam in ipsa delictorum culposorum natura quærendam esse dixerim, quia scilicet in iis pœna sæpius ab effectu pendet, et negligentes

---

(5) Sic quoque sentit Le Graverend Traité de législ. crim. T. I. p. 10. Locum adducere haud pigebit : « L'évasion des détenus donne lieu, en général, à des poursuites criminelles ou correctionnelles contre les individus préposés à leur garde : cependant lorsqu'il n'y a eu que de la négligence de la part des conducteurs ou gardiens des prisonniers et des détenus évadés, les peines d'emprisonnement, qui sont établies par la loi, doivent cesser, si les évadés sont repris ou représentés dans quatre mois de l'évasion, et ne sont pas arrêtés pour d'autres crimes ou délits commis postérieurement.

Faut-il conclure de ces dispositions du code pénal, que pendant quatre mois il doit être sursis aux poursuites contre les conducteurs ou gardiens prévenus de négligence à l'occasion de l'évasion des prisonniers, sauf à agir contre eux après ce terme, si, dans l'intervalle, les évadés n'ont pas été repris ou représentés, ou si l'ayant été, ils ont commis quelque crime ou délit depuis leur évasion ? Ce n'est certainement pas ainsi que la loi doit être entendue : les poursuites doivent être faites dans ce cas comme dans tout autre ; seulement, lorsque les tribunaux ont condamné les conducteurs ou les gardiens à l'emprisonnement, cette peine doit cesser de suite, quand même le jugement ou l'arrêt aurait acquis la force de chose jugée, quand même il aurait commencé à recevoir son exécution, si les deux conditions exigées par la loi pour produire cet effet se trouvent réunies. »

carcerum custodes quodammodo ob damnum puniuntur, quod ab iis qui evaserunt imminet, et iis custodiæ redditis cessat. Quare etiam novo delicto ab eo qui effugit commisso, pœna non remittitur (6).

Quædam adhuc ex nostris articulis dubia nascuntur. Primo quæri potest quid in art. 238, sub verbis *délits de police* intelligendum sit? Sub iis vero tantum admissa, quæ in specie *délits*, non ea quæ *contraventions* adpellantur, intelligi, patet minus ex usu verbi *délits*, quod præcipue conjunctum cum verbo *de police*, interdum tam delicta in specie *délits de police correctionnelle*, quam peccata leviora *délits de simple police*, denotare constat (7), ut alibi vox *contraventions* usurpatur pro voce *délits* (8), quam ex pœna ipsa statuta in negli-

---

(6) De hac causa monet DUFOUR Cod. pénal avec explications. Paris. 1811. vol. I. ad art. l. « La loi présume en cas de reprise ou de représentation des détenus évadés, que c'est en considération des gardiens ou conducteurs que cette reprise ou cette représentation s'est effectuée, et alors elle remet ou fait cesser la peine de ceux-ci; mais sa présomption ne peut avoir lieu quand il n'y a eu arrestation qu'à cause de nouveaux crimes ou délits commis par les évadés. »

(7) Cfr. Cod. pœnar. Lib. III. tit. I. cap. 3. sect. 6. inscriptionem cum sectionis ipsius articulis in specie art. 284 et 288. Sæpius loco *contraventions* usurpatur vox *délits de police municipale*, ut in lege 22. Julii 1791. tit. I. ante art. 14; et sub voce *délits ruraux*, sive *délits de police rurale*, non solum facta pœna correctionali sed etiam facta pœna municipali punienda intelliguntur, ex codice rurali adhuc vigente 6 Octob. 1791. tit. II. art. 1.

(8) Cfr. Cod. pœn. Lib. III. tit. I. cap. 3. sect. 3. §. 1. inscriptionem et tit. II. cap. 2. sect. 2. §. 3. inscriptionem cum ipsis articulis §. §. laudatorum.

gentes custodes, qui, si ex negligentia ob fugam auctoris levissimorum peccatorum adficerentur ea pœna, gravius quam ipsi horum peccatorum auctores punirentur. Pœna enim factorum quæ *contraventions* dicuntur, gravissima est *quinque* dierum inclusio; custodum negligentium levissima *sex* dierum. In omnibus aliis vero casibus, in custodes *negligentes* multo levius animadvertitur, quam in delictum animadvertendum est, cujus causa is qui evasit detinebatur. Porro in art. 238 cod. pœnar. inter personas ob quarum evasionem pœna custodibus infligitur, nominantur *les prévenus de délits de police ou de crimes simplement infamants*, non vero sermo est de condemnatis ob illa delicta, nec de accusatis ob hæc crimina, ut in sequentibus articulis recensentur *les prévenus, les accusés et les condamnés*. Sine dubio vero legumlator, sub verbis *prévenu de crimes simplement infamants*, etiam horum criminum *accusatos* comprehendere voluit; quia vero in delictis levioribus inter *prévenu* et *accusé* non distinguitur jure gallico, et de levioribus delictis in nostro articulo prius sermo est, in iis quæ de criminibus adjecta sunt ex incuria vox *accusé* omissa est. Sic etiam sub verbis *prévenu de délits de police*, horum delictorum *condemnati* continentur ex mente legumlatoris. Quia vero criminum, quæ dicuntur *simplement infamants*, condemnati non pœnæ causa includuntur, ideoque de horum criminum condemnatis mentio non facienda esse videbatur, et de incusatis horum criminum ultimo loco sermo erat, ex incuria quoque condemnati leviorum delictorum omissi sunt, quorum incusati anterius nominati erant. Cæterum ipsorum criminum simpliciter infamantium condemnati memorandi fuissent, licet enim horum pœna non sit inclusio, sed vel exilium, vel pœna ignominiosa, vel minuta existimatio, evenire

tamen posset, ut condemnatus ad ullam harum pœnarum, antequam eam subiret inclusus, custodum negligentia effugeret, in quo casu dubitandum foret an negligentiæ pœna peti posset (9)? Custodum carceris negligentia quæ in art. 120 continetur, ut jam diximus, minus ad argumenti nostri tractationem pertinet.

His dictis de carcerum custodibus, in sermonem incidunt sigillorum custodes, de quibus a lege cautum est art. 249 et 250 his verbis :

« *Lorsque des scellés apposés, soit par ordre du Gouvernement, soit par suite d'une ordonnance de justice rendue en quelque matière que ce soit, auront été brisés, les gardiens seront punis, pour simple négligence, de six jours à six mois d'emprisonnement.*

Si le bris de scellés s'applique (10) *à des papiers et effets d'un individu prévenu ou accusé d'un crime emportant la peine de mort, des travaux forcés à perpétuité ou de la déportation, ou qui soit condamné à l'une de ces peines, le gardien négligent sera puni de six mois à deux ans d'emprisonnement.* »

---

(9) Si carcerum custodes evasionem inclusi effractura carceris effectam, non quidem datis armis, sed alio instrumento dato adjuverint, quod sane cogitari potest, non gravius puniuntur ac si alio modo dolo dedissent effugium, quum tamen reliqui fugæ adjutores in hoc casu gravius puniuntur quam si evasionem simpliciter adjuvissent. Cfr. art. 241 cum præcedentibus et cum art. 243.

(10) I. e. *si les scellés brisés étaient appliqués.*

Pœna hic statuta, scilicet carceris in sex dies ad sex menses vel in sex menses ad duos annos, causam mitigationis remissionisve non habet quam habent negligentes carcerum custodes. Talis remissio vero vel mitigatio etiam sigillorum custodibus ex lege concedi posset, si ex ruptis sigillis nullum damnum ulterius fuerit datum, vel si custodes ipsi sua diligentia effecerint, ne sigillis ipsorum negligentia ruptis, delicti auctores finem suum adtingerent. Licet enim factum quod dicitur *bris de scellés*, per se delictum constituat ut id quod dicitur *bris de prison*, tamen negligentes illius delicti adjutores potissimum ratione damni ex eo delicto orituri puniendi videntur, ut negligentes effracturæ carcerum adjutores ratione damni ab eo qui evasit timendi. Ruptis sigillis rei cuidam ex auctoritate privata *adpositis*, etiam si quis forte ex auctoritate publica horum sigillorum custos constitutus fuerit, in articulorum nostrorum pœnas custos minus diligens non incidet.

Ad casus modo relatos etiam referendus est art. 254, qui sic sonat :

« *Quant aux soustractions, destructions et enlèvements de pièces, ou de procédures criminelles, ou d'autres papiers, registres, actes et effets contenus dans des archives, greffes ou dépôts publics, ou remis à un dépositaire public en cette qualité, les peines seront, contre les greffiers, archivistes, notaires ou autres dépositaires négligents, de trois mois à un an d'emprisonnement, et d'une amende de cent francs à trois cents francs.* »

Personæ enim in hoc articulo nominatæ ex ejus sanctione

puniuntur, si in officii impletione negligentia argui possunt, eaque negligentia aliquid sublatum fuerit ad quod custodiendum obligati sunt. Etiam hic quæstio proponi potest, annon hæc pœna remittenda sit, si dictarum personarum diligentia res per earum negligentiam sublata scriniis publicis fuerit reddita?

Huc quoque pertinent delicta redemptorum in art. 430 et sqq. nominata, quæ, licet ea in codice nostro delictis contra privatos adscribantur, et redemptores non ad publico munere fungentes pertineant, ex sua natura tamen potius criminibus contra rempublicam adnumeranda sunt, et quidem ad ea quæ ratione muneris ex civitate suscepti peccantur. Articulorum 430 et 433, ad nostram causam spectantium, verba hæc sunt:

« *Tous individus chargés comme membres de compagnie ou individuellement, de fournitures, d'entreprises, ou régies pour le compte des armées de terre et de mer, qui, sans y avoir été contraints par une force majeure, auront fait manquer le service dont ils sont chargés, seront punis de la peine de la réclusion, et d'une amende qui ne pourra excéder le quart des dommages-intérêts, ni être au dessous de cinq cents francs......*

Quoique le service n'ait pas manqué, si, par négligence, les livraisons et les travaux ont été retardés..... les coupables seront punis d'un emprisonnement de six mois au moins et de cinq ans au plus, et d'une amende qui ne pourra excéder le quart des dommages-intérêts, ni être moindre de cent francs. »

Ex posteriori articulo cum priori comparato et ex verbis *par négligence*, quibus utitur in posteriori legislator ad prio-

rem remittens, effici potest, in priori de dolo sermonem esse, non obstantibus verbis *sans être contraints par une force majeure.* Ad duos casus per se diversos, videlicet ad eum, quo res exercitui præbendæ nullo modo præbitæ, et ad illum, quo tardius præbitæ fuerint, respexisse quidem in his articulis legislator videtur; sed uterque casus quodammodo ad unum redit, et duo articuli tantum doli et culpæ differentiam spectare censeri possunt. Si quis enim nulla necessitate cogente res, quas se exercitui præbiturum esse promisit, revera non præbuit, deficiente animo non præbendi, et rebus ex sola negligentia non præstitis, redemptor semper præstationi ex negligentia moram adtulisse dici potest; ergo ex art. 433 puniendus erit : et tunc tantum si intercessit animus non præbendi, quo in hoc casu dolus constituitur, articuli 430 pœna adplicanda erit. Hoc etiam confirmant ea quæ in duobus art. sqq. 431 et 432 statuuntur. Ex art. 432 etiam, ut ex art. 430, is qui præter animum non præbendi, haberet animum ea re hostium progressus adjuvandi, aliud crimen committeret multo gravius puniendum ex art. 77. Obiter monendum in art. 433 culpam dolo æquiparatam videri. Articulus enim postquam de culpa cavisset, ad dolum respiciens adjicit : *ou s'il y a eu fraude sur la nature, la qualité ou la quantité des travaux ou main-d'œuvre ou des choses fournies;* et in utrumque delictum eamdem pœnam sancit. Utrumque delictum tamen non eamdem læsionem continet : gravius enim damnum dat is qui non præbet justo tempore quod promisit exercitibus, quam is qui promissum quidem præstat, sed non tali modo quali se id præstiturum esse promisit. Gravior læsio dolo effecta ex art. 430 gravius, culpa vero facta ex art. 433 levius eadem pœna qua læsio levior dolosa punitur; et læsio levior culpa effecta ex neutro articulo punitur. Per se talis *doli* et

culpae æquiparatio vituperanda non magis est quam pœna in *culposum* homicidium, eadem ac in *dolosam* corporis læsionem leviorem sancita (11). Redemptorum fraudes tamen per se in art. 433 æquo mitius cöerceri juste observavit vir clariss. DESTRIVEAUX (12).

Quodammodo doli et culpæ æquiparationem continent art. 125 et 126 cod. pœnar. qui de illegitimis magistratuum conspirationibus tractant his verbis :

« *Dans le cas où ce concert aurait eu pour objet ou résultat un complot attentatoire à la sûreté intérieure de l'état, les coupables seront punis de mort, et leurs biens seront confisqués.*

Seront coupables de forfaiture et punis de la dégradation civique les fonctionnaires publics qui auront, par délibération, arrêté de donner des démissions dont l'objet ou l'effet serait d'empêcher ou de suspendre, soit l'administration de la justice, soit l'accomplissement d'un service quelconque. »

Ex verbis enim *résultat, effet,* culpa quoque articulorum pœnis adficienda esse, et ex verbis *aurait eu, serait,* ad pœnam culpæ irrogandam ne requiri quidem videtur exitus vel effectus revera secutus. Hoc quidem minus evidenter patet ex priori articulo, cujus scriptura admodum obscura mihi videtur. Fortasse legumlator dicere voluit : *dans le cas où l'*EXÉCUTION *de ce concert aurait eu pour objet ou pour résultat un attentat à la sûreté intérieure de l'état;* in quo casu articulus magis quadrat in articulum sequentem, sed admodum severus

(11) Cfr. Cod. pœn. art. 319 cum art. 311. pr.

(12) Essai sur le Code pénal. Liége. 1819. p. 102.

est. Minuss everus esset, si legumlator dicere voluisset : *Dans le cas où ce concert* AURA EU *pour objet ou pour résultat un attentat à la sûreté intérieure de l'état;* nam in hoc casu dolus quidem etiam culpæ æquipararetur, sed sine intentione securitatem civitatis adgrediendi, pœnæ locus tunc tantum esset, si conventionis exsecutione civitatis securitas revera adtentata fuerit. In nullo casu clara sunt verba : *dans le cas où ce concert aurait eu pour objet ou pour résultat un complot attentatoire;* eaque exinde orta esse videntur, quia legumlator duas ideas una positione reddere voluit, quarum altera est *si le concert est un complot attentatoire à la sûreté, etc.*, altera *dans le cas où l'exécution du concert pouvait avoir pour résultat un attentat à la sûreté etc.;* qua posteriori, ut jam dictum est, justior esset hæc : *si l'exécution du concert a pour résultat un attentat à la sûreté etc.* In hoc ipso casu pœna mortis inferretur in culpam dolo determinatam, quia sub voce *concert* in art. 125, ut ex ejus comparatione cum antecedentibus patet, certe talis conventio intelligitur, qua aliquid *illiciti* decernitur. Hac ex causa etiam minus articulus ille nostrum argumentum spectat. Sed quodammodo omnis læsio per magistratum sine intentione, sed eo quod scienter aliquid omisit quod ex munere ipsi faciendum erat, effecta, per culpam dolo determinatam effecta nominari potest.

SECTIO ALTERA.

DE DELICTIS CIRCA PRIVATOS.

§. I.

De delictis gravioribus, quae culpa contrahuntur.

Ad delicta graviora quæ culpa circa privatos committi possunt, inprimis ea pertinent, quæ a legislatoribus gallicis *homicide, blessures et coups involontaires* nominantur (1), et in articulis 319 et 320 continentur; quorum prior fert :

« *Quiconque par maladresse, imprudence, inattention, négligence ou inobservation des réglements, aura commis involontairement un homicide, ou en aura involontairement été la cause, sera puni d'un emprisonnement de trois mois à deux ans, et d'une amende de cinquante francs à six cents francs.* »

Alter vero :

« *S'il n'est résulté du défaut d'adresse ou de précaution que*

(1) De hac nuncupatione jam superius locuti sumus pag. 57.

des blessures ou coups, l'emprisonnement sera de six jours à deux mois, et l'amende sera de seize francs à cent francs. »

Locus hic, ubi legislator in animo habuisse videtur culpæ notas quascunque quibus ejus species diversæ distinguuntur, comprehendere, qui sedulo perpendatur et exemplis illustretur omnino dignus est. Et primum animadvertendum est, recensionem spectatam non omnibus suis partibus expletam, nec verba quibus diversas culpæ species distinguere voluit legumlator, rei significandæ satis esse accommodata. Primum in articulo prius laudato nobis occurrit verbum *maladresse*, quod quidem *minorem hanc dexteritatem* denotat, quæ, in factis ex *lascivia* commissis, eventum perniciosum adducit; ideoque indicare videtur culpam eorum qui nimis in dexteritate sua confisi, industriam in armis quibusdam tractandis ostendant, vel circulatorum aliorumque ex. g. chirurgicorum, qui artem aliquodve cui impares sunt, exerceant aut operentur; sed etiam omnem *rusticitatem imperitiamque* designat, quæ sæpius etiam sine *lascivia*, imo adeo sine omni *culpa* malum eventum adducit. Unde hic articulus eo facilius male adplicari posset, quum ipsi JCti magni nominis (2), ex usu hujus verbi colligant, ex mente legumlatoris puniendum esse eum, qui forte culpa alterius, vel casu in statum perductus in quo ipsi agendum erat ad periculum amovendum, id ob deficientem dexteritatem amovere non poterat.

Sed si is qui hominem curandum temere susceperit eumque

---

(2) Bavoux Leçons préliminaires sur le Code pénal pag. 163 et 164.

ex imperitia occiderit puniendus est, certe non ob imperitiam, verum ob lasciviam quacum curam suscepit punitur. Quare etiam si quis equum bona fide conscenderit, quem alter ipsi tanquam mansuetum locaverit, equus vero ex ignota equiti consuetudine frenum domuerit, et quia retineri non poterat ab equite, hominem ita calcaverit ut moreretur, eques certe deficientis dexteritatis pœnam non dabit : sub voce enim *maladresse* legumlator *lasciviam* intellexisse censendus est. Contra sub voce *négligence* eam culpæ speciem indicasse videtur, quam ex usu verborum romano superius culpam ex *imprudentia* adpellavimus, et sic in verba *maladresse* quadrare videntur verba art. posterioris *défaut d'adresse* et *défaut de précaution* (3), quibus in eo sensu omnis culpa indicatur, sive orta ex eo quod quis effectus provisi periculum adiit, sive effectum providendum providere neglexit. Sed ipsum vocabulum *négligence* non satis aptum videtur ad id quod oppositum est verbo *maladresse* (4) exprimendum ; nam pro culpa in genere ut vox latina *negligentia* etiam usurpari potest. Saltem ita usurpata esse videtur art. 458, ubi verba *pièces d'artifice allumées ou tirées par négligence* significare id, ad quod art. 471 spectatur, ubi sancitur *la défense de tirer, en certains lieux, des pièces d'artifice,* ergo ad eam culpæ speciem spectare videntur, quæ in nostro art. 319 refertur verbis *inobservation des*

---

(3) *Sans précaution ou avec maladresse* art. 479. n. 3.

(4) Fortasse etiam legumlatores gallici per verbum *négligence* oppositum voci *maladresse*, idem exprimere voluerunt, quod, ut superius diximus, quidam auctores Germaniæ inter *culpam* in specie et *negligentiam* ex jure romano interesse contendunt.

réglements, et quæ, ut mox exponemus, plerumque ad *lasciviam* in sensu superius exposito accedit.

Nec satis distincta ipsa hæc verba *inobservation des réglements* esse videntur; nam ac si scriptum esset *transgressione legis poenalis*, etiam culpam dolo determinatam quondam a curia regni nostri ex art. 319 punitam esse legi (5). Ex curiæ hujus sententia, pater qui dolo malo filiam suam vulneravit, sed id non occidendi animo fecisse judicatus est, morte secuta ex articulo nostro pœna culposi homicidii adfectus est. Quamvis vero non in sententiam eorum discedam, qui tale homicidium tanquam dolosum ex art. 302 vel 304 puniendum esse opinantur, nec cum his credam, ex codice anni 1810 animum necandi ad homicidium dolosum non requiri, minus adhuc curiæ illius sententia mihi comprobatur. Saltem vero indeterminatum animum necandi ad constituendum id quod *meurtre* et *assassinat* dicitur, jure nostro requiri, non obstantibus verbis articulorum 297 et 298 *à la personne, actes de violence*, confirmat comparatio articulorum 231 et 233, unde eruitur verba *qui portent le caractère de meurtre*, significare id quod *qui ont été faites dans l'intention de tuer*. Porro si auctor dolosus vulnerum, morte secuta ad quam non intendit, ex mente legumlatoris puniendus esset tanquam *homicide volontaire*, legumlator tentati et consummati criminis notas diversas constituisse dicendus foret, quia homicidii tentati causa certe nemo nisi probato occidendi animo punitur. Tandem si in singulis casibus per exceptionem homicidii dolosi pœna sine occidendi animo infligitur, ut art. 231,

---

(3) Van Heusden Merkwaardige voorbeelden uit de hedendaagsche lijfstraffelijke regtspleging. Breda. 1822. n. 5.

vel etiam art. 437, hisce exceptionibus regula confirmatur. Nihilominus patrem, de quo superius diximus non juste ex art. 319 punitum esse contendo; vulneratio enim per se tanquam talis considerari potuisset, quales art. 309 et sequentibus definitæ sunt, et ex uno horum articulorum puniri.

Sed ut ad locum nostrum revertamur, animadvertendum est, sub verbis *par inobservation des réglements* intelligendam esse negligentiam talium disciplinæ publicæ statutorum, quibus factum quoddam ratione damni inde orituri vetatur, sive tale factum, quod, ut superius diximus, ad læsionem culposam in ea est relatione in qua conatus ad læsionem dolosam. Homicidium vero tali transgressione effectum, ab eo qui transgressionis sibi conscius erat, ut etiam jam expositum est, tanquam homicidium ex *lascivia* commissum considerari potest (6), ejusque diversa exempla cogitari possunt (7). Attamen quis non videat, statutorum disciplinæ publicæ negligentiam per se propriam culpæ speciem non constituere, imo adeo interdum injustum esse alicui homicidii effecti culpam ex sola illa negligentia imputare? Si enim tali statuto factum quoddam vetitum fuerit ratione læsionis longe ab homicidio diversæ, et ex eo migrato per particularem rerum circumstantiam homicidium ortum

---

(6) Cfr. quæ superius diximus cap. III. sect. II. §. 5.

(7) Apud Sirey Cod. pén. annoté, ad art. 319, exemplum hoc refertur: « En cas d'accidents qui auraient occasionné la perte ou la mutilation d'un ou de plusieurs ouvriers, faute de s'être conformé aux réglements, les exploitants, propriétaires et directeurs des mines, pourront être traduits devant les tribunaux, pour l'application, s'il y a lieu, des dispositions des articles 319 et 320 du Code pénal. »

fuerit, quod nullo modo providendum erat, vel factum commissum *non proxime* sequebatur, an juste ex articulo punietur ? Unde facile intelligitur, quam vaga sint illa verba, eaque potius omittenda fuisse arbitror.

Verbis *imprudence* et *inattention*, id quod verbis latinis *inconsiderantia* et *incuria* exprimitur (8), et licet iis diversæ culpæ species indicantur, ea tamen ad culpæ naturam definiendam non sunt necessaria; quare etiam in art. 320 omissa sunt, licet certe non legumlatoris intentio esset, læsionis in hoc art. nominatæ culposum auctorem *minus stricte teneri*, quam auctorem homicidii culposum ex art. 319. Illum vero *minus severe puniri* quam hunc æquum est, quum læsio illa levior sit hac, et præcipue in culpæ punitione facti exitus spectetur.

Si quis imprudenter vel ex lascivia quid admiserit, unde hominis cædes vel vulneratio facile oriri potuisset, sed nihil inde secutum fuerit, pœnæ locus non erit nisi illud inconsulto vel petulantius admissum propriam legis coërcitionem habeat; ut ex. g. is qui contra omnis prudentiæ præcepta sclopeta exoneraverit ignesve missiles jactaverit, ex articulo 471. n. 2. (9); vel is qui imprudenter quid ex ædibus dejecerit vel coram ædibus positum habuerit cujus casus nocere cui posset, ex art. 471. n. 6. pœnas dabit.

Monendum adhuc est articuli nostri pœnam interdum ex

---

(8) Cfr. Supra cap. III. sect. II. §. 2.

(9) Cfr. art. 473 et 472 quoad pœnam.

causa particulari cessare posse, quam rerum judicatarum auctoritate confirmatam JCtus SIREY his verbis refert (10) : « Lorsque le jury a déclaré *un accusé non coupable du meurtre porté en l'acte d'accusation*, cette déclaration peut contenir décision : 1° sur le fait d'*homicide;* 2° sur la question de savoir si l'accusé en est *l'auteur;* 3° sur la question de savoir s'il y a eu *volonté de tuer*. — Donc si ce jury n'a aucunement divisé sa réponse, s'il n'apparaît pas que l'accusé est acquitté seulement pour absence de volonté de tuer, l'accusé peut avoir été déclaré *non auteur de l'homicide*. — Dès lors il ne peut être permis de soumettre à un tribunal correctionnel la question de savoir, s'il a commis un homicide par imprudence; ce serait remettre en question l'action d'homicide; ce serait contrevenir à la maxime *non bis in idem*. » Hæc tamen causa excusationis minus justa mihi videtur; sed vitiosæ rationis de criminibus quærendi a legibus gallicis constitutæ necessaria consecutio est, quæ oriri non poterat ex legibus prioribus, ex quibus quæstiones judicibus proponendæ magis erant separandæ.

Ex nostrorum articulorum 319 et 320 comparatione cum articulis 302. 304. 309 et 310 patet, homicidium vel vulnera vel plagas culpa effecta multo levius puniri quam si ex dolo provenissent. Attamen si culpa talis est quæ dolo determinata dicitur, interdum ut dolus ipse cöercetur. Inter casus in quibus, si dolus et culpa concurrunt, gravior punitio infligitur, præter eos quos jam superius memoravimus, notatu dignus adhuc est is qui recensetur in cod. pœnar. art. 351, qui sic se habet :

(10) Code pénal annoté, ad art. 295.

« *Si par suite de l'exposition et du délaissement prévus par les articles* 349 *et* 350 (11), *l'enfant est demeuré mutilé ou estropié, l'action sera considérée comme blessures volontaires à lui faites par la personne qui l'a exposé et délaissé; et si la mort s'en est ensuivie, l'action sera considérée comme meurtre : au premier cas les coupables subiront la peine applicable aux blessures volontaires, et au second cas celle du meurtre.* »

Diximus, hic ut in nonnullis aliis codicis nostri locis sermonem esse de dolo et culpa concurrente : nam legumlator ipse in hoc casu mortis vel mutilationis infantis eventum tantum exponentis culpæ adscribere videtur dicendo : *l'action sera considérée comme blessures volontaires...... comme meurtre;* et factum ipsum expositionis et derelictionis dolo commissum supponitur, i. e. cum intentione exponendi vel derelinquendi qua actione sola læsio continetur, ex art. 349 et 352 vindicanda. Sed eo, quod art. 351 pœna gravissima, si infans perierit, tunc tantum adplicanda est si, xpositus fuerit infans *en un lieu solitaire,* saltem dolum indeterminatum, quem vocant, legislator ad pœnam infligendam requirere videtur. Quæ si vera ejus

(11) Art. 349. « Ceux qui auront exposé et délaissé en un lieu solitaire un enfant au-dessous de l'âge de sept ans accomplis, ceux qui auront donné l'ordre de l'exposer ainsi, si cet ordre a été exécuté, seront, pour ce seul fait, condamnés à un emprisonnement de six mois à deux ans, et à une amende de seize francs à deux cents francs. »

Art. 350. « La peine portée au précédent article sera de deux ans à cinq ans, et l'amende de cinquante francs à quatre cents francs, contre les tuteurs ou tutrices, instituteurs ou institutrices de l'enfant exposé et délaissé par eux ou par leur ordre. »

mens erat, eam minus adcurate verbis illis per se vagis reddidit; ideoque in quibusdam recentioribus codicibus, ad exemplum codicis gallici pro parte compositis, dictorum articulorum verba sapienter mutata dixerim (12). Antequam hunc locum Codicis ubi de homicidiis, vulneribus et plagis culposis agitur, relinquamus, etiam memorandus est art. 314 quo cautum est :

« *Tout individu qui aura fabriqué ou débité des stylets, tromblons, ou quelqu'espèce que ce soit d'armes prohibées par la loi ou par des réglements d'administration publique, sera puni d'un emprisonnement de six jours à six mois;*

Celui qui sera porteur desdites armes sera puni d'une amende de seize francs à deux cents francs.

Dans l'un et l'autre cas les armes seront confisquées. »

Ex eo articulo legumlator tam dolum quam culpam cöercere voluisse videtur, ratione damni quod ejusmodi armis dari posset; et ideo nec solus is ex articulo puniendus est qui dolo malo talia arma vendiderit vel portaverit, nec in eum qui cum intentione homicidium adjuvandi vendiderit vel cum intentione occidendi portaverit, gravius animadvertendum est, nisi armis homicidium revera commissum vel saltem ita tentatum fuerit, ut conatus auctor in art. 2. Cod. pœn. incideret; in quo casu

(12) Criminalgesetzbuch fuer den Canton Basel. 1821. §. §. 110. 111 et 112. Minus comprobanda est mutatio facta in Codice penale della republica e Cantone del Ticino. Lugano. 1816. art. 265. 267 et 268.

ipse venditor, etiamsi non in criminis exsecutione vel conatu participasset, ex art. 60 teneri posset, quod etiam art. 314 verba demonstrant *le tout sans préjudice de plus forte peine..... en cas de complicité de crime.* Cæterum articulus hic magis a fine nobis proposito alienus est, atque hoc solum adhuc monendum, prohibitorum armorum venditorem imprudentem homicidio per ea commisso ex art. 319 puniri posse videri.

De culposa animalium cæde vel vulneratione, ex art. 479 punienda, tanquam levioribus peccatis, in sequenti §. tractabimus. Ex art. vero modo laudato patet, in art. 453 et 454 verba *ceux qui auront tué des animaux*, nonnisi de dolo intelligenda esse, non obstantibus verbis *sans nécessité*, quæ tantum ad pœnam omnino remittendam ex causa necessariæ defensionis spectant. Hoc eo minus dubium adparere potest si cum laudatis conferatur art. 452.

Ad graviorem quoque culpæ speciem pertinet incendium una alterave ex causis in articulo 458 commemoratis excitatum :

« *L'incendie des propriétés mobilières ou immobilières d'autrui,* ait legislator in hoc articulo, *qui aura été causé par la vétusté ou le défaut, soit de réparation, soit de nettoyage des fours, cheminées, forges, maisons ou usines prochaines, ou par des feux allumés dans les champs, à moins de cent mètres des maisons, édifices, forêts, bruyères, bois, vergers, plantations, haies, meules, tas de grains, pailles, foins, fourages, ou de tout autre dépôt de matières combustibles, ou par des feux ou lumières portés ou laissés sans précaution suffisante, ou par des pièces d'artifice allumées ou tirées par*

négligence ou imprudence, sera puni d'une amende de cinquante francs au moins, et de cinq cents francs au plus. »

Sed non solum ii qui igne, verum etiam illi qui aquæ vi temere damnum ullum rebus alienis intulerunt, puniuntur, ut articulo 457 cautum est :

« *Seront punis d'une amende qui ne pourra excéder le quart des restitutions et des dommages-intérêts, ni être au-dessous de cinquante francs, les propriétaires, ou toute autre personne jouissant de moulins, usines ou étangs, qui par l'élévation du déversoir de leurs eaux au-dessus de la hauteur déterminée par l'autorité compétente, auront inondé les chemins ou les propriétés d'autrui.*

S'il est résulté du fait quelques dégradations, la peine sera, outre l'amende, un emprisonnement de six jours à un mois. »

Imo adeo mulcta in hoc casu gravior infligi quam in casu incendii, præterea pœna carceris in sex dies ad mensem unum pro damni natura decerni potest, eaque exacerbari in casu articuli 462 (13). Consideranda sunt articuli 457 verba : *par l'élévation du déversoir de leurs eaux au-dessus de la hauteur*

---

(13) « *Si les délits de police correctionnelle dont il est parlé au présent chapitre, ont été commis par des gardes champêtres ou forestiers, ou des officiers de police, à quelque titre que ce soit, la peine d'emprisonnement sera d'un mois au moins, et d'un tiers au plus en sus de la peine la plus forte qui serait appliquée à un autre coupable du même délit.* »

déterminée par l'autorité compétente ; quod si fit damnum, datum esse dici potest *par inobservation des réglements*. Inde patet, tantum certam culpæ speciem particulariter determinatam puniri posse in damno vi aquarum dato, quum in incendio culpa punienda pluribus modis minus generaliter tamen quam in homicidio et vulnerationibus contrahi possit.

Inter facta culposa quæ correctionis pœna adficiuntur porro recensendum est delictum termini per culpam moti, de quo in art. 456 hæc sanciuntur :

« ...... *Quiconque aura déplacé ou supprimé des bornes ou pieds corniers, ou autres arbres plantés ou reconnus pour établir les limites entre différents héritages, sera puni d'un emprisonnement qui ne pourra être au-dessous d'un mois ni excéder une année, et d'une amende égale au quart des restitutions et des dommages-intérêts, qui, dans aucun cas, ne pourra être au-dessous de cinquante francs.* »

Hic vero de culpa, saltem de culpa dolo determinata, sermonem esse haud secus ac in rescripto Hadriani superius relato (14), ex quo qui per ignorantiam lapides furati essent verberibus decidi placuit, efficitur ex art. 389 cod. pœnar. ubi in crimen termini per dolum moti pœna multo gravior, infamans scilicet et adflictiva, sistitur hisce: *la même peine* (de la réclusion) *aura lieu si pour commettre un vol* (pour agrandir son héritage)(15), *il y a eu enlèvement ou déplacement de bornes*

(14) L. 2. D. de term. mot.

(15) Ita hoc intelligit DUFOUR ad h. art. et ad art. 457.

servant de séparation aux propriétés. Fortasse quis dicet in loco ultimo laudato de casu ex rescripto Hadriani citato sermonem esse, scilicet de furto lapidum quo quis imprudenter terminum moverit, et in art. 456 de delicto termini moti proprie sic dicti. Sed si ita se res haberet, in crimine termini moti dolus i. e. animus fundum alienum occupandi multo levius quam culpa fortasse per leve furtum lapidis nulli pretii contracta puniretur, quod absurdum foret. Obstat usus verbi *vol*, quo alias *contrectatio* rei alienæ fraudulosa, ideoque non occupatio rei *immobilis* fraudulosa intelligitur. Sed non eadem vis est verbo gallico *soustraction*, quæ voci latinæ *contrectatio*, nec ullibi dicitur furtum in usurpatione rerum mobilium constare (16). Porro omnes articuli qui in codice articulum 456 sequuntur culpam spectant; et tandem art. noster desumptus est ex codice rurali anni 1791 (17), ubi sic scriptus erat :

« *Quiconque aura déplacé ou supprimé des bornes ou pieds corniers, ou autres arbres plantés ou reconnus pour établir des limites entre différents héritages, pourra en outre du paiement du dommage et des frais de replacement de bornes, être condamné à une amende de la valeur de douze journées de travail, et sera puni par une détention dont la durée pro-*

(16) In lege 22 jul. 1791 de disciplina municipali et correctura. tit. II. art. 33. dicitur : *le vol d'effets mobiliers*, quod ex usu juris gallici furtum rei immobilis supponit; alias verbis modo relatis pleonasmus inesset. Aliter dicendum ex jure romano. L. 1. D. de furt. L. 3. §. 18. D. de acquir. poss.

(17) Tit. II. art. 32. Exstant quoque leges anteriores de hac causa. Ordonnance du mois de janvier 1518 art. 27. Ordonnance des eaux et forêts du mois d'août 1669. Titre des peines et amendes. art. 4 et 6.

portionnée à la gravité des circonstances, n'excédera pas une année. La détention cependant pourra être de deux années, s'il y a eu transposition de bornes à fin d'usurpation. »

Verba prius scripta etiam in codice anni 1810 recepta, in codice rurali certe culpam spectabant; et articuli ex eo laudati ultima verba in codicis anni 1810 art. 456 omissa sunt, quia crimen termini dolo moti ex art. 389 puniri voluit legumlator.

Porro adhuc ad culpam gravius puniendam spectant art. 459, 460 et 461.

« *Tout détenteur ou gardien d'animaux ou bestiaux soupçonnés d'être infectés de maladie contagieuse, qui n'aura pas averti sur-le-champ le maire de la commune où ils se trouvent, et qui même avant que le maire ait répondu à l'avertissement, ne les aura pas tenus renfermés, sera puni d'un emprisonnement de six jours à deux mois, et d'une amende de seize francs à deux cents francs.*

Seront également punis d'un emprisonnement de deux mois à six mois, et d'une amende de cent francs à cinq cents francs, ceux qui, au mépris des défenses de l'administration, auront laissé leurs animaux ou bestiaux communiquer avec d'autres.

Si de la communication mentionnée au précédent article, il est résulté une contagion parmi les autres animaux, ceux qui auront contrevenu aux défenses de l'autorité administrative, seront punis d'un emprisonnement de deux ans à cinq ans, et d'une amende de cent francs à mille francs. »

In ultimo articulo pœna in contagia pecoris per culpam effecta admodum gravis, imo gravior pœna homicidii culposi statuta est, cujus ratio in communi talis admissi periculo fundata facile concipitur. Culpa ipsa quæ contagii causa esse debet adpellatur *contravention aux défenses de l'autorité administrative,* quod fere ad eam culpæ speciem redit quæ alibi dicitur *inobservation des réglements.* Ex eadem ratione communis periculi ne orto quidem contagio hujus culpæ pœna admodum gravis est ex art. 460. Aliquanto levior est pœna ex art. 459, si levior est causa culpæ et, quin peccatum esset contra jussum magistratus, aliquid omissum fuerit ex quo contagium facile oriri potuisset. In his articulis de culpa circa contagium et non de eo casu sermo est, si quis nefando animalium delendorum animo, ex industria contagium cum grege totius civitatis vel vici communicaverit; quod tum ex ipsis legis verbis quum maxime ex eo colligitur, quod non hæc esse poterat legumlatoris mens, tam diram nocendi cupidinem *vix gravius punire* quam eum, qui singula animalia veneno occiderit et ex art. 452 etiam per quinque annos in carcere contineri potest. Nec certe legislator voluit dolosum generalis contagii auctorem *a custodia disciplinae publicae eximere,* cui pœnam ex art. 452 perpessus ex ejusdem articuli fine subjici potest. Ex qua lege vero puniendus sit tam atrox contagii effector non nostrum est examinare. Animadvertendum est, aliud quoque delictum hujus generis, dolosam scilicet animalium vulnerationem, nec ex articulis 452, 453 et 454, nec ex art. 479 puniri posse. Tandem is qui culpa art. 459 indicata contagium revera cum aliena grege communicaverit, *non gravius* quam pœna carceris duorum mensium in illo articulo sancita puniri posse videtur; quum si quis in culpa art. 460 hæret, contagio secuto pœnam subit

cujus maximum, maximum contagio non secuto sancitum *decemplicatum* continet.

Tandem adhuc referendi sunt duo Codicis articuli, ex quibus puniuntur pœna correctionis ii, qui statum infantis recens nati ex ulla negligentia incertum reddunt, vel potius aliquid legibus præscriptum omittunt, quo status incertus reddi posset. Articuli vero ipsi sunt 346 et 347. Illo dicitur :

« *Toute personne qui, ayant assisté à un accouchement, n'aura pas fait la déclaration à elle prescrite par l'article* 56 *du Code civil, et dans le délai fixé par l'art.* 55 *du même Code, sera punie d'un emprisonnement de six jours à six mois, et d'une amende de seize francs à trois cents francs* (18). »

Altero vero sancitur :

« *Toute personne qui, ayant trouvé un enfant nouveau-né, ne l'aura pas remis à l'officier de l'état civil, ainsi qu'il est prescrit par l'article* 58 *du Code civil, sera punie des peines portées au précédent article* (19). »

---

(18) Art. 55. Cod. civ. « Les déclarations de naissance seront faites dans les trois jours de l'accouchement. »

Art. 56. « La naissance de l'enfant sera déclarée par le père, ou, à défaut du père, par les docteurs en médecine ou en chirurgie, sage-femme, officier de santé, ou autres personnes qui auront assisté à l'accouchement; et, lorsque la mère sera accouchée hors de son domicile, par la personne chez qui elle sera accouchée. »

(19) Art. 58. Cod. civ. « Toute personne qui aura trouvé un enfant

In utroque articulo culpa contrahitur omissione facti a legibus speciatim præscripti, *par inobservation des lois*. Hæc igitur culpa proxime accedit ad eam quæ *par inobservation des réglements* contrahi posse dicitur. In eam culpam pœna jam sancita erat ex lege 25 septembris 1792 (20), ex qua codicis civilis articulus 56 desumptus est. Quum vero codex civilis pœnam non adjecerit, quæstio moveri potest, an ante codicis pœnarum et post codicis civilis sanctionem illius culpæ pœna petenda fuerit ? Dici potest in codice civili legumlatorem tantum abrogare voluisse eam partem legis anni 1792, qua officium *civile* injungebatur; et demum codice pœnarum anni 1810 illius legis partem *pœnalem* abrogatam esse, quare post codicem civilem et ante codicem pœnarum peccatum contra art. 56 Cod. civ. ex lege 26 septembris 1792 puniendum fuisse (21). Contra in codice civili legumlator pœnam illius legis revera abrogare voluisse dici potest, quia timebat ne denuntiatione ex art. 56 intra tres dies omissa, metu pœnæ quis ab ea postea facienda averteretur vel ne pœnæ metu a matre partum editura amoveretur amicitiæ artisve auxilium (22). Certe ii Viri, qui collegio legum

---

nouveau-né, sera tenue de le remettre à l'officier de l'état civil, ainsi que les vêtements et autres effets trouvés avec l'enfant, et de déclarer toutes les circonstances du temps et du lieu où il aura été trouvé. »

(20) Tit. III. art. 5.

(21) Aliud est si quid sub pœna vetitum fuerit, et pœna postea expresse abrogata, serius vetitum renovatum fuerit nulla adjecta pœna; in hoc enim casu pœna a legumlatore omissa a judice suppleri nequit, ut sæpius judicatum est. Cfr. Bériat-St.-Prix Cours de Droit criminel. Grenoble 1817. pag. 4. not. 9. n. 3.

(22) Toullier Drt. civ. Lib. I. tit. II. cap. 2. n. 314. Locré Esprit du C. N. Tom. II. p. 85.

ferendarum rationes codicis pœnarum exposuerunt, legis anni 1792 pœnam codice civili abrogatam considerabant et ad novam pœnam sanciendam præcipue eo moti fuisse videntur, quia nonnulli legis præscriptum ea ex causa omiserunt, ne ii quorum nascentia denuncianda fuisset, militiæ nomen dare cogerentur (23). Si quis facere omiserit, quod art. 56 Cod. civ. præscriptum est, cum animo supprimendi alicujus statum, gravius ex art. 345 codicis pœnarum puniendus esset. Nec silentio prætereundum est, ad faciendum id cujus omissio punitur ex art. 346 Cod. pœnar. triduum concessum esse art. 55 Cod. civ.; ad faciendum vero id in quod omissum ex Cod. pœnar. art. 347 animadvertitur, temporis determinationem in art. 58 Cod. civ. deesse. Quum vero et id quod hoc articulo præscribitur, quodammodo tanquam nascentiæ denuntiatio possit considerari, id etiam intra triduum implendum esse videtur.

Antequam paragraphi hujus finem faciam, notandum est legislatorem generalem mitigationis causam, præcipue ad nostum argumentum spectantem articulo 463 sanxisse; dicit enim:

« *Dans tous les cas où la peine d'emprisonnement est portée par le présent Code, si le préjudice causé n'excède pas vingt-cinq francs, et si les circonstances paraissent atténuantes, les tribunaux sont autorisés à réduire l'emprisonnement même au-dessous de six jours, et l'amende même au-dessous de seize francs. Ils pourront aussi prononcer séparement l'une ou l'autre de ces peines, sans qu'en aucun cas elles puissent être au-dessous des peines de simple police.* »

(23) Cfr. Exposé des motifs du Code pénal. Ed. Didot. pag. 192.

Quod articuli initium attinet, post verba *où la peine d'emprisonnement*, subjiciendum est *ou l'amende ;* quod ex toto articulo certe colligendum est. Nihilominus hæc mitigatio nec locum habere videtur in casu art. 457, nec in casu art. 458, ut ex horum articulorum verbis effici potest. His casibus exceptis delicta mere culposa de quibus in hac sectione locuti sumus, omnia ex rerum circumstantia et damni dati tenuitate puniri possunt ut peccata contra disciplinam publicam leviora, de quibus quædam adhuc in sequenti §. dicenda sunt ex proposito nostro.

§. II.

De delictis in quibus culpa levius (1) *animadvertitur.*

In hoc §. tractandum nobis est de delictis culposis quæ tantum leviora peccata *contraventions* censentur; et ideo tantum leviori castigatione *peine de simple police* cöercentur. Inter ea primo loco recensenda sunt pauciora quædam, quæ ex sua natura sunt læsiones perfectæ, sed tam leves ut eas puniendas levissima mulcta aut brevissimum carceris tempus sufficiens videretur. Huc pertinent quæ articulo 479 sanciuntur :

« *Seront punis d'une amende de onze à quinze francs inclusivement,*

---

(1) Sic etiam pro *levior* legendum est in conspectu hujusce dissertationis pag. VIII. linea 15.

2°. Ceux qui auront occasionné la mort ou la blessure des animaux ou bestiaux appartenant à autrui, par l'effet de la divagation des fous ou furieux, ou d'animaux malfaisants ou féroces, ou par la rapidité ou la mauvaise direction ou chargement excessif des voitures, chevaux, bêtes de trait, de charge ou de monture.

3°. Ceux qui auront causé les mêmes dommages par l'emploi ou l'usage d'armes sans précaution ou avec maladresse, ou par jet de pierres ou d'autres corps durs.

4°. Ceux qui auront causé les mêmes accidents par la vétusté, la dégradation, le défaut de réparation ou d'entretien des maisons ou édifices, ou par l'encombrement ou l'excavation, ou telles autres œuvres, dans ou près les rues, chemins, places ou voies publiques, sans les précautions ou signaux ordonnés ou d'usage. »

Pœna ipsa mulcta est; sed in casu n. 3. articuli nostri pœna carceris pro delicti gravitate irrogari potest ex articulo 480; et ex art. 482 hæc pœna semper infligenda est, si quis admissi contra disciplinam jam prius condemnatus, intra annum contra art. 479 præscripta peccaverit, intra ejusdem jurisdictionis limites, ut art. 483 constitutum est. Pœnæ carceris ex art. 480 irrogandæ mulcta, quam eidem pœnæ ex art. 476 et 473 infligendæ adjiciendi potestatem habent judices, non adjici posse, nec ob animalia vulnerata vel occisa ex art. 479 quævis culpæ species puniri posse videtur. In numero 3. art. sub verbis *par jet de pierres ou d'autres corps durs,* imprudenter factum sine dubio intelligendum est. Si quis enim jactu doloso animal occiderit, ex art. 453 vel 454 puniendus foret.

Ad nostrum argumentum porro alius locus ex art. 471 codicis pœnarum pertinet, ubi dicitur n. 12.

« *Seront punis d'amende depuis un franc jusqu'à cinq inclusivement, ceux qui imprudemment auront jeté des immondices sur quelque personne* (2). »

Nec mirum hanc læsionem culpa ortam levissime puniri, quum ejus ipso dolo effectæ pœna levissimorum peccatorum correctionis modum non excedat, ut ex art. 475. n. 8. videri potest. Cæterum huic læsioni dolosæ in articulo mox laudato æquiparatur alia noxia levis dolo facta, scilicet *le jet de corps durs*, quæ per culpam effecta puniri non posse videtur, nisi læsionis art. 320 nominatæ naturam habeat. Reliqua quæ in loco ultimo laudato codicis pœnarum continentur: *ceux qui auraient jeté des pierres ou d'autres corps durs, ou des immondices contre les maisons, édifices ou clôtures d'autrui, seront punis d'amende depuis six jusqu'à dix francs inclusivement*, dubia hac de re legumlatoris mente et quum mera culpa nullibi dolo quoad pœnam æquiparetur, de dolo solo intelligenda sunt. Nec obstat verbum *volontairement* in sequentibus, hoc enim non scriptum est oppositione eorum, quæ art. 475. n. 8. in princ. sanciuntur, sed oppositione verbi *imprudemment* quod habet art. 471 n. 12.

Aliquatenus ob læsionem culpa *effectam* punientur ii de quibus art. 471. n. 13. et 14, art. 475. n. 9. et 10. sermo est, quia facta his articulis nominata, sane sine ullo damno com-

(2) Cfr. art. 474 ex quo hæc pœna exacerbari potest.

mitti nequeunt; ejus tamen effectio in his casibus in agentis intentione fuisse non semper dici potest. Omissionibus quæ ex art. 475. n. 2. et ex art. 479. n. 12. puniuntur, alienis delictis culposo modo auxilium dari vel foveri potest, Denique permultæ in codicis pœnarum libro IV. pœnæ statuuntur in facta ob damnum quod ex iis *oriri potest*, etiamsi nullum iis datum esset, ut in art. 471. n. 1. 2. 4. 5. 6. 7. et 8; art. 475. n. 3. 4, 6. et 7, et alibi; quos locos omnes referre longius et a fine nostro alienum foret.

CAPUT SEPTIMUM.

PRINCIPIA GENERALIA QUAE LEGUMLATORES GALLICI IN SINGULIS LOCIS CODICIS POENARUM ADHUC VIGENTIS, QUIBUS IN DELICTA MERE CULPOSA POENA STATUITUR, SANCIENDIS, SECUTI SUNT, SISTUNTUR; ET EX HIS REGULAE IN ILLIS LOCIS ADPLICANDIS A JUDICIBUS OBSERVANDAE DERIVANTUR.

> Non ex regula jus sumatur, sed ex jure, quod est, regula fiat.
>
> PAULUS. L. I. D. de R. J.
>
> Recte jubetur ut non ex regulis jus sumatur, sed ex jure, quod est, regula fiat.
>
> BACO de Just. univ. Aphoris. 85.

SECTIO I.

PRINCIPIA GENERALIA JURIS GALLICI DE CULPA PUNIENDA EXPONUNTUR.

Codicis pœnarum adhuc vigentis singula loca in capite antecedenti relata intuenti, primum perspicuum erit delicta culposa contra rempublicam multo durius quam ea contra privatos

commissa haberi; et recte : nam damnum in illis plerumque majus est, quandoquidem ad plures reipublicæ cives redundat, et in culposis delictis magis quam in dolosis puniendis ad exitum facti videndum est. Sic ex. g. propter id solum quod belli periculum reipublicæ factum fuerit illicita alicujus actione, vel ob id solum quod quis epistola imprudenter scripta nuntium civitati noxium hosti dederit, graviores ex articulis 84 et 79, quam incendio homicidiove alicujus culpa ortis secundum articulos 458 et 319 puniendis, pœnæ infliguntur; quod ut modo dictum est, haud immerito fit, quia culpæ prioris consecutiones multo majoris momenti sunt quam culpæ posterius indicatæ.

Eodem modo severiorem se præbet legislator in eos qui delinquendo officium speciale suum prætermiserunt : hi enim in genere dupliciter peccant, scilicet ratione officii sui parvi ipsis habiti et ob damnum quod exinde eveniebat. Inde etiam quod pro dolo specialiter in articulis 251 et 252 dictum est, in universum quod culpam æque ac dolum attinet, in articulis 198 et 462 continetur (1). Præterea damnum negligentia officii cu-

---

(1) Conferri potest quod de hisce articulis in Senatu et in Collegio legumlatorum dictum est :

« Relative aux fonctionnaires...... cette disposition...... les considère...... comme délinquants dans l'ordre commun, et se rendant eux-mêmes coupables de quelques-uns des crimes ou délits dont la surveillance ou la répression leur étaient confiées par la loi.

Dans cette fâcheuse hypothèse n'infligera-t-on que les peines de l'ordre commun? et si, par exemple, un officier de police judiciaire a commis un vol, ne sera-t-il puni que comme un voleur ordinaire? Il est difficile de ne pas considérer comme plus coupable celui qui, chargé par la loi de ré-

jusdam specialis datum, ut jam superius diximus, quodammodo semper per culpam dolo determinatam effectum dici potest, et hac ex ratione sæpius in damnum tali culpa datum animadvertitur, ubi idem damnum culpa aliorum ortum nulli pœnæ locum dat, cujus rei exempla superius in carcerum et sigillorum custodibus retulimus.

Deinde animadvertendum est, legumlatores Galliæ in culpa punienda minus quam in puniendo dolo diversorum modorum rationem habuisse, quibus in animo delinquentis delictum originem accipere possit. Quum enim ex. g. in homicidiis et vulnerationibus pœnæ genus admodum diversum sanciatur ex art. 302. 304. 309. 310. 311. pr. et §., prout delictum meditatum fuerit, an ex animi impetu commissum; in homicidia et vulnerationes culposa qualiscumque fuerit culpa, eadem pœna statuta reperitur solummodo inter maximum et minimum determinata. Hac vero re prudenter fecisse legumlatores existimo, licet persuasam mihi habeam veritatem sententiæ BACONIS (2), « op-

---

primer les crimes et délits, ose les commettre lui-même, et il a paru convenable d'élever la peine à son égard. » Exposé des motifs.....

« Et si ce sont des gardes champêtres ou forestiers, ou des officiers de police quels qu'ils soient, qui se rendent coupables des délits de police correctionnelle énoncés dans le projet, la peine s'aggrave à leur égard, *et cela par le principe* DONT VOUS AVEZ DÉJA VU L'APPLICATION DANS TOUT LE CODE, *que ceux qui sont chargés de faire exécuter une loi, sont, quand ils se permettent de la transgresser, beaucoup plus répréhensibles que les citoyens ordinaires.* » Rapport au Corps législatif.

(2) De Just. univ. Aphor. 8.

timam esse legem quæ minimum relinquat arbitrio judicis. » Si enim legumlator graviorem pœnam sancire voluisset pro culpa graviori, leviorem pro leviori, in quo casu culpa gravior, in quo levior censenda esset definire debuisset (3). Quum autem gravitas culpæ a tot diversis momentis et inprimis ab intellectu culpæ rei pendeat, ut superius demonstravimus, talis definitio admodum periculosa fuisset, et quin summa committeretur injuria nullum illorum momentorum ad culpæ gradum absolute definiendum inservire potuisset. Quævis autem determinatio relativa, datis diversis determinandi rationibus, id effecisset, ut quid culpæ gravi, quid levi esset adscribendum plus vel minus sed necessario iterum a judicis arbitrio penderet (4); qua re nil aliud effecisset legumlator quam quod revera effecit, quum pœnam unam tantum pro omnibus gradibus culpæ inter minimum et maximum certis finibus circumscriptam proponeret; et intra hos terminos adcuratiorem pœnæ determinationem ex gradu culpæ, culpæ gradum vero ex circumstantia delicti dijudicandum judici relinqueret. Præterea quum delicti culposi pœna non solum ex qualitate culpæ *per se*, sed præcipue etiam ex gravitate *effecti* damni definienda sit, et utrumque elementum

(3) Ut ex. g. in codice Bavariæ, de quo inferius dicetur, definitur part. I. art. 68 et 69.

(4) Porro si una ex iis causis ex quibus culpa gravior lege jubente censeri debet, conjuncta est cum una ex iis causis ex quibus culpa levior habenda est, quod fieri facile potest, qualis culpa a judice admittenda est? Pœnæ determinatio in tali casu eo difficilior erit, si *minimum* pœnæ ob culpam latam infligendæ, multum differt a *maximo* pœnæ ob culpam levem irrogandæ, ut in codice Bavariæ art. 69. n. 1. coll. cum art. 70. n. 1.

in delicto culposo multiplici modo compositum esse possit, definitio pœnæ adcuratior justo modo ab ipsa lege non sine minutissima diversorum casuum enumeratione, et ipsa hac enumeratione minutissima non omnino justa pœnæ distributio fieri potest.

Omnino tandem notatione dignum est, in omnibus casibus ubi damnum *mera culpa effectum* pœna adficitur in codice nostro, ex mente legumlatoris in culpam levius ac in dolum animadverti, ut ex comparatione articulorum 302 et 304 cum art. 319; artt. 309. 310 cum art. 320; artt. 95 et 434 cum art. 458; artt. 79 et 84 cum art 77 videri potest. Plures autem articuli objici possent, quos primo adspectu regulæ nostræ contrarios facile quis crediderit : etenim præter articulum 433, quem sententiæ nostræ non contrarium esse jam superius demonstravimus, laudari posset art. 461, ubi ob contagium ex quadam omissione ortum pœna irrogatur, ex mente legumlatoris certe in culpam sancita, sanctione autem in dolose procuratum contagium deficiente, in hoc quoque fortasse adplicanda. Sed etiamsi in hoc casu dolus non graviori pœnæ genere quam culpa puniri possit, hoc certe non ex intentione legumlatoris, sed potius ex ejus *oblivione* fieri dicendum est, ut etiam de dolosis animalium vulnerationibus loqui neglexit, quæ ne ex art. 479 dispositionibus quidem puniri posse videntur, ex quibus expresse imprudenter factum saltem n. 3. requiritur.

In solis casibus quibusdam *culpae dolo determinatae* culpa eadem pœna qua dolus adficienda est ex *mente* legumlatoris, qui vero casus minus ad nostrum argumentum pertinent. In *his casibus* etiam ut in singulis casibus damni ex mera culpa

ipsi reipublicae dati pœna *infamans* in delictum culposum statuitur; in omnibus reliquis damnum culpa datum non gravius quam pœna *correctionis* vindicatur, etiamsi in id dolo datum summum supplicium irrogetur.

Porro observandum est, in iis casibus ubi factum vetatur ratione damni inde orituri, plerumque pœnam irrogandam esse sine distinctione utrum ad hoc directa fuerit animi intentio agentis an non; nec ea re male fecerunt legumlatores : plerumque enim pœna levissima tantum est, ut in art. 314 cod. pœnar. superius relato, ita ut pro ipsa culpa non sit nimis severa; et licet forte is qui cum animo nocendi id fecerit quod art. hoc vetitum est, per se graviorem animadversionem mereretur, in eum tamen non severius animadvertendum esse videtur ex ea ratione, quia ille animus difficillimus sit probatu, et quo remotior sit a criminis exsecutione, eo facilius possit mutari. Præterea in ejusmodi vetitorum offensis plerumque idem pœnæ genus statuitur tam in eos qui *dolo juris*, quem vocant, ea transgressi sunt, quam in eos qui tantum in *culpa* quoad ipsam legis transgressionem versantur; nam in articulis 471. n. 5. et 475. n. 12. *ceux qui auront négligé* in culpa hærent, *ceux qui auront refusé* dolose egerunt circa legis transgressionem, et eadem puniuntur pœna; quæ tamen, quum sit inter minimum et maximum definita, judicis sententia effici potest, ut dolus severius quam culpa cöerceatur. In hoc ipso casu tam cum dolo quam culpa, in sensu modo dicto, *dolus facti* quem adpellant, vel tantum *culpa* quoad damnum quod lex illo vetito impedire voluit, conjuncti esse possunt. Tam is enim qui ædificium reficiendi jussum exsequi *neglexit*, quam is qui ei parere *recusavit*, vel *animum* ea re damnum alicui dandi habere, vel eo

animo *carere* potest, et in omnes hos casus pœna eadem sancita est, quin ejus rei causa vituperandus sit legumlator.

Ex iisdem rationibus præcipue munere quodam fungentes sæpius eodem pœnæ genere plectendi sunt, sive officium suum exsequi *negligant*, sive ei satisfacere *recusent*. Sed quum in his personis quævis debiti omissio per se jam quodammodo læsio sit, ut superius exposuimus, officium legibus injunctum implere *recusantes* magis ad *dolum facti* accedere dici possunt, et ideo eatenus dolus culpæ æquiparatus esse a legumlatoribus dici potest. His casibus exceptis, manet regula dolum gravius quam culpam punire in quavis læsione effecta Galliæ legumlatores voluisse. Nec hoc omittendum est, in plures læsiones, quæ dolo effectæ puniuntur, si culpa effectæ fuerint, nullam pœnam in codice sancitam esse, veluti si quis rem alienam imprudenter eam suam esse putans contrectaverit, ex nulla legis dispositione pœna adficitur: contrectatio enim rei alienæ fraudulosa tantum furti nomine venit et ex legibus furtum spectantibus punitur.

SECTIO POSTERIOR.

REGULÆ QUÆDAM AD USUM FORI DEDUCUNTUR.

Expositis principiis generalibus a legumlatoribus gallicis, ut modo in sectione antecedenti vidimus, circa culpam observatis, secundum Baconis sententiam huic capiti præfixam, regulas quasdam quæ legibus interpretandis et juri dicundo inserviant, deducemus; et quidem :

I. *Quum dolum in regula graviori pœnae genere quam culpam punire in laesionibus effectis legumlatoris intentio fuerit, legis dispositio, qua indistincte in laesionem ullam pœna statuta reperitur, et legumlator dolum spectasse censeri potest, ad culpam accommodari nequit, etiamsi de ea laesione, per culpam effecta, non alia dispositio in Codice reperiatur.*

Quare si ex. g. quæratur an pœna articuli 451 ad culpam quoque spectet, hoc negandum erit, etiamsi instrumentorum ad agriculturam pertinentium deletio culposa, nisi igne facta fuerit, non in aliam legis sanctionem incidat; legislator enim in his læsionibus culpam a pœna eximere voluisse censendus est. Idem in art. 445 et in art. 456 parte priori dicendum est (1). In art. 452 ut in articulis 453 et 454 de dolo tantum sermonem esse, ex aliis rationibus jam superius dictum est. In his articulis enim hoc pro parte ex ipsis verbis quibus usus est legumlator, pro parte ex eo patet, quod in has læsiones culpa commissas alibi pœna sancita est (2). De art. 475. n. 8.

(1) Hæc pars in codice rurali proprium articulum, scilicet 17. in tit. II. constituebat, quum pars posterior de qua jam superius diximus, art. 32. continebatur. Et revera utraque parte diversa delicta puniuntur; licet enim termino moto damnum dari possit in re ipsa quæ tanquam terminus ponitur, in eo delicto tamen potissimum illud damnum spectatur, quod circa proprietatem fundi inde oriri potest.

(2) De animalium dolosa vulneratione, de qua art. 453 et 454 Cod. pœnar. nihil dictum est, sermo erat in codicis ruralis tit. II. art. 30, cui laudati art. cod. pœn. quoad *occisionem* animalium derogaverunt. An vero art. cod. ruralis adhuc adplicari possit in *vulnerationes* dolosas animalium, hoc aliis decidendum relinquimus. Codicem ruralem sæpius adhuc adplicari nullum dubium est. Cfr. BÉRIAT-ST.-PRIX pag. 40; præcipue in notis.

etiam jam superius locuti sumus. Neque magis ad culpam legislator in articulo 252 respexisse dici potest, ubi legis verba *à l'égard de tous autres bris de scellés*, cum verbis art. 251 *quiconque aura à dessein brisé des scellés* comparata, dubium quoddam gignere possent. Verba autem *tous autres* in illo articulo non opponuntur, verbis *à dessein* in articulo priori : sed verbis *tous autres* indicatur, eodem modo quo in art. 251 sermo sit de ruptis sigillis *quorum natura* art. 250 describitur, in art. 252 sermonem esse de ruptis *sigillis aliis* quorum mentio facta sit art. 249, et ut in art. 251 verbum *à dessein* expresse adjectum, sine dubio art. 252 *subintelligendum* est, quod tam ex nostro præcepto quam ex comparatione horum articulorum cum antecedentibus indubitate patet.

II. *Si contra, facta vetita sunt ratione laesionum, quae inde oriri possunt, quum in iis saepius culpam et dolum eodem pœnae genere adficere voluisse legumlator dici possit, tam ex pœnae statutae gravitate quam ex aliis interpretationis regulis dijudicari debet, an in singulis ejusmodi vetitis migratis ejus qui ea migravit intentio spectanda sit, an non.*

Sic ex. g. is, qui contra art. 399 claves adulteraverit, tunc tantum pœna statuta adficiendus erit, si animum furandi, non vero si ea re aliquem ludificandi, vel etiam oblectamento quodam afficiendi intentionem habuerit, quod monstrat sectionis inscriptio ipsiusque articuli justa severitas, qua legislator furta per ejusmodi claves committenda voluit impedire. Contra in art. 314 non erit respiciendum ad intentionem delinquentis ratione læsionis, quam lex hac sanctione impedire voluit, quoniam legislator pœnam sat levem sanxit in factum illo arti-

culo nominatum, et paucissimi eorum qui id committunt intentionem nocendi habere soleant. Quare quum legis ipsius scientia præsumatur, articuli pœna in quemvis adplicanda erit, qui arma ex eo prohibita qualiquali cum intentione portaverit. Ex his vero male colligeretur, hoc factum solum commissum ad pœnam adplicandam sufficere, et ne minime quidem in ejusmodi offensis ad animum delinquendi esse videndum (3); nam palam est, si quis deceptus vel coactus factum illud a lege sub pœna vetitum commiserit, illum pœna statuta non esse adficiendum.

III. *Ex principio quod in toto codice servatum vidimus, nempe eos qui in eo peccant, ad quod effugiendum ex munere suo tenebantur, aliquid gravius admisisse, sequitur, horum culpam, extra casus articulorum 198 et 462, videlicet in delictis de quibus in libro quarto codicis nostri agitur, strictius etiam quam si privati essent, et in genere summo pœnae esse cöercendam.*

Pœnæ itaque art. 479 sancitæ maximum et præterea pœna carceris ex articulo 480 contra eos qui, saltuum agrorumve aut securitatis urbanæ custodes, aliquid contra illum articulum culpose fecisse judicati fuerint, juste adplicabitur.

IV. *Ex eo, quod in delictis contra rempublicam in culpam*

---

(3) Cfr. Bourguignon Dictionn. des lois pén. Diss. prélim. p. 36. Idem Manuel de Droit crim. ad art. 161 et 358. Cod. crim. Carnot ad art. 364. Cod. crim. et Merlin Répert. sub voce *intention.*

major sit legumlatoris severitas, is qui ex. g. regni caput imprudenter laesisset, vel qui imprudenter incendium dominio publico intulisset, minori indulgentia gaudeat, quam si eodem modo hominem privatum laesisset, vel aedes privatorum incensisset.

Etiam dolus in illis læsionibus gravius quam in his cöercetur (4).

V. *Delictorum culposorum pœnae inter minimum et maximum a lege indicatum ex gravitate culpae per se, a judice distribuantur, ita tamen ut non unius tantum causae ratio habeatur, ex qua culpa gravior censenda esse potest. Praeterea in pœna culpae metienda etiam ad gravitatem damni spectandum est a judice.*

VI. *Tandem, licet in singulis casibus, ut expositum est, culpa dolo œquiparetur a legumlatore, eo quod in utrumque idem pœnae genus statutum est, a judice tamen pœna gravior vel levior irroganda est, prout dolo vel culpa fuerit peccatum, si pœnae genus a lege sancitum per se modum admittit.*

Hæ regulæ nec ulteriori explicatione nec probatione firmiori indigebunt; quare nunc ad caput ultimum transgredi licebit.

---

(4) Cfr. art. 95. art. 86 et 87. cum art. 302. 304 et 434.

CAPUT OCTAVUM.

AN NON DE PUNIENDA CULPA REGULAE GENERALES ESSENT PROPONENDAE, QUAQUE TENUS HOC FACTUM SIT ET IN CODICE GALLICO ANNI MDCCCX ET IN CODICIBUS ANTERIORIBUS, ET IN CODICE BATAVO ANNI MDCCCVIII ET IN ALIIS, DISQUIRITUR.

. . . . Adsit
Regula peccatis quæ pœnas irroget æquas.
HORATIUS Serm. III. v. 117.

SECTIO PRIOR.

DE REGULIS GENERALIBUS CIRCA CULPAM PUNIENDAM PROPONENDIS.

§. I.

An sint proponendæ.

Præceptis quæ legumlatores Gallici circa delicta culposa punienda in oculis habuerint examinatis, et derivatis inde regulis in punienda culpa a judice observandis, res ipsa nos mo-

28.

net ut disquiramus, an non regulæ similes de punienda culpa in codice pœnarum a legumlatore essent proponendæ, quibus judex in legibus adplicandis teneretur; ut legumlatores Gallici pro aliis modis quibus contra leges peccari potest, singulorum criminum et delictorum recensioni quædam præcepta generalia præmiserunt, et in aliorum populorum legibus circa ipsam culpam puniendam ejusmodi generales regulæ propositæ sunt. De his aliorum populorum legibus inferius plura dicentur. In codice vero nostro ad culpam a dolo et a casu discriminandam nullibi certa præcepta indicantur, et ea quæ legumlator de proportione inter pœnam doli et pœnam culpæ servanda secutus esse videtur, nullibi expressis verbis declarantur. Cui bono, fortasse quis dicet, essent talia præcepta? Cujusvis judicis menti a natura insitæ esse debent illæ regulæ ex quibus dolus a culpa et casu distinguatur, ut ex eadem ratione legumlatores præceptum interpretatione legum pœnas molliendas esse potius quam exasperandas, lege sancire inutile duxerunt (1); et quod ad regulas adtinet, secundum quas legumlator culpam puniri voluerit, eas quivis judex ex singulis dispositionibus eruere poterit, in quibus delicta culposa pœnis adficiuntur. Sed an non superius ex allatis exemplis vidimus, sæpissime ubi læsiones vetitæ sunt, an etiam culpa effectæ pœnis adficiendæ sint, dubia oriri, et an non magis utilitati publicæ consuleret legumlator, si certo principio, paucis verbis concepto, omnia hæc dubia amovere vellet? Porro superius hoc quoque retuli,

(1) Rapport sur l'art. 484 du Code pénal. ed. Didot. pag. 315. « Ces principes immuables n'ont pas besoin d'être proclamés par le législateur; ils sont gravés d'avance dans le cœur de tous les magistrats. »

ex verbis vagis quibuscum legumlator singula delicta culposa pœnis adfici jussit, consultissimos viros ita in errorem inductos esse, ut læsionem mero casu effectam ex mente ejus puniendam esse crederent. Huic errori certe legumlator præcepto quodam, paucis verbis exprimendo, occurrere posset. Ex his satis superque patebit, a legumlatore quasdam regulas proponendas esse, ex quibus culpa a dolo et casu rite distingui possit, et judex cognoscat secundum quæ præcepta culpa in singulis casibus sit tractanda (2). Hisce vero non dixerim, esse exactam culpæ definitionem in *Codice* dandam, utut eam superius ex *doctrinae* præceptis sistebamus; nec hoc voluerim, certum modum pœnæ culposorum delictorum ex pœna delicti dolosi, pro omni casu determinandum, in legis articulo generali proponi : ut enim quædam læsiones culpa effectæ ab omni pœna eximendæ sunt, ita non in omnibus læsionibus pœna culpæ eodem modo a pœna doli distare posse videtur : porro quædam læsiones tantum *graviori* culpa effectæ puniendæ

---

(2) Non possum non hic adducere sententiam virorum consultissimorum quibus an. 1807 mandatum est, ut codicem pœnarum pro regno Batavo conscriberent, et qui credebant : « dat in het wetboek zoodanige regelen en voorschriften behoorden geplaatst te worden, omtrent de verbindende kracht der criminele wetten, den aard en het wezen der misdaden, de strafbaarheid der pogingen, de toerekenbaarheid der bedrijven aan anderen dan de daders, de gevallen van mindere toerekenbaarheid of verligtende omstandigheden, de verpligtingen der regters in en omtrent het opleggen en doen uitvoeren der straffen, *en dergelijke meer, zonder welke de letter der wet ongerijmd of ongenoegzaam moest genaamd worden.* »

Cfr. Crim. Wetboek voor het koningrijk Holland, met eene inleiding en aanmerkingen door J. M. Kemper, Aanmerk. p. 19.

sunt, in aliis tantum culpa *speciali* modo contracta. Præterea jam superius sufficienter nos demonstrasse credimus, diversa pœnarum genera pro diversis culpæ gradibus non sane sancienda esse, præcipue summum pœnæ in culpam leviorem sancitæ non multum differre debere a minimo pœnæ in culpam graviorem statutæ; quamvis pro punienda culpa dolo determinata quædam regulæ non inutiles esse videantur, nec omnino silentio prætereundum sit, ex quibus momentis culpæ gravitatem dijudicare debeat judex. Tandem omnino quidem cavendum est, ne dolus culpæ æquiparetur, præcipue ubi de læsionibus culpa effectis agitur. Id quoque mihi persuasum habeo culpam qualemcunque, læsione qualicunque effecta, nisi dolo determinata sit, *infamia* nunquam esse plectendam, ideoque culposum delictum nunquam pœna infamanti adficiendum, nec *crimen* habendum a legumlatore, qui inter crimina et delicta differentiam statuit. Nihilominus hæc præcepta, in quorum posterius a legumlatoribus Gallicis circa publica delicta peccatum est, tanquam præcepta generalia in particularibus articulis sancire, ut in quibusdam codicibus factum est, necessarium mihi non videtur, si modo in codice ipso religiose serventur, et aliæ regulæ generales proponantur de quibus in sequenti §. dicendum est.

§. II.

Quales esse debeant.

Vix necesse est ut moneamus, non nobis in mentem incidere potuisse, legislatori quid faciendum esset definire; exemplum

tantum ejus quod fieri posse maxime arbitramur pro modulo ingenii viriumque tenuitate proponere volumus. In hoc sensu, ex hucusque dictis, non inutile fore credimus, si in codice circa culpam sequentes regulæ sisterentur.

I. *Quotiescunque laesio quaedam a lege sub pœna vetita est, ea tantum ad laesionem cum intentione effectam adplicari, laesione culpa effecta vero tantum in his casibus puniri potest, in quibus in eam speciatim a lege pœna sancita fuerit.*

Jam indicavimus quid nos ad hanc regulam sistendam moverit, et simile quicquam circa *conatum delictorum* Cod. pœnar. art. 2. sancitum reperitur. Et hoc jam indicavimus, cur non ad exemplum art. 2 Cod. pœnar. qui de conatu criminum tractat, regulam de culpa punienda proponendam esse credamus. Culpa enim in paucis tantum læsionibus punienda videtur, et ideo melius erit, pro quovis casu puniendæ culpæ pœnam particularem determinare.

II. *Quotiescunque vero factum a lege prohibitum est ratione laesionis inde orituræ, in ejus auctorem pœna irrogatur sine distinctione, utrum hic illam laesionem efficere voluerit, an non; nisi in specialibus casibus a lege ipsa expresse malus animus ad pœnam irrogandam requiratur.*

Pro hac quoque regula rationes quasdam jam superius (1) indicavimus; in iis vero quæ circa pœnam in singulis casibus restringendam adjecimus, ad id respeximus quod alio loco (2)

(1) Cap. VII. sect. I.
(2) Eod. cap. sect. II. §. 2.

de interpretando art. 399 obiter notavimus. Hac regula verò proposita legumlator in singulis casibus ubi tantum dolum punire vellet, hoc expresse adjicere deberet; ut etiam sine hac regula legumlatores Gallici, si eorum mens erat pœnam art. 399 tantum in factum dolo malo commissum sancire, melius hoc paucis verbis adjecissent.

III. *Pœna in laesionem culposam statuta qualiscunquè tunc tantum adplicari potest, si laesio revera alicujus culpa evenerit : facta quibus effici potuisset, non nisi ex speciali legis sanctione puniri possunt.*

Hac regula multa dubia amòveri possent quæ superius circa interpretationem articulorum 84 et 79 adtulimus (3), et præcipue impediretur regulæ de *conatu* propositæ adplicatio ad talia facta quibus nequaquam *intenditur* ea læsio, cujus eventus præsertim in punitione culposi facti vindicatur. Si enim lege dicitur : puniatur is qui actu hostili in extraneos commisso, regno nostro belli denunciationem adducit; læsio quæ hic culpa effecta delictum constituit, ipsa belli denuntiatio est, et ideo delictum *tentavisse* is dici non potest, qui ejus efficiendi *animo* caruit, etiamsi læsio illa effecta, ut jure nostro, *crimen* constituat, et facta culposa quibus damnum dari potuisset, ad damnum culpa effectum eodem modo ut conatus ad læsionem dolo effectam referri, ideoque forte *quasi conatus* adpellari possint (4). Ejusmodi facta sæpissime præter læsiones culpa effectas puniun-

(3) Cap. VI. sect. I. §. 1.
(4) Cfr. Cap. I. sect. II. §. 2. Cap. III. sect. I. §. 3. Cap. IV. §. 4.

tur; sed in regula jure nostro multo levius quam hæ, ut ex. g. videri potest ex comparatione art. 458 cum art. 471. n. n. 1 et 2; contra verus conatus ex art. 2. in regula eadem pœna qua læsio consummata punitur. Hoc eo magis suadet regulam modo propositam; sique ex. g. præter incendium culpa excitatum, legumlator puniri vult facta ex quibus incendium oriri posset, prudentius facit, si facta ipsa hæc *specialiter* indicat, ut nostro art. 471. n. n. 1 et 2, quam si *generali* dispositione sancit: puniatur quicunque aliquid fecerit ex quo incendium oriri potuisset; ut in codice Austriæ sancitum legimus. Tali dispositione nimium tribuitur judicis arbitrio.

IV. *Pœna in laesionem culpa effectam sancita adplicetur qualicumque culpa laesio fuerit effecta, nisi in singulis casibus legumlator expresse pœnam ad certas culpae species restrinxerit.*

Hujus restrictionis rationes esse posse jam dictum est, et jure nostro sæpius tantum pœna ob damnum certo culpæ modo effectum statuitur, ut in art. 461 et in art. 479. n. n. 2. 3. et 4. Cæterum dubia orta esse scio, an verbis quibus Codex in art. 320 ad culpam designandam usus est, eædem culpæ species quam art. 319 indicarentur, et ad ea removenda regulam nostram non superfluam esse existimo.

V. *Inter minimum tamen et maximum pœnae in laesionem culpa effectam sancitae, judex pœnam eo graviorem sistat, quo gravior culpa fuerit, et praeterea damni gravitas spectetur.*

VI. *Inter minimum et maximum pœnae sancitae in factum ratione laesionis inde oriturae indistincte vetitum, judex pœnam*

eo graviorem infligat, quo gravior culpa fuerit, et gravissimam si laedendi animus intercesserit.

Hæc præcepta quorum prius ad regulam primam, posterius ad regulam secundam referendum est, plus quam regulæ antea indicatæ per se intelliguntur, ideoque minus legis sanctione indigent, non tamen in codice inutilia esse puto.

VII. *Culpa eo gravior habenda est, quo verisimilior erat eventus laesionis per se, quo acriori intellectu gaudebat is qui laesionem effecit vel effecturus erat, quo strictius obligatus erat ad faciendum id quo vitaretur, ad omittendum id quo efficeretur laesio, quo magis hujus obligationis sibi conscius erat, quo longius actionem meditatus erat, qua laesionem sine intentione effecit, quo pauciores ad eam actionem per se licitam erant causae moventes; praecipue gravior censenda est culpa si eventus laesionis providebatur, quam si non providebatur* (5).

---

(5) Non, ut quidam volunt, gravior per se culpa est quæ omittendo quam quæ committendo contrahitur; nam si quis sciens volens omittit quod ex lege ipsi faciendum erat, non minus directe delinquit quam is qui sciens volens committit quod ex lege ipsi vetitum erat. Quare non id mihi persuasum habeo quod dicit TOULLIER Droit civ. lib. III. tit. III. cap. 5. sect. 7. n. 483. Quum tamen omissio ejus quod præscribitur, sæpius ex oblivione procedit quam commissio ejus quod vetatur, omissione sæpius levius delinquitur, quia legis violatio ex oblivione minus directe ex voluntate procedit. Hujus rei causa vero non in *omissione* per quam delinquitur posita est, sed in *conscientia* legis quæ dum delinquitur deest. Ideo etiamsi damnum datum fuerit, idem est utrum omissione an commissione datum sit; et quidem tam in imputatione ad dolum quam ad culpam. Sæpe tamen ad faciendum id, cujus omissione datur damnum, nulla est

VIII. *Culpae pœna cessat in omni casu, ubi aliquis fecerit quod per se non sub pœna vetitum, vel omiserit quod per se non sub pœna praescriptum fuerit, licet inde laesio orta fuerit, quae vero nullo modo providenda nec provisa erat* (6).

Veritatem horum præceptorum ulterius probare necessarium non erit, post ea quæ superius de delictorum culposorum et dolosorum differentia ex rerum natura disputavimus(7). Ea vero ita in codice proponenda esse, ex iis quæ in hoc capite passim

---

obligatio, quia obligatio faciendi quævis demum ex facto obligatorio nascitur; ideoque qui commissione damnum dedit, sæpius strictius tenetur quam is qui omissione; hujus rei causa vero non est in *omissione* per se, sed in deficiente *obligatione* faciendi. Cfr. Imbert de infanticidio §. IX. Alii volunt culpam eo graviorem habendam esse, quo major inter effectum noxium et factum culposum nexus, sive quo *magis directa illius causa* hoc fuerit; sed quum ab hoc momento verisimilitudo eventus pendeat, eo quod circa hanc diximus satis dictum esse videtur. Tandem ex codice Bavariæ eo gravior culpa habenda est, quo magis quis commodo particularis scientiæ, *par erat noxio effecto impediendo*. Sed si quis actionem suscepit, cujus effectum noxium prævidit, verum dexteritate sua se evitaturum esse speravit, hæc vero spes eum fefellit, damnumque provisum evenit, an revera ille gravius peccavit, si scientia sua magis par erat damno avertendo quam si minus?......

(6) Hic nihil dixi de eo, quatenus effecto damno culpæ pœna cessaret, si defuerit obligatio faciendi id quo damnum vitari potuisset, vel si quis ad faciendum id quo damnum ortum est ulla necessitate coactus fuerit, quia hæ rationes pœnæ tollendæ et culpæ et dolo communes sunt, ideoque in codice alium locum obtinere debent. Cæterum quod de factis tantum diximus in nostra regula 2 et 3, hoc etiam de omissionibus intelligendum est quatenus iis obligatio perfecta faciendi læditur.

(7) Cap. III. præcipue sect. II.

dicta sunt patebit (8). Regulas quæ a legumlatore de punienda *culpa dolo determinata* sanciri deberent, ab argumento nostro magis alienas esse arbitror; nec magis ad id pertinere videtur examen earum, quæ sistend æessent de *culpa ex ignorantia legis*, quam vocant. Ex nostra enim sententia *ignorantiâ pœnae sanctionis* notio doli non absolute excluditur, nec quævis legis violatio *cum scientia pœnae sanctionis* commissa dolum constituit. Et licet forte facta distinctione inter dolum juris et dolum facti, juris alieni læsio cum lædendi animo sed *ex ignorantia legis pœnae* effecta, quodammodo *per culpam* effecta dici possit, hæc idea tamen nimis metaphysica est quam quæ in codicibus recipi possit, in quibus, ut in codice nostro, ex. g. homicidium commissum eo, quod quis volens *legem ullam non observavit*, sed sine occidendi animo, ut quodvis aliud homicidium ex imprudentia commissum *culposis* adnumeratur. In genere præcepta de *ignorantia* et *scientia* pœnæ sanctionis, si in lege sancienda sunt, in ea alium locum habere debent, quam regulæ de *dolo* et *culpa*, ideoque de illis hic non plura proferam.

SECTIO POSTERIOR.

DE IIS QUÆ REAPSE PROPOSITÆ SUNT.

§. I.

De Codice gallico anni 1810.

In codice gallico anni 1810 nullas de culpa regulas generales sancitas esse jam superius indicavimus; licet in eo primo occur-

(8) Præcipue §. 1. hujus sectionis.

rant præcepta generalia de puniendo conatu (de la tentative), porro de iis qui criminis vel delicti causa condemnati, denuo in crimen vel delictum recidunt (de la récidive); deinde de delictorum sociis (des complices); postea de personis mitius puniendis (des personnes excusables); denique de plena criminis excusatione (des cas où il n'y a point de délit); tandem de iis qui ex crimine vel delicto civiliter teneri possint (des personnes responsables). An vero non magis necessaria videtur ea regula, quam tanquam primam proposuimus «*laesio per culpam effecta tantum in casibus a lege speciatim indicatis poena adficiatur,*» quam ea, quæ in art. 3. Cod. pœnarum invenitur « *les tentatives de délits ne sont considérées comme délits que dans les cas déterminés par une disposition spéciale de la loi* »? Ratio ex qua quoad culpam nulla præcepta generalia singulorum delictorum recensioni præmiserint legumlatores, ignota mihi est : ad ea tamen sancienda potius non animum advertisse quam ad ea omittenda causa ulla moti fuisse videntur. Nec ii viri qui anno 1804 codicis criminalis exemplum proposuerunt, ex quo codex pœnarum anni 1810 confectus est, regulam generalem de culpa proponendam esse duxerunt; nec curiæ quæ illud exemplum examinaverunt hujus defectus mentionem fecerunt. Cæterum præceptis quæ in codice ipso anni 1810 circa culpam legumlator revera *observavit*, quin ea generali regula *sanciret*, adcuratius expositis, plura de hoc codice dicere necesse non erit, ideoque ad priores Galliæ codices nos convertamus.

§. II.

De Codicibus gallicis anterioribus.

Primum codicem pœnarum generalem et communem Galli

acceperunt anno 1791. Opus enim sub titulo : *Code pénal*, quod prodiit Parisiis anno 1765, nihil aliud est quam collectio edictorum regiorum circa punienda singula delicta quam ex privata auctoritate confecit De l'Averdy (1). Hæc edicta vero regia, diversis temporibus orta, non locupletissimum fontem juris criminalis gallici constituebant.

Magis codici in sensu hodierno similis est constitutio regia quæ sub titulo *ordonnance criminelle* nota et anno 1670 a Ludovico XIV sancita est. Ea tamen solum ordinem judiciorum criminalium spectans nihil de culpa continet, de qua nec in collectione edictorum superius nominata præcepta generalia inveniuntur. Ea quoque codici, qui *Code pénal* inscriptus anno 1791 sancitus est, desunt; idque minus mirandum est, quum in hoc codice tantum *criminum* pœnæ definitæ erant, et ex ipso codice anni 1810, tanquam crimina plerumque tantum facta *dolosa* puniantur. Notatu digna tamen sunt quæ in hujus codicis part. II. tit. II. art. 1. 2 et 18, circa homicidia et vulnerationes continentur.

« *En cas d'homicide commis involontairement, s'il est prouvé que* c'est par un accident, *qui ne soit l'effet d'aucune sorte de négligence ni d'imprudence de la part de celui qui l'a commis, il n'existe point de crime, et il n'y a lieu à prononcer aucune peine, ni même aucune condamnation civile.*

En cas d'homicide commis involontairement mais par l'ef-

(1) Camus Biblioth. du juriscons. 1818. p. 181.

fet de l'imprudence ou de la négligence de celui qui l'a commis, il n'existe point de crime, et l'accusé sera acquitté; mais en ce cas, il sera statué par les juges sur les dommages et intérêts, et même sur la peine correctionnelle, suivant les circonstances.

Toutes les dispositions portées aux articles 1, 2..... *de la présente section, relatives à l'homicide involontaire..... s'appliqueront également aux blessures faites..... involontairement....* »

Ex quibus patet legumlatores sub adpellatione *homicide, blessures involontaires* quodvis homicidium sine dolo commissum, ergo tam culpa effectum quam id quod casui fortuito adscribendum est comprehendisse, attamen ut hoc ab illo sedulo distinguerent, omnino operæ pretium duxisse. Contra legumlatores imperii gallici denominatione illa generali *homicide, blessures et coups involontaires* usi sunt in inscriptione lib. III. tit. II. cap. I. sect. 3. ad certam classem *delictorum* denotandam, qua in re certe peccaverunt: quamvis enim delictum culposi homicidii *involuntarium homicidium* quodammodo *dici*, tamen non ita *definiri* potest, quia homicidia involuntaria etiam *casualia* esse possunt; et in inscriptionibus diversarum partium codicis delictorum in iis contentorum *natura* quodammodo indicanda est. Magis adhuc, ut jam superius diximus, legumlatores in eo peccarunt, quod in alia inscriptione usi sint verbis *crimes et délits volontaires*, ac si *delicta* non voluntaria quoque darentur. Ab his omnibus legumlatores anni 1791 prudenter abstinuerunt.

Pœnas vero culposorum homicidiorum et vulnerationum sanxerunt in alio codice dicto : *loi relative à l'organisation de*

la police municipale et correctionnelle tit. I. art. 16. tit. II. art. 15 et 16 (2); et quidem pœnam graviorem (de police correctionnelle) in homicidia et vulnera graviora, leviorem (de police municipale) in vulnera leviora. In genere levius in culpam tunc temporis animadvertebatur et pœnæ vulnerationis culposæ in laudd. artt. sancitæ tantum vulnerationes in publica via factas spectabant. Ejusdem legis tit. II. art. 13: *ceux qui hors les cas de légitime défense, et sans excuse suffisante, auraient blessé ou même frappé des citoyens, si le délit n'est pas de la nature de ceux qui sont prévus par le Code pénal*, de dolo loquitur, ut ex codicis pœnarum part. II. tit. II. art. 19. patet, qui sic sonat: *les blessures qui n'auront pas été faites involontairement, mais qui ne portent pas les caractères qui vont être spécifiées ci-après..... pourront donner lieu à des peines correctionnelles......*

Antequam leges anno 1791 latas relinquamus, memoranda nobis est dispositio alius legis eodem anno latæ circa ordinem judiciorum criminalium, *loi sur la procédure criminelle et les*

(2) Facta ex hac lege punienda tunc temporis dicebantur, ut ipsius legis titulus indicat, *délits de police municipale et de police correctionnelle*, et iis respondent quæ hodie *délits correctionnels et délits de simple police*, sive *délits* et *contraventions* dicuntur. Illa latino vocabulo *delicta* et eorum pœnæ non inepte *pœnæ correcturæ* dici possunt, a munere *correctorum*, qui arg. L. 10. D. de officio præsidis, in provinciis imperii romani jurisdictionem quamdam exercebant. Cfr. AURELIUS VICTOR de Cæsar. 35. Hæc vero dici possunt *offensæ*, præcipue adjectis verbis *disciplinæ publicæ*, quibus etiam eorum pœnæ distingui possunt. arg. L. 6. D. de postulando, ubi sermo est de offensa edicti, unde offensam id significare quod vulgo *contraventio*, notat clariss. BRISSONIUS de V. S. sub illa voce.

jurés. Illa dispositione enim quæ quæstionem juratis proponendam de animo delinquendi jubebat, quodammodo præceptum generale de punienda culpa continebatur. Quum enim constitueretur : « *lorsque les jurés auront trouvé que le délit existe et que l'accusé est convaincu de l'avoir commis, ils feront une troisième question sur les circonstances particulières du fait, soit pour déterminer si le délit avait été commis volontairement ou involontairement, avec ou* SANS INTENTION DE NUIRE, *soit pour prononcer en atténuation du même genre de délit,* » et serius alia lege (*du* 14 *vendémiaire an III*) sanciretur : « *la convention nationale considérant qu'il ne peut y avoir de crime sans l'intention de le commettre...... décrète qu'à l'avenir dans toutes les affaires soumises à des jurés, les présidents des tribunaux criminels seront tenus de poser la question relative à l'intention...... à peine de nullité;* » quum porro ab eo tempore præceptum invalesceret, lato judicio reum *sine nocendi animo* fecisse, criminis pœnam cessare et hoc præceptum codice dicto *des délits et des peines du* 3 *brumaire an IV* confirmatum videretur art. 374 verbis : « *viennent ensuite les questions qui sur la moralité du fait..... résultent de l'acte d'accusation* (3); » eo ipso *omnia facta culposa* pœna criminali excepta erant, ideoque aliquid, fortasse quin in mente legumlatoris esset, effectum est, quod, ut superius probavimus, ab omni legumlatore esset observandum. Quum autem legumlatores Imperii quædam facta culposa, ut notum est, pœna infamanti adfici vellent, in codice dicto *d'instruc-*

(3) Cfr. BOURGUIGNON Dictionnaire des lois pén. Dissert. prélim. pag. XIV. sqq.

tion criminelle de 1808, quæstionem illam de intentione, certe utut poni solebat ex aliis rationibus vitiosam, tanquam speciatim proponendam suppresserunt, et cum duabus aliis in una quæstione ex art. 337 proponenda comprehendi voluerunt, qua de re oratores consilii sanctioris ita loquebantur : « *Personne ne peut nier le principe qui a fait introduire la question intentionnelle : il est certain qu'il n'y a pas de crime sans l'intention de le commettre; mais cette intention se trouvant toujours positivement ou implicitement consignée dans l'acte d'accusation, qui servira de base aux questions, le jury s'en expliquera en donnant l'affirmative ou la négative sur la question générale. Il est donc inutile de l'interroger spécialement sur l'intention* (4). »

Sed inde alia incommoda oriebantur, quorum unum jam superius retuli, ubi interpretatus sum codicis pœnarum art. 319; et quod forte verum erat ex legibus anni 1791 *il n'y a pas de crime sans l'intention de le commettre*, falsum est ex codice anni 1810, et omnino falsum illud : *il n'y a pas de* DÉLIT *sans l'intention de le commettre;* ut etiam jam alio loco probavi. Cæterum nec in codice quæstionum criminalium anni 1808, nec in codice de delictis et pœnis anni IV, qui uterque ordinem judiciorum spectat, aliud quidquam de culpa continetur; nec dici potest, ordine judiciorum utroque codice introducto præcepta a nobis circa culpam proposita inutilia fieri.

---

(4) Exposé des motifs du Code d'instr. crim. edit. Garnery. Paris. 1810. pag. 102.

§. III.

De codice batavo anni 1808.

Regulas generales de culpa continet codex batavus anni 1808, art. 10 et 11. Prior enim fert :

« *Misdaad of overtreding kan gepleegd worden met opzet, of door merkelijke schuld, onvoorzigtigheid en onachtzaamheid.* »

Posterior vero sic habet :

« *Opzet is de wil om te doen of te laten die daden, welke bij de wet verboden of geboden zijn.*

Zoo dikwijls bij dit wetboek niet anders uitdrukkelijk is bepaald, wordt zoodanig opzet vereischt tot het wezen en de strafbaarheid der misdaad of overtreding.

Schuld, onvoorzigtigheid of onachtzaamheid is dan alleenlijk strafbaar, wanneer de wet zulks duidelijk uitdrukt. »

Variæ hisce duobus articulis dirimuntur controversiæ : attamen fatendum est notionem doli hic nimis late patere, ita ut quid boni proposita regula effectum videtur, definitione nimis vaga iterum irritum fieri possit. Comparanda hic sunt ea quæ in exemplo codicis anno 1804 edito (1), circa culpam

(1) Stukken door de Commissie tot het ontwerpen van een algemeen burgerlijk en lijfstraffelijk wetboek overgegeven aan het staatsbewind der bataafsche republiek. In den Haag. 1804.

inveniuntur. In codicis criminalis exemplo enim hæc continentur (2) :

« *Misdaad wordt begaan door boos opzet, of schuldig pligtverzuim. Boos opzet is hier de wil om te misdoen.*

Verzuim maakt hem misdadig, die door de wet verpligt was zich daar tegen te wachten.

Misdaden verschillen naar den trap van boos opzet of verzuim :

De mate van boosheid of verzuim, welke bij eenige misdaad plaats heeft, verligt of verzwaart dezelve. Bij elke bijzondere wet is zekere mate van boosheid of verzuim ondersteld, en aan dezelve hare beschikking geëvenredigd. »

Quoad culpæ notionem, gradus et imputationem a codice criminali remittebatur judex ad introductionem generalem, ab exempli auctoribus præmissam, in qua præter multa alia hæc habebantur (3) :

« *Verzuim is zoodanige daad of nalating, welke niet behoorde plaats te hebben, ontstaan uit het niet aanwenden van die kunde, wetenschap en opmerkzaamheid, welke had kunnen worden aangewend.* »

Post definitur culpa lata media et levis, et datis regulis imputationis ad culpam pro jure civili hæc adjiciuntur :

---

(2) Lijffstrafelijk Wetboek. Boek I. hoofdstuk I. art. 3. 4 et 6. hoofdst. II. art. 4. 22 et 23.

(3) Inleiding. Van het regt in het algemeen. Hoofdstuk II. art. 89-100.

« De voorschriften omtrent het boeten van meerder of minder verzuim in misdaden zijn in de straffende wetten vervat. »

Tales vero regulæ *generales* in codice criminali non amplius præscribuntur; sed multa pro singulis delictis *particulares* ex. g. pro culposo homicidio (4) et aliis.

Quasdam rationes, ex quibus in codice ipso anni 1808 ab his regulis et definitionibus exempli anni 1804 recessum fuerit, vir clariss. KEMPER exposuit (5), nec silentio prætereunda sunt ea quæ anno 1806, a curia regni suprema, ad illud exemplum annotata sunt (6). Licet enim bene sentirent viri consultissimi, qui hanc curiam constituebant, plurimas regularum ex illo exemplo modo relatarum a codice amovendas esse dicentes: « Het schijnt, zelfs over het algemeen, min voorzigtig, aan afgetrokken denkbeelden of regelen uiterlijke kracht van wet te geven, zoo lang niet te gelijk de toepassing daarvan op het vastgesteld regt in alle derzelver gevolgen kan doorzien en

---

(4) Lijfstraffelijk Wetboek. Boek III. hoofdst. I. afdeeling III. art. 80-83.

(5) Aanmerkingen. pag. 23. sqq. Parare mihi non poteram opus huc pertinens:

Précis des discussions et délibérations du conseil d'état sur le projet de code criminel. Amsterdam. 1816.

(6) Memorie vervattende de consideratien van het hoog nationaal geregtshof op de stukken door de Commissie tot het ontwerpen van een algemeen burgerl. en lijfst. wetboek, overgegeven enz., aan Z. M. geschreven den 24 oct. 1806, pag. 4 et 21.

overwogen worden; » ipsi tamen necessariam regulam circa culpam in exemplo omissam esse credebant et ad art. 6. lib. I. cap. I. hæc observabant : « De wet behoort over het algemeen te bepalen, in welke soorten van misdrijven alleen het boos opzet, in welke darentegen ook het verzuim zal moeten geboet worden. »

Quæ observatio fortasse id provocavit, quod superius in codice anni 1808 statutum retulimus, et in eam regulam quadrat quam tanquam primam in sectione priori hujus capitis proposuimus.

§. IV.

De codicibus italicis (1).

In codice pro Hetruria a Magno Duce LEOPOLDO anno 1786 sancito (2), qui licet non omnibus numeris absolutus, apud omnes gentes tamen justis laudibus celebratus est, prima vice notiones philosophæ recentioris ævi circa delicta punienda a legumlatore confirmata occurrunt, et antiquarum legum criminalium barbara severitas fortasse ad nimiam indulgentiam versa videtur. Admodum severa tamen præscripta circa *culpam* habet, nec generales de ea regulas continet. Hac vero omissione minus peccatum est, quam eo quod pœna homicidii

---

(1) In conspectu hujusce dissert. præf. pag. VIII. linea ult. loco §. IV. legendum est §§. IV—VIII.

(2) Riforma della legislazione criminale Toscana. Firenze. 1786.

culposi judicum arbitrio omnino relicta est art. 68: « *lasciando nel rimanente alla disposizione di ragione quei omicidj che saranno commessi a necessaria difesa e col moderame dell' incolpata tutela, i meramente colposi e fuori dell' intenzione;* quam ob rem jam JCtus NANI (3) legumlatorem reprehendit. Nec magis laudandus videtur art. 86 : « *Se l'incendio sarà seguito non per dolo, ma per colpa, la pena non eccederà l'esilio o il confino.* » Satis dura est *exilii* pœna quæ ex hoc articulo præter *relegationem* ad certum locum statuta est, licet incendium culpa *levi* vel *levissima* excitatum eodem art. ab omni pœna eximitur. Simile quidquam a legumlatoribus regni italici de culpa in genere sancitum reperitur in codice anni 1806, cujus præcepta circa culpam generalia notatu digna sunt. Postquam legumlatores delictum definierunt violationem legis pœnalis conjunctam cum voluntate eam violandi, i. e. cum voluntate aliquid faciendi quo violetur, legisque violationem dolosam vel culposam esse dixerunt, prout ad eam voluntas directe concurrat, vel indirecte, quod posterius locum habeat si actus voluntarius per se talis sit, ut ejus effectus legi contrarius facile provideri possit; sequentia constituerunt (4) :

(3) Nuova legislazione criminale della Toscana con note da NANI. Milano. 1803. pag. 94. Idem JCtus professor in academia Ticinensi, cujus notas ad MATTHÆUM superius laudavi, erat unus ex iis viris qui exemplum Cod. crim. pro regno Italiæ editum an. 1806 confecerunt et eodem anno ediderunt : Rilievi alle osservazioni dei tribunali sul progetto del Cod. penale. Milan. 1806. fol. et in : Collezione dei travagli sul Codice penale. Brescia. 1807. vol. IV et V.

(4) Progetto di Codice penale pel regno d'Italia. Milan. 1806. art. 7 et 8.

« La colposa violazione della legge e punibile soltanto in via correzionale. La pena però non percuote che gli avvenimenti derivati da colpa grave, cioè quando vi era la maggior facilità di prevederli.

L'avvenimento deve sempre riputarsi derivato da colpa grave, se l'azione direttamente voluta sia per se stessa illecita o dalla legge vietata. »

Recte legumlatores tantum pœna correctionis culpam adfici voluerunt, ejusque rei rationem reddiderunt in iis quæ Codici adjecerunt (5). Qua in re judices, procuratores et juris criminalis scriptores, quorum sententia de Codice rogata erat, cum legumlatoribus consensisse videntur. Minus hi viri in legumlatorum sententiam discedebant circa puniendam solam culpam gravem; ea enim lege nimium arbitrio judicis relinqui non sine causa credebant (6). Assentiri vero iis nequeo, qui ex tribus gradibus culpæ tres pœnas diversas in lege proponi voluerunt (7). Cæterum his notionibus vitium principale subesse videtur idem fere, quod codici batavo subest, hoc scilicet quod loco *laesionis culposæ a lege prohibitae* dicitur de *culposa legis violatione;* quod referendum est ad definitionem doli a legumlatoribus adoptatam, secundum quam ipsis dolus est *la*

(5) Rapporto che contiene i motivi del Codice, in collectione modo laud. vol. I. pag. 146.

(6) Dubbj rilevati del tribunale d'apello dell' alto Po sul progetto; in coll. laud. vol. II. part. 1. p. 144. Osservazioni del tribunale d'apello del Reno; in coll. laud. vol. II. part. 2. p. 7.

(7) Osservazione del regio procuratore nel Reno, eod. pag. 80.

volontà di violare la legge. Huic enim definitioni nequaquam congruunt, quæ in posteriori ex articulis supra laudatis continentur, quibus etiam opposita esse videntur ea, quæ in eo articulo sequuntur : *l'avvenimento deve reputarsi doloso ogni qual volta nella medesima azione con la proibizione della legge vi concorre il maggior grado della colpa,* ut etiam a suprema curia regni Italiæ observatum est (8). Nunquam vim legis obtinuit ille codex. Paulo post eum editum codex pœnarum gallicus, præter proprium Italis codicem quæstionum criminalium, introductus est, iisque leges criminales Austriæ successerunt. Ex codice pœnarum italico anni 1806 vero quædam recepta sunt in codice pœnarum pro republica Ticinensi an. 1816 sancito, cujus art. 2. hæc habet : « *Niuna azione niuna omissione puo essere imputata al delitto, quando non siavi intervenuto il dolo o la culpa. V' interviene il dolo quando volontariamente si fa o si omette ciò che la legge penale vieta o comanda. V' interviene la colpa quando la violazione della legge è l'effetto non preveduto, ma che dovevasi facilmente prevedere dell' azione voluta sebbene lecita* (9). »

§. V.

De codicibus Austriae.

Constitutio criminalis quam pro Austria sanxit Maria Theresia anno 1769, utut in genere antiquæ severitatis pristino-

---

(8) Osservazioni del tribunale di cassazione, in coll. laud. vol. II. part. I. pag. 7.

(9) Codice penale della repubblica e Cantone del Ticino. Lugano. 1816. art. 2.

rumque errorum exemplum exhibet, art. II. circa dolum et culpam quædam præcepta nec mitia nec ab errore vacua continet. Recte quidem §. 1. dicitur delictum contrahi vel animo *alicui injuriam faciendi*, vel *sola culpa*; sed §. 2. dolus in *directum* et *indirectum*, ex theoria superius refutata, dividitur. Recte porro §. 3. constituitur, injuriam culpa effectam pœna legis *ordinaria non* adficiendam esse, mox autem additur eam ex *judicis arbitrio* puniendam esse; quare Imperatrix multo gravius peccavit quam Dux Hetruriæ, qui in solo culposo homicidio arbitrariam punitionem præscripsit.

Prudentius JOSEPHUS II. in codice criminali quem anno 1787 (1) pro Austria sanxit, §. 4. quodvis delictum *culposum* a punitione *criminali* excepit his verbis:

« *Wer ohne boesen Vorsatz eine Uebelthat begeht, obgleich von seiner Seite eine Schuld vorhanden, ist kein Criminalverbrecher, noch minder kann eine That als ein Criminalverbrechen angesehen werden, wo das Uebel aus blossem Zufalle erfolgt ist.* »

Idem præceptum propositum est in §. 4. constitutionis criminalis, ab eodem Imperatore eodem anno pro Belgis editæ (2):

« *Celui qui sans mauvaise intention, aura fait une action*

---

(1) Allgemeines Gezetz ueber Verbrechen und deren Bestrafung. Wien. 1787.

(2) Réglement provisionnel pour la procédure criminelle dans les Pays-Bas autrichiens. Bruxelles. 1787.

nuisible, ne pourra être considéré comme délinquant criminel, quand même cette action ne serait point exempte de quelque faute, et encore moins quand le mal résultant de la même action n'a eu lieu que par cas fortuit. »

Verbis autem *Criminalverbrecher, délinquant criminel*, intelligitur reus *delicti criminalis*, quod *delicto politico* oppositum erat ex Josephi codice, simili modo quo *crimen delicto* in jure gallico opponitur. Cæterum non mirum est Josephum II, qui tot rerum reformator, in legibus criminalibus emendandis post Leopoldum Ducem fere princeps fuit, licet eum graviter LINGUET vituperaret (3), leges in Austria sancitas quodammodo ad Belgas adplicare voluisse, quod propter temporum difficultates impediebatur; neque unquam in Belgio legis vim constitutio modo laudata obtinuit.

Novum codicem criminalem prius pro provincia Galliciæ occidentalis anno 1796, postea pro omnibus Austriæ provinciis, excepta Hungaria, anno 1803 Imperator FRANCISCUS II. sanxit (4). Codex hic qui eamdem sub verbis *Verbrechen* et

(3) Le Code criminel de Joseph II. Bruxelles. 1790.

(4) Gesetz ueber Verbrechen und schwere Polizeyuebertretungen. Wien. 1803. De ejus historia cfr. JENULL Oestreichisches Criminalrecht. Ed. 2. Gratz. 1820. vol. I. pag. 74. Hic commentarius nuper in linguam italicam versus Mediolani prodiit, ut etiam codex modo nominatus, qui ibi vim legis accepit. De hoc codice adhuc conferri potest KEMPER Crimineel Wetboek enz. Inleiding; hoofdst. I. pag. 48. sq.

schwere Polizey Uebertretungen, quam in codice Josephino animadvertimus inter *Criminal-Verbrechen* et *politische Verbrechen*, delictorum divisionem continet, non de culpa generatim loquitur. Attamen læsiones *mera culpa* effectas ex eo tantum tanquam *schwere Polizeyuebertretungen* puniendas esse ex §. 1. cap. I. part. I. colligendum est, qui sic sonat: « *Zu einem Verbrechen wird boeser Vorsatz erfordert. Boeser Vorsatz aber faellt nicht nur dann zur Schuld, wann vor, oder bey der Unternehmung oder Unterlassung, das Uebel, welches mit dem Verbrechen verbunden ist, geradezu bedacht und beschlossen; sondern auch, wann aus einer andern boesen Absicht etwas unternommen, oder unterlassen worden, woraus das Uebel, welches dadurch entstanden ist, gemeiniglich erfolget, oder doch leicht erfolgen kann* (5). » Contra, ut ex ultimis verbis efficitur, læsiones effectæ culpa dolo determinata tanquam *Verbrechen* puniri possunt. Ea re vero legumlator parum sibi constitisse videtur, nam in §. 2. introductionis dicitur: « *Verbrechen sind gesetzwidrige Handlungen und Unterlassungen bey welchen die Absicht eigens auf dasjenige gerichtet ist, was die Sicherheit im gemeinen Wesen verletzt, und welche die Groesse der Verletzung oder die gefaehrlichere Beschaffenheit der Umstaende zur Criminalbehandlung eignet;* » quæ *criminum* (Verbrechen) descriptio non omnino in id quadrat, quod ex art. prius laudato ad crimen constituendum sufficere videtur, nisi forte *sub factis commissis cum intentione directa ad id quod securitatem in re publica laedit*, intelligere

---

(5) Idem habet quoad partem posteriorem §. 5. Cod. Josephini, qui est etiam §. 3. supra memorati Réglem. prov. etc.

quoque licet *factum commissum cum animo laedendi quolibet, ex quo gravior laesio sine intentione sequitur.*

Notandus adhuc est art. 4. in eadem Introductione, ubi ad *delicta* (schwere Polizeyuebertretungen) adnumeratur : « *Wenn ohne auf irgend ein Verbrechen gerichtete Absicht etwas, so durch die Gesetze, um Verbrechen vorzukomen oder grossen Nachtheil abzuwenden, verboten ist, gethan, oder was zu diesem Ende zu thun geboten ist, unterlassen wird;* » et quidem etiamsi tali facto nullum damnum datum fuerit, ut videtur ex art. 5. cap. I. part. II. « *Schon die gegen ein Verboth vollbrachte Handlung, oder gegen ein Geboth geschehene Unterlassung, ist an sich eine schwere Polizeyuebertretung, obgleich weder eine boese Absicht dabey mit untergelaufen, noch Schaden oder Nachtheil daraus erfolget ist.* » Nec semper ad tale delictum constituendum factum speciali legis dispositione expressum requiritur, ut ex. g. tanquam delicta censenda sunt « *alle Handlungen und Unterlassungen, von welcher sich eine Feuerbrunst leicht voraussehen laest,* » ut dicitur §. 209. Quantum vero tali dispositione judicis arbitrio relictum est! Hoc eo magis extraordinarium nobis videtur, quum ex eo articulo facta qualiacunque, ex quibus incendium oriri potuisset, punienda sunt pœna ex judicis arbitrio determinanda, secundum pœnam aliorum factorum a lege speciatim nominatorum, cum quibus maximam similitudinem habent. His itaque judici facultas datur ex analogia cognoscendi, quæ etiam in singulis casibus in nostris legibus militaribus concessa est (6).

---

(6) Crimineel Wetboek voor het krijgsvolk te lande. Tit. I. art. 17. 's Gravenhage. 1815.

§. VI.

De codice Borussico.

Iisdem fere temporibus quibus in Austria, moderante Josepho, novus judiciorum criminalium ordo nascebatur, novam quoque in Borussia legum pœnalium et juris civilis rationem, omni cogitatione curaque maturabat FREDERICUS II. cognomine magnus (1). Attamen illo mortuo demum sanctionem accepit opus eo jubente cœptum, et anno 1791 promulgatum est sub titulo : *Allgemeines Gesetzbuch fuer die Preussischen Staaten*, cui titulo an. 1794 substitutus est hic : *Allgemeines Landrecht fuer die Preussischen Staaten.* Hujus codicis part. II. tit. 20. legem de delictis atque pœnis continet; et cum codice quæstionum criminalium an. 1805 sancito (2), hodie adhuc juris criminalis borussici communis fontem principalem constituit. Ex codice illo pœnarum circa culpam sequentia referenda sunt :

« §. 28. *Wer bey Uebertretung des Strafgesetzes zwar die gesetzwidrige Folge seiner Handlung nicht wirklich voraus-*

---

(1) Eo regnante jam an. 1750 prodiit exemplum corporis juris Fredericiani, quod a COCCEJO compositum, in linguam gallicam quoque versum est. Serius a JCtis CRAMER, SUAREZ et KLEIN aliud exemplum compositum est, quod in lucem prodiit 1784-1789. Plurimorum JCtorum de eo lata sententia, tandem codex sancitus est regnante Frederico Guilielmo II.

(2) Nuperrime edito Berolini, 1819; sub titulo : *Allgemeines Criminalrecht fuer die pr. St. Th. I. Criminalordnung.*

gesehen hat; doch aber bey gehoeriger Aufmerksamkeit und Ueberlegung haette voraussehen koennen; der hat sich eines Verbrechens aus Fahrlaessigkeit schuldig gemacht.

§. 29. *Je natuerlicher und gewoehnlicher der gesetzwidrige Erfolg aus der Handlung entsteht; je leichter der Handelnde diesen Zusammenhang hat voraussehen koennen; und je gefaehrlicher und unerlaubter die Handlung an sich ist, aus welcher der Schade, obschon wider seinen Willen, entsteht; desto mehr muss die dabey begangene Fahrlaessigkeit bestraft werden.*

§. 31. *Die im Gesetze bestimmte Strafe eines Verbrechens heisst die ordentliche; und trifft in der Regel nur den, welcher das Verbrechen vorsaetzlich begangen hat.*

§. 32. *Die naechste Strafe nach der ordentlichem wird dem zuerkannt, welcher zwar des boesen Vorsatzes nicht ueberfuehrt ist, dem aber vor, oder bey der That, die gesetzwidrige Wirkung als eine unmittelbare Folge seiner Handlung nicht unbekannt seyn konnte.*

§. 33. *Hat das Gesetz die Strafe eines aus Fahrlaessigkeit begangenen Verbrechens nicht ausdruecklich bestimmt; so wird von dem Richter eine ausserordentliche Strafe nach den Grundsaetzen des §. 29. vestgesetzt.*

§. 34. *Findet nur eine ausserordentliche Strafe statt: so kann dieselbe niemals bis zum Tode oder zur Ehrlosigkeit* (3) *ausgedehnt werden.* »

---

(3) Hæc pœna non cum *infamia* confundenda, et potius *morti civili* comparanda est. Cfr. FEUERBACH Crim. Recht. Ed. 6. §. §. 71 et 151.

Cum hoc art. ultimo laudato comparandum est rescriptum 11 augusti an. 1806, ex quo pœna extraordinaria nunquam ad dignitatis ullius depositionem, vel honoris privationem extendi potest (4). Hac pœna igitur nec culpa adfici potest a judice, quum in hanc, punitione ejus *a lege non definita,* tantum pœna extraordinaria infligi possit ex §. 33. Cæterum pœna *extraordinaria* quæ ex §. 34, nunquam summum supplicium nec mortem civilem continere potest, non confundenda est cum pœna *arbitraria,* quæ si interdum *a lege praescribitur* ex §. 35, pœnam carceris ad sex septimanas et modicam mulctam excedere nequit. Quare judici, qui, culpæ pœna a lege non definita, in culpam extraordinarie animadvertere potest, satis magnum in culpa punienda arbitrium concessum est, licet nec pœnam capitalem, nec mortem civilem ex art. 34, nec honoris privationem, nec dignitatis depositionem ex rescripto recentiori an. 1806, irrogari possit; et porro eo restrictus sit, quod non pœnam doli irrogare queat ex art. 31, et lex ipsa sæpius ex. g. art. 777. sqq. pœnam definiat. In pluribus enim casibus pœna a lege non definita est, et ipsius art. 31 salutaris dispositio, verbis *in der Regel* restringitur, quibus fortasse *ad culpam dolo determinatam* spectatur : legumlatoris mens tamen non satis clare patet. In genere systema pœnarum *extraordinariarum* et *arbitrariarum,* quod apud Romanos per imperatores seriores introductum, per longum tempus in diversis civitatibus, juris romani auctoritate, invaluit, et cujus vestigia adhuc

---

(4) Cfr. Mathis Juridische Monatschrift fuer die preussischen Staaten. Bd. X. p. 310. Strombeck Zusaetze zum preuss. Criminalrecht. Berlin, 1822. pag. 3.

in ipso codice Leopoldi occurrunt, nullo modo commendandum est; et ideo non tanquam juris criminalis borussici progressum laudaverim, quod die 7. febr. an. 1815 constitutum est, judicem modum pœnæ art. 35. præscriptum excedere posse, si in lege non expresse de *pœna arbitraria* sermo, sed *aliud epitheton* pœnæ non determinatæ usurpatum esset (5).

Porro nimis severa est art. 32. sanctio quæ in certam culpæ speciem pœnam pœnæ doli proximam infligit, nisi forte verbum *unmittelbare* ita intelligendum sit, ut ad *dolum indeterminatum,* quem dicunt, respexisse legumlator dici possit. Saltem hic *doli praesumptio* constituta esse videtur, ad quam defendendam, ut initio dissertationis nostræ diximus, multi auctores diversa delicti elementa non satis distinguentes pervenerunt. Hoc etiam codicis borussici præceptorum circa culpam vitium nobis videtur, et potius ex nostra sententia fecisset legumlator, si loco verbi *gesetzwidrig,* usus esset verbo *rechtswidrig* in art. 28 et 29. Circa hoc momentum multo magis nobis placent verba usurpata a legumlatore Austriæ, in Cod. crim. an. 1803 introductionis art. 2 et 4. superius relatis, quibus genuina doli et culpæ natura multo melius definitur quam voluntatis relatione *ad legis violationem*, vel *indistincte ad id quod lege vetitum est.* Hac enim relatione idea metaphysica vel composita exprimitur, quæ minus ad vulgi intellectum et conceptum apta est : notionum perspicuitatem vero et simplicitatem a codice pœnarum primo loco requiri

(5) KAMPTZ Jahrbuecher fuer die preuss. Gesetzgebg. Bd. V. p. 32. STROMBECK l. l.

nemini dubium est. Art. 29. superius relato legumlator prudenter pro gravitate culpæ dijudicandæ *generaliter tantum* regulam constituisse, nec ipse *pœnam diversam* ex culpæ gradibus statuisse videtur, qua in re Bavariæ legumlator aliam viam ingressus est, ut mox dicetur. Hic adhuc clariss. KEMPERI (6) de codice borussico verba referre liceat : « *over de uitstekende waardij van het lijfstraffelijk gedeelte, heeft het eenstemmig gevoelen van alle bevoegde beoordelaars reeds lang uitspraak gedaan.* »

§. VII.

De codice Bavarico.

Codex bavaricus an. 1813 ex proposito a clarriss. FEUERBACHIO exemplo confectus, parte I. quæ de delictis eorumque pœnis tractat, plures quam in ullo alio codice inveniuntur, de culpa regulas generales continet art. 64. ad 72; quorum primus hæc habet :

« *Ieder Unterthan ist schuldig gefaehrliche Handlungen zu unterlassen, und in iedem Unternehmen mit gehoeriger Aufmerksamkeit und Bedachtsamkeit zu verfahren, damit er auch nicht unabsichtlich Andere an ihren Rechten verletze, oder Gesetze des Staats uebertrete. Wer dieser Verbindlichkeit zuwider etwas gethan oder unterlassen hat, woraus ohne seine*

(6) Inleiding. pag. 49.

Absicht eine in diesem Gesetzbuche enthaltene Uebertretung entstanden ist, wird deshalb wegen Vergehen aus Fahrlaessigkeit verantwortlich. »

Initio hujus art. distinctum esse videtur inter *jus ex negligentia laesum* et *legem ex negligentia migratam;* sed in fine ejus indistincte quævis *legis transgressio,* sine intentione eam transgrediendi sed orta ex neglecta obligatione vitandi juris læsionem vel legis violationem, *delictum ex culpa* definitur, qua re, ut jam superius monui, notionum confusio continetur ex sententia nostra. Porro definitur culpa gravis art. 65.

« *Grobe Fahrlaessigkeit ist vorhanden : I. Wenn der Beschaediger die Gefaehrlichkeit seiner Handlung selbst eingesehen, gleichwohl aber in unbesonnenem Leichtsinne dieselbe nicht unterlassen hat; II. Wenn seine Handlung in so hohem Grade gefaehrlich war, dass er bey geringer Aufmerksamkeit haette einsehen muessen, dass der rechtswidrige Erfolg wenigstens eben so leicht daraus entstehen, als nicht entstehen koenne; III. Wenn der Handelnde durch den Vortheil eigenthuemlicher Kenntnisse oder Verhaeltnisse, vorzueglich im Stande war, die Gefaehrlichkeit seiner Handlungsweise einzusehen, oder den nachtheiligen Folgen derselben zuvorzukommen; IV. Wenn die fahrlaessige Handlung zugleich schon aus andern Gruenden an sich unerlaubt und rechtswidrig gewesen ist; oder V. der Handelnde, naechst der allgemeinen Verbindlichkeit* (art. 64), *noch durch besondere Pflichten des Stands, Berufs, uebernommener Verpflichtungen und dergleichen, zu vorzueglicher Sorgfalt und Ueberlegung aufgefordert war.* »

Contra singula horum momentorum ex quibus culpæ gravitas dijudicanda est, jam superius quædam protuli. N. n. 4 et 5. conjungi possunt eo quod in genere dicitur: eo gravior negligentia est, quo strictior obligatio omittendi id quo læsio orta est. Strictior enim obligatio hæc est, si actio ipsa ex qua damnum ortum est per se jam a lege sub pœna prohibetur, et aliquis hanc prohibitionem non ignorat. In eo vero casu ex data definitione de culpa, potius culpa dolo determinata, de qua alias art. 41. sermo est, quam mera culpa gravis admittenda foret. Nam transgressio legis pœnalis cum intentione eam transgrediendi, ex art. 64. non amplius culpa est; quare is qui actionem per se vetitam sciens eam vetitam esse, et ideo legem transgredi volens committendo, læsionem ex alia lege vetitam effecit, quam tamen efficere noluit, dolo et culpa deliquisse, ideoque non ad art. 65. n. 4. animadversionem pertinere videtur. Contra si quis legis vetitum, cujus transgressione læsionem ex alia lege vetitam sine dolo effecit, revera ignoravit, hæc ignorantia ei in regula non prodest, et plerumque ex art. 71. legem nosse, ideo sciens migrasse, ergo non sine intentione violasse, ergo iterum non ex mera culpa peccasse præsumendus est. Solummodo si imbecillioris animi est, ex art. 71. ipsi ignorantia prodest, ita ut a pœna liberandus esse videatur, ac si legis vetitum non migrasset. Quare in hoc casu, ob damnum ex migrata per ignorantiam lege datum, non ex art. 65. n. 4. *gravioris culpæ* pœnam pati debebit. In omni casu etiam si forte ignorantia legis ipsi, ut ex art. 72. ignorantia facti ad culpam imputari posset, *levioris culpae* tamen pœnam subire ex art. 68. n. 2. deberet is, qui actione vetita, quam ex imbecillitate vetitam esse ignoravit, commissa, damnum dedit, ad quod avertendum illa actio vetita erat : nam eadem imbe-

cillitas certe obstitit, quominus damnum ex actione oriturum provideret, et ex tali causa culpa levior censenda est secundum articulum laudatum. Ex his patet pro adplicatione dispositionis art. 65. n. 4. nullum casum cogitari posse, nisi admodum art. 64. sensus restringatur; quod nostram sententiam confirmat, huic art. notionum confusionem inesse. Porro ex art. 65. n. 3. in gravi culpa hæret is, qui aliquid *faciens* actionis suæ noxio effectui impediendo, propriarum scientiarum commodo, par erat. Sed ut omittam repetitionem eorum quæ de hoc momento gravitatis culpæ jam superius dixi, legumlator, nisi forte dicere voluit : « is qui aliquid *omittens*, noxio effectui omissionis suæ impediendo, propriarum scientiarum commodo par erat (1) »; proprio suo præcepto quodammodo derogavit art. 66. quo dicitur :

« *Wer vom Staate zur Ausuebung einer Wissenschaft, Kunst oder Profession nicht berechtiget ist, und ohne dringende pflichtmaessige Veranlassung eine Handlung unternimmt, wozu die Kenntnisse oder Fertigkeiten solcher Wissenschaft, Kunst oder Profession vorausgesetzt werden, ist*

---

(1) Hæc verisimiliter legumlatoris mens erat : sed locutio impropria quæ in art. occurit, iterum ut superius ad art. 125. Cod. gall. monui, ex eo orta esse videtur, quod duas ideas diversas una positione comprehendere voluit legumlator, eam scilicet « si *agens* peculiari scientia par erat actionis effectum *providendi*, » et eam « si *omittens* peculiari scientia par erat omissionis effectum *avertendi*. » Utrumque momentum revera culpam augere potest; sed utrumque in momentis regula nostra 7. expositis continetur.

fuer den daraus entstehenden Schaden wegen grober Fahrlaessigkeit verantwortlich. »

Nam supponendum est, in eo articulo eum, qui damnum dedit actione sua, necessariam scientiam ad id impediendum *non habuisse*. Si enim aliquis eam scientiam *habuerit*, non video cur ob id solum gravius puniendus sit, nisi actio per quam damnum datum est, *per se* pro eo vetita fuerit : si vero actio per se pro eo vetita fuerit, *inutilis* est articulus, nam in hoc casu jam culpæ gravioris pœnam subire debebit ex art. 65. n. 4. Saltem præcepto n. 3. art. 65. proposito repugnat art. 67 :

« *Desgleichen ist grobe Fahrlaessigkeit vorhanden wenn Personen welche mit Bewilligung oder aus Auftrag des Staats eine Wissenschaft ausueben, aus Mangel oder Vernachlaessigung der zu jener Wissenschaft, Kunst oder Profession gehoerenden gemeinen Kentnisse oder Fertigkeiten, eine Rechtsverletzung verursacht haben.* »

Ex hoc art. enim expresse dicitur, culpam graviorem contrahere eos, qui actionem suscipientes cujus suscipiendæ *potestatem* ipsis civitas concessit, damnum dederunt, ad quod avertendum ipsis propria scientia *deerat*. Cæterum an hi revera in graviori culpa sint dubitandum est, nam potius damnum dare videntur ex ipsius civitatis culpa, quæ iis artis exercendæ potestatem dedit, cujus exercendæ impares erant. Tandem art. 68. definitur culpa levis hisce :

« *Geringe Fahrlaessigkeit ist vorhanden : 1. Wenn die Fahrlaessige Handlung mit dem gesetzwidrigen Erfolge in entfern-*

tem Zusammenhange stand, und zwar als moegliche, doch nur als ungewoehnliche und unwahrscheinliche Wirkung vorauszusehen war; II. Wenn zwar die Handlung, an und fuer sich, zu der art. 65. *n.* 2. *beschriebenen gefaehrlicheren Gattung gehoerte, der Handelnde aber entweder aus Schwaeche und Stumpfheit des Verstandes, oder wegen eines die Aufmerksamkeit und Ueberlegung stoerenden unverschuldeten Gemuethszustandes, oder wegen unguenstiger aeusserer Umstaende, die hohe Gefaehrlichkeit seiner Handlung nicht leicht einzusehen vermochte, oder ihren schaedlichen Erfolg nur mit besonderer Anstrengung geistiger oder koerperlicher Kraefte verhindern konnte; III. Wenn der Handelnde durch unverschuldete dringende Umstaende zu schnellen Entschliessungen bestimmt war; IV. Wenn die gefaehrliche Handlung in Ausuebung einer Amts- oder andern Pflicht aus blossem Uebermasse des Pflichteifers geschehen ist.* »

Sed satis jam superius me demonstrasse credo, non necessariam esse culpæ gravioris et levioris definitionem, si modo legumlator momenta potiora in genere indicaverit, ex quibus culpæ gravitas dijudicanda esset. His ipsæ adnotationes innuere videntur, quæ ut *codicis rationes exponerentur*, omnesque *commentarii redderentur supervacanei*, ex publica auctoritate, una cum codice publicatæ sunt, et quibus inter alia dicitur (2): « innumera esse momenta a quibus culpæ gravitas pendeat, et potiora tantum a legumlatore indicari posse, non ut dentur

(2) Anmerkungen zum Strafgesetzbuch. München. 1813. vol. I. pag. 195—6.

definitiones generales pro quovis culpæ gradu, sed ut quivis casus facti culposi melius possit dijudicari. » His præceptis adoptatis vero prudentius legumlator se abstinuisset a pœnis pro culpa gravi et levi diversis, speciatim et pro quovis casu ex certa proportione ad modum doli definiendis, quod factum est art. 69 et 70; et quod melius omitti superius probavi. Non solum enim innumera momenta sunt a quibus culpæ gravitas pendet, sed etiam innumeri culpæ ipsius gradus; et quum præter culpam per se damni gravitas spectanda sit in culposis delictis, satis fit justitiæ punitivæ, si in quodvis delictum culposum ex mente legumlatoris puniendum, una tantum pœna ita statuitur, ut inter minimum et maximum justam pœnam eligere possit judex. Art. 71 et 72, de ignorantia legis et facti loquentes, minus ad nostrum argumentum pertinent.

Cæterum codicis bavarici circa culpam præcepta, fere immutata, in codice criminali ducatus Oldenburgensis an. 1814 sancita (3), in novissimo vero codicis pœnarum pro Bavaria confecto exemplo (4) omnino omissa sunt. In hujus enim exempli parte I. quæ de *criminibus* et *delictis* tractat art. 41. sancitur : « Zu einem *Verbrechen* oder *Vergehen* wird *boeser Vorsatz* erfordert. » Contra in parte II. quæ reliquas offensas complectitur art. 29. hæc leguntur : « *Die Uebertretungen* werden schon an sich wegen der gegen ein Verbot begangenen

(3) Strafgesetzbuch fuer die herzogl. Holstein Oldenburgischen Lande. Oldenburg. 1814. art. 58—66.

(4) Entwurf des Strafgesetzbuchs. München. 1822. Th. I. Von Verbrechen und Vergehen. Th. II. Von Uebertretungen.

Handlungen, oder der gegen ein Gebot geschehenen Unterlassungen, unabhaengig von der Beschaffenheit der Absicht, auch wegen bloser *Fahrlaessigkeit* bestraft. *Boeser Vorsatz* wird zu einer Uebertretung nur da erfodert, wo derselbe, entweder durch ausdrueckliche Erklaerung des Gesetzes, oder durch die Eigenthuemlichkeit der Uebertretung, selbst als nothwendig vorausgesetzt wird. » Quum in parte priori codicis solæ *laesiones* nomine *Verbrechen* et *Vergehen* continentur, dispositiones utriusque art. magnopere conveniunt regulis a nobis pro culpa sub n. n. 1 et 2 propositis. Nec credendum est, eo quod facta culposa non nisi tanquam *Uebertretungen*, ex secunda parte codicis puniri possunt, æquo mitius ea puniri; nam offensæ ex secunda codicis parte vetitæ, interdum *gravius* puniuntur, quam *delicta* quæ cum *criminibus* in parte prima continentur. Inter *Verbrechen*, *Vergehen* et *Uebertretungen* itaque exempli auctor, quem JCtum GOENNERUM esse accepi, non ad eumdem finem distinxisse videtur, quem Galliæ legumlatores inter *crimes*, *délits* et *contraventions* distinguentes habuerunt. Nec, offensarum propriam classem in parte II. constituens et eas a criminibus et delictis quæ inter se pœnæ *gravitate* distinguuntur, discernens, ad diversam horum et illarum naturam respexisse videtur. Licet enim crimina et delicta omnia læsiones dolosæ sint, et offensarum in parte II. punitarum plurimæ facta, quæ ratione læsionis inde orituræ vetantur, inter eas tamen multæ quoque læsiones vel dolo vel culpa effectæ recensentur, unde qualis vera illius divisionis ratio sit non satis est perspicuum.

§. VIII.

De quibusdam aliis.

Præter codices criminales hucusque nominatos alii adhuc nostra ætate apud diversas gentes vel sanciti, vel propositi sunt. Ita Russorum imperator an. 1818 exemplum codicis criminalis, per viros quosdam ad eum finem delegatos, confici jussit, idque jam ab imperii senatu confirmatum publici juris factum est (1). In Hungaria quoque anno 1807, ab hujus regni JCtis codicis criminalis exemplum editum est (2). Sed in utroque, præter vagas admodum culpæ definitiones, nulla circa eam puniendam regulæ generales sistuntur. In codice pœnarum an. 1821, pro republica Basiliensi sancito (3), qui tantum

(1) Germanice sub titulo: Criminal-Codex fuer das russische Reich von der K. russischen Gesetzgebungs Commission entworfen, und nach erfolgter Genehmigung der gesetzgebenden Abtheilung des Reichsraths zum Druck befoerdert. Aus dem Russischen uebersetzt. Halle. 1818. §. 10. In eo codice §. 2. occurit divisio delictorum in delicta contra civitatem, contra universitates, contra privatos. Fortasse ea re legumlator imitari voluit divisionem delictorum in *délits publics*, *semi-publics*, *privés*, quam statuit BENTHAM, cujus cum Russorum imperatore epistolarum commercium continetur in ejusdem *papers on codification*. London. 1817. part. I. pag. 85. sqq. Supplement. London. 1817. p. 31.

(2) Codex de delictis eorumque pœnis pro tribunalibus regni Hungariæ partiumque eidem adnexarum etc. Pestini. 1807. Principia post præfationem proposita sunt §. §. 7. 8 et 9. pag. 5.

(3) Criminalgesetzbuch fuer den Canton Basel. Basel. 1821.

crimina spectat, *dolus* ad criminis notionem in §. 2. requiritur. Eadem dispositio in codicis de *criminibus* pro republica Sangallensi an. 1819 promulgati (4) art. 2. continetur. In introductione posteriori codici præmissa præterea a §. 55. ad §. 59. de dolo et culpa in genere principia leguntur, quæ maximam partem potius doctrinæ relinquerentur. In §. 15. ejusdem introductionis tamen duo objecta legum pœnalium *laesiones* et *quasi-laesiones* adcurate distincta esse nobis videntur.

Hic finem imponere dissertationi nostræ fortasse jam opportunum esset. Sed discedere non possumus a nostro argumento, quin adhuc quædam de legibus Anglorum disseramus: licet apud hunc populum nec codex pœnarum, nec codex quæstionum criminalium inveniatur. Jus criminale autem apud Anglos, ut jus civile, partim legibus (Statute-law), partim moribus (common-law) constat (5). In singulis legibus quæ ad fontes juris eorum criminalis pertinent, et quæ ex diversis temporibus originem ducunt, ut leges judiciorum publicorum apud Romanos, de punienda culpa eo minus præcepta generalia quærenda sunt, quum ne de puniendo homicidio culposo quidem generalis punitionis regula in iis occurrat, sed unus tantum homicidii culposi casus ex lege sub GEORGIO III. sancita puniendus sit (6) scilicet : « *If any waterman between*

(4) Canton St. Gallisches Strafgesetzbuch St. Gallen. 1819.

(5) ADDINGTON Abridgement on the penal Statute. Lond. 1786. In notis ad vocem *felony*. pag. 251. Cfr. BENTHAM To the citizens of the American United States. Letter IV. Papers on codification; supplement. pag. 104. sqq. ubi de vi et pretio utriusque juris fontis disseritur.

(6) Cfr. BLACKSTONE Commentaries on the Laws of England. Edit. 15. by Christian. Lond. 1809. vol. IV. p. 192.

Gravesend and Windsor, receives into his boat or barge a greater number of persons than the act allows, and any passenger schall then be drowned, such waterman is guilty of felony, and schall be transported as a felon (7). » Simili modo de incendio culposo exstat lex ANNA regnante lata, qua statuitur : « *any servant negligently setting fire to a house or outhouses, schall forfeit* 100 *l. or be sent to the house of correction for eighteen months* (8). » Tam incendia vero quam homicidia licet non ex jure scripto, ex jure non scripto tamen in pluribus casibus puniri solent (9). Antequam de punitione ipsa quidquam dici possit, monendum est ad punienda delicta in genere diversa judicia instituta esse apud Anglos, regulariter, non omnino tamen ex eorum gravitate. De gravissimis cognoscunt regulariter *the assizes*, de minus gravibus *the quarter sessions*, de levissimis *the justices of peace* (10). Ita etiam in Anglorum formulis sæpius tria delictorum nomina occurrunt *crimes, felonies, misdemeanors* (11); quæ vero denominationes non certas delictorum classes spectant, quorum quævis ad aliud ex supradictis judiciis pertineat, ut

---

(7) Legem ipsam 10. Georg. II. c. 12. vid. apud TOMLINS Digest. of the Criminal Statute-Law of England. Lond. 1819. part. I. pag. 344. sub voce *homicide*.

(8) Cfr. leg. 6. Ann. c. 31. 5. et 3. apud TOMLINS l. l. pag. 10. sub voce *arson*.

(9) BLACKSTONE l. l. pag. 192 et 222.

(10) COTTU de l'Administration de la justice criminelle en Angleterre. Ed. 2. Paris. 1822. pag. 22. sqq.

(11) COTTU l. l. pag. 89. not. 3.

voces *crimina publica, delicta privata, probra censoria* liberæ reipublicæ romanæ temporibus, vel voces *crimes, délits, contraventions* ex jure nostro. Illis tamen vocibus gradus gravitatis delictorum diversi indicantur; præcipue in sensu vulgari *crimes* atrociora, *misdemeanors* leviora delicta vocantur, nulla judicii et pœnæ habita ratione; in sensu legali *felony* et *misdemeanor* opponuntur (12): Quis vero sit utriusque vocabuli sensus videri potest ex his: *The crime of felony was formerly every capital offence, but now we account any offence to be felony, that is in degree next to petit treason* (13); porro: *misdemeanors are all those offences for which the law has not provided a particular name, punishable by fine or imprisonment in way of indictment* (14). Delictorum pœnæ vero non solum per accusationem (*indictment*), sed etiam alio modo (ex. g. *information*) peti possunt (15). Non omnia itaque facta punienda ex legibus moribusque verbis *felony* et *misdemeanor* comprehenduntur. Ab illis præcipue distinguntur ea quæ nomine *treason* (high and petty) veniunt (16); et inter ea quæ

---

(12) BLACKSTONE l. I. pag. 5.

(13) ADDINGTON sub voce *felony* in notis; pag. 251.

(14) ADDINGTON sub voce *misdemeanor* pag. 427. An *indictable* offence; BLACKSTONE l. l. pag. 5.

(15) BLACKSTONE Vol. III. pag. 254. sqq. præcipue 261 et 270. Vol. IV. pag. 301. sqq. præcipue 307 et 318. *Information* tanquam modus persecutionis criminalis, ut *accusatio* distinguitur ab eo quod *information* dicitur in sensu juris civilis, tanquam medium sarcitionem damni civiliter exigendi, ut etiam *actio*.

(16) Cfr. ipsa definitio vocis *felony* modo relata, et ADDINGTON sub voce *treason* pag. 632. BLACKSTONE. IV. 373.

dicuntur *larceny* (grand et petit), singula sunt leviora, quæ nec *felonies*, nec *misdemeanors* censentur (17). *Felonies* sunt vel *felonies within the benefit of clergy*, vel *without the benefit of clergy*; et hoc fere idem sonat quod *capital felonies* et *not capital felonies*, sed non idem quod *capital offences* et *not capital offences* (18). Verbum enim *offence* est generalius quod omnia crimina punienda indicat; ideoque tam sub capitalibus offensis quam sub non capitalibus intelliguntur *felonies*, *aliaeque offensae*; sub illis scilicet quoque *high treasons* et *petit treasons*, sub his *petit larcenies*, quæ non sunt *felonies*; omnia quæ dicuntur *misdemeanors*, et nonnulla alia leviora quæ interdum *trespasses* adpellari *videntur* (19). In sensu latissimo vox *trespass*, ut etiam vox *offence*, significat id quod *transgression* vel *wrong*. In strictiori sensu *trespass* id significat quod *transgression of civil law*, sive *private wrong*, sive *civil injury*, interdum etiam leviores legis pœnalis transgressiones, quæ non sunt *misdemeanors*, ut jam diximus, et in sensu strictissimo, ut etiam vox *injury*, particularem injuriæ speciem (20). Contra *offence* plerumque usurpatur ad significan-

---

(17) Cfr. ADDINGTON sub voce *larceny* pag. 374; et sub voce *obstructions* pag. 337. coll. cum definitione vocis *misdemeanor* superius relata.

(18) COTTU l. l. pag. 27. BLACKSTONE IV. 365. sqq. præcipue 373. ADDINGTON in notis ad vocem *misdemeanor* pag. 427.

(19) BLACKSTONE IV. 222. IV. 233. « The Stealing of writings relating to a real estate is no *felony* but a *trespass*. » Hæc vox tamen hic in sensu strictissimo sumpta esse videtur; de qua cfr. notam sequentem.

(20) BLACKSTONE III. pag. 2. 122. sqq. 208. sqq. *Injury* læsio existimationis, *trespass*, si quis, nolente domino, alienum fundum ingreditur.

dum id quod alias dicitur *transgression of penal law*, sive *public wrong*, sive *crime*. Nam etiam hæc vox interdum omnia facta punienda denotat, interdum verbis *felonies* et *misdemeanor* objicitur, ad demonstranda omnia ea quæ præter hæc duo genera delictorum puniri possunt, et in specie tandem, ut jam superius monui, vulgo indicat atrociora delicta (21). His præmissis possumus præcepta juris anglici circa culpam exponere.

Ex eo quod quidam de voce *felony* dicunt : *Felony is alwa ys accompanied with an evil intention* (22), adparere videtur culposum delictum nunquam ut *felony* puniri posse; sed jam ex lege Georgii supra relata contrarium patet. Imo adeo ex aliorum JCtorum sententia homicidium culpa commissum modo tanquam *murder*, modo tanquam *manslaughter* puniendum esse videtur; et utrumque tanquam *felony*, imo adeo illud tanquam *capital felony*, hoc vero tanquam *not capital felony* punitur. Dicit enim JCtus BLACKSTONE (23), quum de homicidio non voluntario loquitur : *When a workman flings down a stone into the street, and kills a man, this may be either misadventure, manslaughter or murder.* Postremum adsumendum esse dicit, si ex ædibus lapidem dejecerit operarius in locum quo vulgo iter fit, et, hoc sciens, non proclamaverit, additque *for then it is malice against all mankind.* Sed magna sine dubio hæc est severitas! Nec adprobare possum illius JCti distinctionem, qua homicidium involuntarium, vel ex

(21) Cfr. formula superius laud. apud COTTU l. l. pag. 89. not. 3.
(22) ADDINGTON in notis ad hanc vocem.
(23) BLACKSTONE IV. 191. 192.

actu legitimo oriri dicitur, vel ex illegitimo : actum quo quis hominem occidit illegitimum esse, si quis eo ad ullam juris læsionem tendebat (in prosecution of felonious intent), vel ad simplicem legis transgressionem (if no more was intended than a mere civil trespass); et in priori casu homicidium *murder*, in posteriori *manslaugther* esse vult : contra actum legitimum esse vel talem quo mero casu evenerit homicidium (by misfortune), vel talem qui illegitimo modo et defectu debitæ diligentiæ commissus fuerit (without due caution and circumspection); et in hoc ipso posteriori casu homicidium pro casuali, vel pro *murder*, vel pro *manslaugther* habendum esse statuit, ut in exemplo superius relato de operario lapidem ex ædibus dejiciente (24).

Ex his sequi videtur legibus anglicis homicidium culposum semper vel tanquam casuale a pœna liberandum, vel ut homicidium ex iræ impetu tanquam *not capital felony*, vel tanquam homicidium ex proposito, tanquam *capital felony* puniendum esse; et nunquam tanquam simplex *misdemeanor*. Sed his adversatur ADDINGTON (25), qui homicidium in genere esse dicit vel *casual death*, vel per *infortunium or chance medley*, vel ex necessitate, vel *in execution of justice*, vel *manslaugther*, vel *murder* (26); et culposum homicidium levius eo, quod dicitur

---

(24) Vol. IV. l. l.

(25) In notis ad vocem *homicide* pag. 326.

(26) Ut Galli in Codice anni 1791 et in Exposé des motifs du Code de 1810 distinxerunt inter *homicide casuel*, *involontaire*, *légal*, *légitime*, *meurtre*, *assassinat*. Pro *casuel*, *involontaire*, prudentius dixerunt legumlatores anni 1791 *involontaire par accident*, *involontaire par négligence*.

manslaugther, supponi videtur in lege quadam Eduardi I. ubi dicitur: *Whether a man did kill another by misfortune, or in his own defence, or in another manner* WITHOUT FELONY (7). In genere admodum incertum et parum mite jus anglicum circa culposum homicidium esse videtur, nec magis certum est quoad incendium culposum.

Ad crimen incendii, quod *arson* dicitur Anglis, ex legibus puniendum requiritur dolus malus, sive debet esse *a malicious burning*. Culpa commissum id tantum levius peccatum *a trespass* esse dicit Blackstone (28). Quid vero hac voce dicere voluerit JCtus, non satis ex ejus verbis patet. Cæterum confirmare videtur sententiam JCti M. Hale, qui contra antiquiores auctores contendit, incendium culpa excitatum (by negligence or mischance) nunquam pœna in dolosum constituta adfici (no mounts to arson); nec qualicunque negligentia commissum tanquam *felony* considerari posse. Omnino itaque incerta juris anglici præcepta circa culpam esse videntur, et sane etiam correctione indigent, quam multi viri prudentissimi hujus populi legibus suis criminalibus adferri volunt (29). Quoad culpam eo magis emendanda videntur juris criminalis principia, quum *jurati* qui de facto judicant, ex. g. homicidio eo-

(27) 6. Edw. I. c. 9. apud Addington sub voce *homicide*.

(28) Vol. IV. pag. 222.

(29) Ex. g. Romilly Observations on the criminal law of England, London. 1813. Miller Inquiry on the present state of the statute and criminal law. Lond. 1822; ne alios memorem minus cautos innovatores et notionum metaphysicarum amatores.

rum judicio oblato, plerumque accusatum tantum sub ea conditione convictum declarare soleant, si *judices* credant factum cujus quis accusetur esse *manslaughter*, vel esse *murder* (30). Hoc vero fieri *debere*, si juratis tantum judicium de facto concedendum est, neminem fugiet, et ea re leges anglicas meliores esse credo legibus gallicis, ex quibus in similibus casibus a juratis quoque plus vel minus judicium de *jure* pendet. Nimium judicis arbitrio tali modo relictum esse forte dicent plerique; sed inde nil aliud sequitur quam *necessitas* quarumdam regularum de culpa statuendarum, quas nec in judiciorum ordine per codicem criminalem gallicum constituto inutiles esse superius dixi.

---

(30) COTTU l. l. pag. 104. « If schall seem to the aforesaid justices that that offence is *murder*; then the jury aforesaid find that the said defendant is guilty of *murder*. »

FINIS.





